The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

PASCHALIS DE SIENA
EPISCOPI CALLINICENSIS
JAM IN LYCEO ARCHIEPISCOPALI NEAPOLITANO
THEOLOGIAE MORALIS PROFESSORIS
NUNC METROPOLITANAE ECCLESIAE NEAP. CANONICI

THEOLOGIAE MORALIS

COMPENDIUM

TOTUM ACCURATE ACCOMODATUM

IUXTA NOVUM CODICEM JURIS CANONICI

A BENEDICTO PAPA XV PROMULGATUM ANNO MCMXVIII

EDITIO DECIMA
EMENDATA ET AUCTA



WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

NEAPOLI
Ex Typis Francisci Giannini et Filiorum
In Via Cisterna Olearia
MCMXX

PROPRIETAS LITERARIA

P279t

10017

BEATISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XV.

PONTIFICI MAXIMO

Beatissime Pater,

cum non ita pridem novum Ecclesiasticarum Constitutionum Codicem in lucem edebas, omnibus sacerdotibus, legum peritis, et jurisprudentiae studiosis pretiosissimum sapientiae monumentum dono dabas, in quo omnes canonicae leges a rei Christianae primordiis ad haec usque tempora latae tanquam in amplissima tabula ordine digestae uno quasi obtutu conspicerentur. Quare omnia et divina et humana jura postulare videntur, ut nova id genus opera typis in posterum edenda Tibi, Beatissime Pater, ab auctoribus exhibeantur, ac Tuo inscripto in fronte nomine dedicentur ad perpetuam apud posteros significationem cum grati sui animi, quod sibi novarum lucubrationum conscribendarum in causa fueris, tum humilis in Te obsequii, qui omnium amore ac veneratione es, quam qui maxime, dignus. Quae cum ita sint, infra scriptus decimam suarum Theologiae Moralis Institutionum editionem publicaturus, quoniam multa ad externam Ecclesiae disciplinam pertinentia ratione temporum sunt mutata, totus in eo fuit ut, quidquid in suo volumine continetur ad novarum constitutionum normam exigeretur. Opus, Dei gratia, omnibus jam numeris absolutum Tibi, Beatissime Pater, jure meritissimo dedicandum et exemplar exhibendum putavit, ut Apostolica tua benedictione communitum sacerdotibus his studiis operam dantibus esset profuturum. Quod exemplaris munus, quamvis tenue sit ac levidense, tamen auctori certa spes est Te, Beatissime Pater, benigno vultu accepturum, si nihil aliud, saltem ut suae in te observantiae, reverentiae et venerationis non dubium testimonium.

Numini Majestatique Tuae addictissimus,.

Neapoli die XX Septembris 1919.

† Paschalis De Siena
Epis.pus Callinicensis.

SEGRETERIA DI STATO
DI
SUA SANTITÀ

N. 45612

Dal Vaticano, 22 Ottobre 1919

Ill.mo e Rev.mo Signore,

Compio il venerato incarico di accusare alla S. V. Ill.ma e Rev.ma ricevimento della recente supplica da lei umiliata a Sua Santità, ed in pari tempo mi è grato parteciparle che l'Augusto Pontefice si è benignamente degnato di accettare la dedica che V. S. intende fargli della 10.ª Edizione delle sue Istituzioni di Teologia Morale che saranno prossimamente licenziate alla stampa.

Nel comunicarle questo prezioso contrassegno di pontificia benevolenza, approfitto volentieri dell' occasione per raffermarmi con sensi di distinta e sincera stima.

di V. S. Ill.ma e Rev.ma
servitore
P. Card. GASPARRI

Ill.mo e Rev.mo Signore
Mons. Pasquale De Siena
Vescovo di Callinico
Napoli

THEOLOGIAE MORALIS STUDIOSIS

Quum novus codex juris canonici a Benedicto Papa XV promulgatus fuit, quo plurimae immutationes veteri juri, tum quoad disciplinam, tum quoad poenas allatae fuerunt, ita ut fere omnia sint nova, necesse fuit nonam editionem in lucem edere. In hac editione illud propositum mihi fuit in unum conferre non tantum quicquid novo sacerdoti, qui ad sacramentum poenitentiae administrandum se comparat, sit apprime necessarium, sed etiam quicquid in hisce studiis jam perfectis sit utile et novum. At cum meum opus ubique communi plausu fuerit exceptum, rursusque debuerit publici juris fieri, in meliorem ordinem redegi, diligentius quibusdam doctrinis enucleatis, compluribus aliis adjectis, hanc deciman editionem pleniorem ac locupletiorem esse supervacaneum est affirmare. Licet praesens editio totum continet, quod in praecedenti fuit traditum, tamen quae pro temporum natura scitu maximi sunt momenti accuratius et consultius referuntur. Praeterea in hac inveniuntur in suis propriis locis diligenti studio adnotatos textus novi codicis ad rem pertinentes, qui lucem veritati afferunt. In appositis vero adnotationibus, quae olim erant dubia et controversa, nunc vero per novum codicem declarata, omnium oculis objicere operae pretium fore putavi, quod me satis atque abunde assecutum ratus non dubito. Quapropter maxime incumbui, ut, omissa sermonis elegantia, doctrina Ecclesiae per novum codicem promulgata omnibus luce clarior effulgeret.

THEOLOGIAE MORALIS PROLEGOMENA

Theologia Moralis definitur : *Scientia, quae ex principiis divinitus revelatis, atque ab Ecclesia explicatis certas deducit conclusiones de rebus agendis, vel fugiendis, ut homo ultimum finem consequatur.* Dicitur *Scientia*, quia ex principiis deducit conclusiones ita inter se connexas, ut alterae ab alteris dependeant. Verba *ex principiis divinitus revelatis, atque ab Ecclesia explicatis*, indicant principium sive remotum sive proximum, ex quo movere debet Theologus Moralis in suis conclusionibus. Verba *de rebus agendis vel fugiendis*, denotant objectum materiale hujus scientiae, et discrimen, quod dogmaticam inter et moralem Theologiam intercedit. Prima enim *credenda* respicit ; altera vero *agenda* considerat. Verba denique *ut homo ultimum finem consequatur*, exprimunt , quem potissimum finem Theologia Moralis spectat, nempe aeternam salutem.

Ex qua definitione unicuique patet, quodnam sit principium materiale, et quodnam formale Theologiae Moralis. Principium materiale sunt sacra Scriptura, et Traditio ; principium vero formale est vivum Ecclesiae Magisterium. Ratio primi eruitur ex Trid sess. IV. in Decreto de can. scripturis, in quo legitur : « Veritatem, et morum disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt ». Ratio secundi est, quia nemo tenetur observare, atque exercere morum doctrinam, quae in Scriptura et Traditione continetur, nisi ei infallibiliter innotescat, eam esse genuinam et veram doctrinam, quae in Scriptura et Traditione continetur, et hoc ad Ecclesiam pertinet, uti declaravit ipsum Tridentinum.

Jam vero in omni actu humano tria oportet considerare nempe *causas* quae illum efficiunt ; *regulas*, quae illum dirigunt ad debitum finem ; *sub-*

sidia et media, partim necessaria, partim utilia, quae actum virtuosum adjiuvant, ac vita aeterna dignum reddunt.

Hinc Theologia Moralis in tres partes potest dividi.

In prima agitur de elementis essentialibus actus humani ; in secunda de regulis, ad quas conformandus est actus, ut sit moraliter bonus ; in tertia de mediis et subsidiis, quae actum humanum aeterna vita dignum reddunt.

DE ACTIBUS HUMANIS

Q. *Quid est actus humanus ?*

R. Est ille, qui procedit a voluntate deliberata 1).

Q. *Quid est actus hominis ?*

R. Est ille, qui fit sine deliberatione voluntatis, uti sunt actus primo-primi.

Q. *Quotuplicis generis sunt actus humani ?*

R. Duplicis generis : alii sunt eliciti, alii imperati. Primi sunt illi, qui a voluntate oriuntur, et in ea perficiuntur, uti sunt actus amoris, odii etc. Secundi, qui a voluntate incipiunt, et per aliam potentiam sive internam, sive externam perficiuntur, uti meditatio, epistolae scriptio etc. ; proinde in internos et externos subdividuntur.

De voluntario et involuntario

Q. *Quid est voluntarium ?*

R. Est illud, quod procedit a voluntate cum rationis advertentia 2).

Q. *Quotuplex est voluntarium ?*

R. Voluntarium aliud est perfectum, aliud imperfectum. Perfectum est illud, quod a voluntate procedit cum pleno consensu, et perfecta advertentia, uti sunt actus naturae rationalis agentis ex propria deliberatione. Imperfectum est illud, quod a voluntate procedit cum semipleno consensu, vel cum semiplena advertentia, uti sunt actus semi-dormientis, et semi-ebrii. Aliud necessarium, aliud liberum. Necessarium est, quod procedit a voluntate determinata ad unum ; uti amor felicitatis in genere. Liberum est, quod procedit a voluntate cum plena indifferentia. Aliud est directum, aliud indirectum. Primum est illud, in quod voluntas expresse tendit sive immediate, sive mediate. Secundum est illud, quod quis licet expresse non velit, vult tamen in causa, quam ponit.

Q. *Quaenam requiruntur, ut voluntarium indirectum imputetur ad culpam ?*

---

1) Voluntatem deliberatam constituunt advertentia, et libertas. Advertentia est actus intellectus, quo cognoscitur objectum quale sit. Libertas est immunitas a vi.

2) Si non procedit a voluntate, sed a voluntate approbatur, uti ex. gr. pluvia, dicitur *volitum*. Si vero procedit ab appetitu pure sensitivo sine ulla vel ad summum cum imperfecta cognitione, uti amor canis erga dominum suum, dicitur *spontaneum*. Si autem procedit a principio extrinseco vim inferente, dicitur *violentum*. Si denique procedit a principio intrinseco, sine ulla praevia cognitione, dicitur *naturale*.

R. Primo: ut agens advertat saltem in confuso, vel advertere possit ex tali causa talem effectum esse oriturum 1). Secundo ut possit causam non ponere 2). Tertio ut teneatur impedire effectum, et non impediat 3).

Q. *Quid est libertas?*

R. Est immunitas a vi.

Q. *Quotuplex est libertas?*

R. Duplex : a coactione et a necessitate naturae.

Q. *Quid est libertas a coactione?*

R. Est immunitas ab ommi vi externa.

Q. *Quid est libertas a necessitate?*

R. Est immunitas ab omni vi non solum externa, sed etiam interna. Haec autem libertas est vel *contradictionis*, vel *specificationis*, vel *contrarietatis*. Prima est facultas agendi, vel non agendi ; secunda est facultas agendi hoc, vel aliud ; tertia est facultas agendi hoc, vel oppositum. In prima et secunda habetur essentia libertatis, in tertia abusus.

Q. *Ad constituendum actum humanum sufficitne sola libertas a coactione?*

R. Minime : sed requiritur etiam libertas a necessitate, et oppositum est damnatum contra Jansenium ab Innoc. X.

Q. *Quid est involuntarium?*

R. Est illud, quod fit vel contra, vel praeter voluntatem, ita D. Thomas, id est per vim, vel per ignorantiam invincibilem.

Q. *Quotuplex est involuntarium?*

R. Duplex : absolutum, et secundum quid. Absolutum est, quod voluntas omnino non vult. Secundum quid, est illud, quod quis aliquo modo vult, aliquo modo non vult, ut in eo, qui dat crumenam latroni.

Q. *Quaenam causae tollunt, quaenam minuunt, quaenam augent voluntarium?*

R. Tollunt voluntarium vis absoluta, et ignorantia invincibilis ; mi-

---

1) Hinc actus, qui procedunt ab ebrietate, si sunt ordinarii, imputantur ad culpam, quia praevidentur, vel praevideri possunt ; si sunt extraordinarii, non imputantur, quia non sunt praevisi, nec praevideri poterant.

2) Ratio est, quia deficiente libertate necessario deficit voluntarium.

3) Ratio est, quia ut ait Apostolus, *ubi nulla lex, nulla praevaricatio.* Hinc si non datur obligatio vitandi causam, nempe si non datur lex, quae agenti praecipit non ponere illam causam, effectus ex illa sequens ei imputari nequit, quia agens jure suo utitur, et se habet tantum permissive quoad effectum. Unde si quis equitando patitur pollutionem, et adest causa necessaria velutilis equitandi, ac deest consensus in pollutione, tunc non peccat equitando, licet praevideat pollutionem, quia in hoc casu non tenetur eam impedire.

nuunt metus, ignorantia vincibilis, et concupiscentia antecedens 1); augent ignorantia affectata, et concupiscentia consequens.

De ignorantia

Q. *Quid est ignorantia ?*

R. Est carentia scientiae in subjecto capaci.

Q. *Quotuplex est ignorantia ?*

R. Ignorantia ratione objecti potest esse juris, facti, et poenae, prout ignoratur vel lex, vel factum particulare in lege comprehensum, vel poena legi adnexa 2).

Ratione actus potest esse antecedens, concomitans, et consequens.

Antecedens est illa, quae voluntatis determinationem antevertit, ita ut, ea ablata, actio non fieret : concomitans est illa cum qua fit actio, quae adhuc fieret, si talis ignorantia abesset: consequens est illa, quae voluntatem sequitur, quatenus agens debitam diligentiam omittit 3).

Ratione vero subjecti potest esse invincibilis, et vincibilis.

Prima est illa quae, adhibita morali diligentia, quam quis potest, et debet adhibere, superari non potest; secunda, quae, adhibita morali diligentia, quam quis potest, et debet adhibere, superari potest.

Denique ignorantia vincibilis est vel crassa, seu supina, et est quando quis negligit scire, quae scire tenetur ; vel affectata, et est quando quis ex industria ad facilius peccandum non vult scire, quae scire tenetur.

Q. *Ignorantia vincibilis estne speciale peccatum ?*

---

1) Ex D. Thoma quando metus gravis et concupiscentia antecedens sunt ita vehementes, ut omnem absorbeant rationis usum, tunc voluntarium omnino tollunt.

2) Si quis ignorat praeceptum Ecclesiae annuae communionis tempore Paschali, ignorantia est juris; si ignorat hoc tempus esse Paschale,ignorantia est facti; si ignorat poenam alicui delicto adnexam, ignorantia est poenae.

3) Haec eadem est ac ignorantia vincibilis, quae adhibita morali diligentia, quam ponere solent viri prudentes in tali re, vinci potest. En exempla : Titius occidit hominem in nemore, credens certo esse belluam. Sempronius quaerit occasionem occidendi suum inimicum, quem omnino decrevit occidere ; existens in nemore, occidit revera, sed prorsus ignorans esse inimicum, credebat certo esse belluam nemoris. Cajus in eodem nemore occidit hominem, putans ex errore vincibili esse belluam. Primus agit ex ignorantia antecedenti, et dicitur agere involuntarie. Secundus agit cum ignorantia concomitanti , et dicitur agere non voluntarie. Tertius agit cum ignorantia consequenti, et dicitur agere voluntarie. Adverte, quod ignorantia antecedens est causa actus ; concomitans est causa actus materialis tantum ; ignorantia consequens quandoque est causa actus, quandoque non, prout, sublata ignorantia, actio fieret, aut non ; si fieret, est causa actus, secus non. Hinc ignorantia antecedens excusat a peccato ; ignorantia concomitans excusat a peccato effectivo, non a peccato affectivo : ignorantia consequens non excusat a peccato, et ideo dicitur consequens, quia sequitur actum voluntatis.

R. Vel loquimur de iis, quorum cognitio per se praecipitur, uti sunt mysteria principaliora Fidei, et est speciale peccatum : secus non 1).

Q. *Daturne ignorantia juris naturae ?*

R. Vel loquimur de primis principiis, et non datur, quia per se nota sunt ; vel loquimur de conclusionibus immediate deductis ex primis principiis, uti praecepta Decalogi, et nec etiam datur, quia facile deducuntur ; vel loquimur de conclusionibus mediate deductis ex primis principiis , et dari potest ; opus est enim ratiocinatione, cujus non omnes sunt capaces 2)

Q. *Daturne ignorantia invincibilis juris humani ?*

R. Maxime : cum nemo sit, qui omnes leges sciat.

Q. *Daturne ignorantia invincibilis in proprio officio ?*

R. Circa casus implicatiores et extraordinarios datur : circa obvios et ordinarios non datur, hos enim quisque scire tenetur.

Q. *Ignorantia excusat a restitutione ?*

R. Antecedens excusat, quia non adest culpa : concomitans etiam excusat, quia non adest actio externa contra justitiam commutativam : consequens vero non excusat, quia in ea habetur culpa theologica.

Q. *Ignorantia prodest ad praescribendum ?*

R. Vel loquimur de vincibili, et non prodest, quia aequiparatur malae fidei; vel de invincibili, et subdistinguo: vel est juris, et non prodest, quia nemini licet ignorare jus, vel est facti, et prodest, quia aequiparatur bonae fidei.

Q. *Ignorantia poenae excusat a poena ?*

R. Si excusat a culpa,excusat a poena. Si vero non excusat a culpa,non excusat a poena : excepta censura, et poena exstraordinaria.

Q. *Collatio simoniaca beneficii facta simoniam ignoranti estne valida ?*

R. Minime : quia irrita de jure, ex culpa illorum, qui simoniam commiserunt.

Q. *Adsunt casus, in quibus sit valida ?*

R. Maxime : 1. quando quis ignoranter recepit beneficium per simoniam a tertia persona commissam, et triennali possessione bona fide praescripsit; 2. si promovendus contradicat, ac prohibeat, et bona fide recipiat, dummodo ante collationem pactum simoniacum ratum non habeat 3) ; si commissa sit simonia in odium promoti.

---

1) Sed peccatur contra illam virtutem, contra quam ex tali ignorantia agitur ; sicut ignorantia in medico est peccatum contra justitiam, si ex tali ignorantia male curet infirmum.

2) Sic dari potest ignorantia circa mendacium ad sublevandum proximum, utrum nempe sit licitum; vel circa aliquos contractus,utrum sint liciti vel non, quia opus est ratiocinatione. — Adverte, quod in hypothesi, quod detur ignorantia invincibilis in aliquibus circa conclusiones immediate deductas ex primis principiis, haec ignorantia excusaret a peccato, et oppositum est damnatum ab Alex. VIII.

3) Dicitur *ante collationem*, quia si ipse e. g. pecuniam ab alio solutam

Q. *Exceptis his tribus casibus, qui accepit beneficium per simoniam tertii, quid agere debet ?*

R. Debet illud renunciare una cum fructibus.

Q. *Potest ad illud habilitari ab Episcopo ?*

R. Maxime : dummodo non sit curatum.

Q. *Ignorantia excusat a censuris ?*

R. Vel est invincibilis, et excusat, quia non habetur contumacia ; vel est vincibilis, et subdistinguo : vel in censura habentur illae particulae *scienter, dolose, audacter, praesumptuose*, et ignorantia excusat 1), excepta affectata 2) ; vel non habentur, et non excusat, quia sufficiens adest contumacia. Can. 2229.

Q. *Ignorantia excusat a reservatione ?*

R. Vel reservatio facta est a Summo Pontifice cum censura, et tunc si ignorantia excusat a censura, excusat etiam a reservatione, quia Pontifex reservat ratione censurae ; excepto casu accusantis confessarium de falso crimine sollicitationis, qui licet sit reservatus S. Sedi cum censura spec. modo, can. 2363, tamen est unicum peccatum ratione sui reservatum. can. 894 3). Vel reservatio facta est ab Ordinario, et tunc si ignorantia excusat a peccato, excusat etiam a reservatione ; secus non. 4), quia reservatur principaliter peccatum.

---

vel promissam tradit post collationem, etsi ante possessum, valet collatio, quoniam adest bona fides in receptione beneficii, et possessus est accessorius. Laymman cum aliis.

1) Ratio est, quia plena scientia requiritur in delinquente.

2) In novo codice can. 2229 dicitur; « A nullis latae sententiae poenis ignorantia affectata sive legis, sive solius poenae excusat, licet lex praedicta verba contineat ».

3) En textus: *Unicum peccatum ratione sui reservatum Sedi Apostolicae est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos.*

4) Juxta communiorem et veriorem sententiam. Dixi *juxta communiorem et veriorem sententiam*, quia reservatio non est quidem poena respiciens poenitentes, sed restrictio jurisdictionis respiciens confessarios, *ut atrociora quaedam crimina, non a quibusdam, sed a summis dumtaxat secerdotibus absolverentur*, ut ait Trid. Nec obstat dicere, quod licet reservatio respiciat confessarios, eorumque limitet jurisdictionem, finis tamen reservationis directe respicit poenitentes, cum tantum ad poenitentium remedium reservatio instituta sit, ut nimirum a culpis atrocioribus retrahantur ; unde, cessante fine adaequato reservationis in eam ignorantibus, cessat etiam reservatio. Nam respondetur, quod finis reservationis non est tantum ut fideles a culpis gravioribus absterreantur, sed etiam ut recipiant a Superioribus poenitentias, et monita, ac remedia opportuniora, quae nonnisi a prudentioribus applicari expedit ; ergo, cum in ignorantibus non cesset acaequate finis reservationis, reservatio non cessat. S. Alph. VI 581. Pro sadibus *papalibus* nulla occurrit difficultas, quia reservantur propter censuram, a qua ignorantia excusat. Proinde, non incursa censura, nulla remanet reservatio.

Q. *Ignorantia irregularitatis excusatne ab illa ?*

R. Ex novo codice can. 988 « Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat.

Q. *Ignorantia alicujus legis irritantis reddit validum actum ?*

R. Minime : quando lex irritat ob bonum commune. Quando vero ex irritat actum in poenam peccati, tunc ignorantia, si excusat a culpa, xcusat ab irritatione ; alias non 1).

De concupiscentia

Q. *Quid et quotuplex concupiscentia ?*

R. Est actus appetitus sensitivi prosequentis bonum delectabile, vel effugientis malum odibile : quae si exurgit in nobis, sed non a nobis, dicitur *antecedens ;* si autem in nobis et a nobis, dicitur *consequens.*

Q. *Actus concupiscentiae* 2) *suntne peccaminosi ?*

R. Concupiscentia in se non est peccatum ; sed a peccato est, et ad peccatum inclinat, ex Trid. Sui vero actus si sunt *primo-primi* , non sunt peccaminosi, quia omnem antevertunt rationis usum; si *secundo-primi*, sunt peccaminosi, habent enim semiplenam advertentiam, et semiplenum consensum; si denique *plene deliberati*, sunt graviter, vel leviter peccaminosi, prout est materia.

Q. *Quid dicendum de illo, qui sub motu deordinatae concupiscentiae negative se habet, idest nec consentit, nec resistit ?*

---

1) Lex irritans ea est, quae statuit aliquem actum a principio invalidum esse (qui alioquin esset validus), vel post judicis sententiam invalidandum. Irritatio duplex est: *poenalis* et *legalis*. *Poenalis* est illa, qua actus aliquis irritatur in poenam peccati, sic irritatur consecutio fructuum beneficii in eo, qui culpabiliter horas canonicas omittit. *Legalis* est ea, qua actus aliquis irritatur ob bonum commune, sic irritatur matrimonium cladestinum ob periculum fraudis, et matrimonium inter consanguineos et affines ob decentiam. Unde prima fundatur in praesumptione facti ob vindictam culpae; altera fundatur in praesumptione juris, seu periculi ob bonum commune, id est ne quid fiat contra bonum commune. Hinc non valet testamentum sine substantialibus solemnitatibus, nec matrimonium cum impedimento dirimente contracto, licet ignorato invincibiliter impedimento, quia haec irritantur ob bonum commune. Beneficiarius facit suos beneficii fructus, si absque culpa omittat officii recitationem ; si vero omittat culpabiliter , fructus non facit suos , etiamsi invincibiliter ignoret legem irritantem, quia haec irritatio est in vindictam culpae.

Lex autem vel est tantum irritans, sed non prohibens, uti est testamentum sine solemnitatibus, vel est tantum prohibens, sed non irritans, ut matrimonium sine bannis , vel denique est simul prohibens et irritans, uti matrimonium sine praesentia parochi et testium. In primo casu non peccat, qui ponit actum, actus tamen est irritus. in secundo casu actus est illicitus, sed validus ; in tertio casu actus est et illicitus et invalidus.

2) Intellige de concupiscentia mala.

R. Cum adest causa necessaria vel utilis 1), nullum extare potest peccatum ; nos enim non tenemur utilia vel necessaria relinquere causa motuum concupiscentiae, modo periculum consensus absit. Sed seclusa causa necessaria vel utili 2), in re gravi, si adest periculum proximum consentiendi, est grave peccatum ; si vero hoc periculum est tantum remotum, ex veriori sententia, peccatum erit tantum veniale.

De vi, et metu

Q. *Quid est vis ?*

R. Est majoris rei impetus, qui repelli non potest.

Q. *Quotuplex est vis ?*

R. Duplex : absoluta et respectiva : 1.ª est illa, cui totis viribus interius exteriusque resistitur ; 2.ª est illa, cui non resistitur omnino ; et haec circa effectus, idem est ac metus.

Q. *Potestne actui humano vis inferri ?*

R. Actibus elicitis non potest ; imperatis potest.

Q. *Vis excusat a peccato ?*

R. Maxime : dummodo adsit resistentia ex parte membrorum, et ex parte voluntatis : secus enim voluntarium non tollit, sed minuit intra eamdem speciem.

Q. *Quid est metus ?*

R. Est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.

Q. *Differtne a vi ?*

R. Maxime : nam metus afficit potentias interiores, vis exteriores ; metus minuit voluntarium, vis omnino tollit.

Q. *Quotuplex est metus ?*

R. Multiplex : levis, vel gravis ; absolutus, et respectivus, prout timetur malum revera leve vel grave, et hoc respectu omnium vel alicujus : ab intrinseco, si procedit a propria apprehensione ; ab extrinseco, si procedit

---

1) Causa necessaria esset pro parochis, qui ex justitia tenentur filianorum confessiones excipere; causa utilis esset pro medicis et chirurgis, qui professionem exercent cum lucro ; si tam illi, quam isti in eorum munere exercendo motus concupiscentiae patiuntur, negative se habendo non peccant ratione superius adducta, dummodo periculum consentiendi non adsit.

2) Nonnulli dicunt negative se habere esse peccatum, quia unusquisque tenetur resistere tentationi, et non resistendo constituitur in periculo peccandi : atqui qui amat periculum in illo peribit : ergo negative se habere peccatum est. Alii dicunt non peccari, tum quia non adest haec obligatio, cum quia peccatum consistit in consensu, et qui negative se habet, non consentit. Nos dicimus cum veriori sententia, quod si adest periculum proximum consentiendi, uti esset in re venerea, est grave peccatum, quia eadem lege, qua tenemur vitare peccatum, tenemur etiam vitare periculum peccandi ; si periculum est remotum, peccatum erit leve; si nullum est periculum, nullum erit peccatum, quia peccatum consistit in consensu, et qui negative se habet, non consentit.

a causa libera, puta si incutitur ab alio homine ; justus, et injustus, prout incutitur ab eo qui habet, vel ab eo, qui non habet jus incutiendi. Tandem potest esse reverentialis 1), qui levis reputatur, quando non est conjunctus cum minis, et precibus importunis.

Q. *Ut metus dicatur revera gravis, quid requiritur ?*

R. Ut malum, quod timetur, sit grave 2) ; ut probabiliter immineat ; et ut non adsit modus effugiendi illud.

Q. *Metus gravis excusat a peccato ?*

R. Si actio vel omissio est intrinsece mala, non excusat 3) ; secus excusat 4).

Q. *Metus gravis excusat ab adimpletione legis naturalis ?*

R. Si loquimur de praeceptis naturalibus negativis, non excusat; si loquimur de praeceptis naturalibus positivis, excusat, quum actio differri possit 5).

Q. *Metus gravis excusat a praeceptis legis positivae divinae* 6), *vel humanae ?*

R. Regulariter loquendo excusat: dixi regulariter loquendo, quia si ex aliqua circumstantia actio vel omissio esset intrinsece mala, tunc non excusat. Hinc non licet ex metu frangere sigillum sacramentale, conficere sacramenta sine debita materia vel forma, agere, vel omittere aliquid in contemptum legis, vel religionis.

---

1) Metus reverentialis est ille, quo quis veretur resistere ei, cui subjicitur, nempe patri, matri, avo, socero, marito, Regi, Domino, Praelato, tutori, et curatori, ut communiter docent DD. S. Alph. VI 1056.

2) Malum grave communiter censetur : mors, mutilatio, diuturnus carcer, gravis damnificatio, stuprum, infamia, injusta excommunicatio, amissio nobilitatis, vel majoris partis bonorum, vel rei notabilis, aut pretiosae. Ita Sanch. d. 5.

3) Hinc sub metu gravi nunquam licet simulare falsam fidem, quia perinde id esset, ac veram exterius negare, quod intrinsece malum est, aperte id constat ex verbis Christi : '*Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* Luc. IX. 26 — At licet sub metu gravi dissimulare seu occultare fidem veram, secluso scandali periculo, quia non semper urget praeceptum fidei confitendae. S. Lig. II. 12

4) Non defectu voluntarii, quia metus non tollit voluntarium, sed quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo.

5) Ratio : quia praecepta naturalia negativa obligant semper, et quoad semper, idest singulis momentis : praecepta affirmativa obligant semper, sed non quoad semper.

6) Lex divina positiva est : *Lex exterius data a Deo hominem dirigens ad finem supernaturalem.* Dicitur *lex exterius data*, ut distinguatur a lege naturali : haec enim datur interius per lumen rationis : illa vero manifestatur exterius per sacras Scripturas et per divinas Traditiones: dicitur a *Deo* ut distinguatur a lege humana, quae fertur ab homine : dicitur *hominem dirigens ad finem supernaturalem*, quia sicut lex humana ducit hominem ad finem naturalem, ita lex divina positiva eundem ducit ad finem supernaturalem atque felicitatem aeternam.

Q. *Estne validum votum emissum per metum gravem ?*

R. Minime : si metus est injuste incussus a causa libera, et ad extorquendum consensum in voto.

Q. *Iuramentum promissorium extortum per metum gravem estne obligatorium ?*

R. Iusjurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur. Hinc si adjicitur actui directe vergenti in damnum aliorum, aut in praejudicium boni publici vel salutis aeternae non obligat ; secus obligat, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest. Ita novus codex. 1) En textus.

Q. *Metus gravis excusat a censuris ?*

R. Ex novo codice can. 2229 « Si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, gravis metus a poenis latae sententiae nullatenus eximit ; secus eximit ». 2)

Q. *Metus excusat a reservatione ?*

R. Si excusat a peccato, excusat a reservatione ; si non excusat a peccato, videndum : si reservatio est ab Episcopo, non excusat, quia Episcopus reservat ratione peccati. Si vero est a Pontifice , cum Pontifex reservet propter censuram, metus excusans a censura, excusat etiam a reservatione

De moralitate actuum humanorum.

Q. *Quid est actus moralis ?*

R. Est actus humanus in ordine ad regulas morum 3).

Q. *Quaenam sunt regulae morum ?*

---

1) Can. 1318.1.° « Iusjurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur. 2.° Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praejudicium boni publici vel salutis aeternae jusjurandum adjiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem. »

Ratio discriminis inter votum et juramentum est, quod votum est benignae interpretationis, quia in voto Deus venit uti promissarius : et juramentum est strictae interpretationis, quia in eo Deus venit uti testis.

2) Hinc si quis sub metu gravi legit librum haeretici propugnantis haeresim, peccat ob periculum subversionis, sed non incidit in censuram, quia non est in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis, et Ecclesiae leges non obligant cum gravi incommodo. Eadem ratione non incidit in censuram qui sub metu gravi, id est ad avertendum condominium, emit bona ecclesiae. Similiter qui sub metu gravi percutit clericum, non in contemptum ecclesiasticae auctoritatis, peccat, quia laedit jus ad personam, sed non incidit in censuram, quia censura est lex exclesiae, et ecclesia non obligat cum gravi incommodo. Si vero percutit clericum in contemptum ecclesiasticae auctoritatis peccat, et incidit in censuram. Si excommunicatus vitandus extra periculum mortis absolveret sub metu gravi, peccat, et incidit in irregularitatem, quia sacramentaliter absolvere absque jurisdictione cedit in damnum animarum.

3) Actus humanus regulariter loquendo non differt ab actu morali.

R. Sunt duae : proxima, id est conscientia ; et remota, id est lex.

Q. *Quotuplex est actus moralis ?*

R. Est vel bonus, vel malus: bonus, quando est secundum regulas morum ; malus, quando est contra.

Q. *Danturne actus indifferentes ?*

R. In objecto dantur, in subjecto non dantur, tenemur enim omnia dirigere ad Deum ; et ideo si actiones, quae per se essent indifferentes, dirigimus ad Deum, erunt bonae ; si non dirigimus erunt malae.

Q. *Unde actus humani desumunt suam bonitatem vel malitiam ?*

R. Primariam bonitatem, vel malitiam sumunt ex objecto ; secundariam a fine extrinseco, seu a fine, quem sibi agens proponit ; tandem ex aliis circumstantiis 1).

Q. *Adsunt casus, in quibus actus humani primariam bonitatem, vel malitiam desumunt a fine et circumstantiis ?*

R. Maxime : et sunt 1. quando fit aliquod opus objective indifferens. 2. quando fit aliquod opus bonum ob finem malum 2), vel cum circumstantia mala 3).

Q. *Bonitas finis extrinseci tollit malitiam actus pravi ?*

R. Minime : sed tantum minuit; quia opus bonum debet esse integrum, scilicet bonum ex objecto, fine, et circumstantiis, juxta illud : *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Q. *Circumstantia leviter mala tollitne totam bonitatem actionis ?*

R. Si est causa actionis, tollit, quia totam vitiat actionem; secus non, sed tantum minuit.

DE CONSCIENTIA

Q. *Quid est conscientia ?*

R. Est dictamen practicum rationis de justitia vel injustitia nostrarum actionum.

Q. *In quo differt conscientia a synderesi ?*

Dico regulariter loquendo, nam in pueris differt; quia nondum sunt capaces regulae morum.

1) Objectum est *illud, circa quod actio versatur*, uti res aliena in furto. Finis est *ille, cujus gratia aliquid fit ; et* praecipue duplex est, *operis* nempe et *operantis*. Finis operis, seu *intrinsecus* est ille, ad quem opus per se tendit. Finis operantis, seu *extrinsecus* est ille, quem agens sibi proponit: e. g. finis. intrinsecus orationis est laudare Deum, extrinsecus impetrare sanitatem etc.

2) Uti est audire sacrum ob vanam gloriam.

3) Uti verificatur, si conjuges rem habeant inter se coram aliis : in hoc casu actio, quae inter ipsos est bona , ratione scandali evadit mala, et malitia primario desumitur ex circumstantia.

R. In hoc : synderesis est notitia primorum principiorum moralium conscientia est judicium applicans morale principium alicui actioni particulari : hinc synderesis est habitus ; conscientia est actus 1).

Q. *Quotuplici modo dictat conscientia ?*

R. Vel sub praecepto, vel sub consilio ; dictans fugiendum malum, dictat semper sub praecepto : dictans bonum faciendum, aliquando dictat sub praecepto, aliquando sub consilio.

Q *Quotuplex est conscientia ?*

R. Alia est *recta*, alia *erronea*, alia *probabilis*, alia *dubia*, alia *scrupulosa*.

De conscientia recta, et erronea

Q. *Quid est conscientia recta ?*

R. Est illa, qua ex veris principiis veras conclusiones deducimus 2).

Q. *Qui agit contra conscientiam rectam, peccatne ?*

R. Si dictat sub praecepto, semper peccat, quia agit contra regulam proximam suarum actionum, et peccat graviter vel leviter, prout conscientia dictat. Si vero dictat in genere, et confuse (scilicet non distinguendo an sit peccatum leve vel grave), et tunc ex Ligorio, si est persona laxae conscientiae, probabilius graviter peccat, quia praesumitur velle illud peccatum, etiamsi sit grave ; si vero est persona timoratae conscientiae, leviter peccat ex contraria praesumptione.

Q. *Qui agit contra conscientiam rectam, committitne speciale peccatum distinctum ab eo, quod committitur contra legem ?*

R. Minime : nam conscientia et lex praecipiunt sub eodem motivo formali.

Q. *Quaenam est conscientia erronea ?*

R. Est illa, quae ex veris, vel ex falsis principiis falsas deducit conclusiones ; et potest esse vincibilis, vel invincibilis 3).

---

1) Conscientia, ait Suarez, deponi potest : atqui potentia deponi non litest : ergo conscientia est actus non potentia. Insuper coscientia est appocatio legis ad aliquem actum particularem ; atqui applicatio est actus non potentia : ergo conscientia est actus non potentia.

2) Haec conscientia recta potest esse speculative, et pratice recta, et practice tantum recta : prima est, quando quod dictat revera est tale ex parte rationum, et ex parte rei ; altera habetur, quando id, quod dictat, tale est ex parte rationum, sed non ex parte rei ; talis fuit illa Jacobi accedentis ad Liam pro Rachele ita secum discurrentis: Licet ad propriam uxorem accedere; sed haec est Rachel mea uxor: ergo licet ad eam accedere. At erravit in facto, illa enim erat Lia, non Rachel. Ita nonnulli conscientiam rectam distinguunt. At alii dicunt : illa, quam ipsi *practice tantum rectam* vocant, potius practice erronea dicenda est, quoniam in praxi, nempe in facto, errat.

3) Dicitur invincibilis,quae moraliter vinci nequit, vel quia nulla cogitatio, nullumque dubium,ne in confuso quidem in mentem operantis venit vel quia, adhibita morali diligentia, superari nequit. Viceversa dicitur vincibilis.

Q. *Qui agit contra conscientiam erroneam, peccatne?*

R. Maxime : sive sit vincibilis, sive invincibilis. Si est vincibilis, peccat eligendo, quod judicat esse malum ; si est invincibilis etiam peccat, quia agit contra suarum actionum putatam regulam proximam 1), et committit peccatum illius speciei et gravitatis, quam intellectus judicat 2).

Q. *Peccatne, qui agit juxta conscientiam erroneam?*

R. Si est invincibiliter erronea, non peccat ; si est vincibiliter erronea peccat, quia, quum possit, et debeat deponere suum errorem, illum non deponendo temere agit; excipe, si agat juxta conscientiam erroneam dictantem uti praeceptum aliquod bonum, quod revera praeceptum non est 3).

Q. *Quid de eo, qui judicat utramque partem contradictionis esse peccatum?*

R. Hic dicitur esse in conscientia *perplexa*. Si error est vincibilis peccat agendo, quia non adhibet diligentiam ; si est invincibilis non peccat, quia deest libertas 4).

Q. *Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitente, qui laborat conscientia erronea?*

R. Si error est vincibilis, debet illum instruere ; si est invincibilis, subdistinguo : vel error est circa ea, quae reddunt poenitentem incapacem absolutionis 5), aut vergunt in damnum commune, et debet illum instruere ; secus iterum videndum : vel correctio est profutura, et debet illum monere, vel non est profutura, et melius est tacere.

---

1) Hoc intelligitur quando conscientia erronea praecipit aliquod, quod revera non est praeceptum ; vel quando prohibet, quod revera prohibitum non est ; non vero quando conscientia erronea dictat aliquid tantum sub consilio.

2) Hinc qui putat esse jejunium, quando non est, ob conscientiam erroneam peccat contra legem jejunii, si non jejunet. Qui percutit laicum putans esse sacerdotem, praeter peccatum contra justitiam, ob conscientiam erroneam peccat etiam contra religionem; ait enim S. Thomas *Actus judicantur secundum voluntatem agentium.* Attamen qui ex conscientia erronea putat incurrere censuran, quae revera non adest, in eam non incurrit, quia poenae putatae non incurruntur, sic v. g. qui percutit laicum putans illum esse clericum, non incurrit excommunicationem.

3) Sic qui ex errore vincibili credit obligari ad audiendam Missam, et, nulla adhibita diligentia, Missam audit, non peccat.

4) Hinc si mulier credit ex errore invincibili esse peccatum relinquere sacrum, ut assistat infirmo, et aeque esse peccatum relinquere infirmum, quomodocumque agat, non peccat, si tollere non potest hunc suum errorem.

5) Hinc si poenitens invincibiliter ignorat dispositiones necessarias ad obtinendam absolutionem, vel ignorat mysteria, quae scire debet necessitate medii, debet illum instruere confessarius.

De conscientia probabili

Q. *Quid est conscientia probabilis ?*

R. Est dictamen rationis, quo quis gravi fundamento nitens, sed non omnino certo, adhaeret uni parti cum formidine de opposito 1).

Q. *Quotuplex est conscientia probabilis ?*

R. Multiplex : levis probabilitatis, et est quando nititur levi fundamento; gravis, seu verae probabilitatis, et est quando nititur gravi fundamento. Haec subdividitur in probabilem, probabiliorem, et probabilissimam : prima includit majorem formidinem de opposito, secunda minorem, tertia minimam. Tandem potest esse probabilis ab intriseco, quando nititur rationibus ; et probabilis ab extrinseco, quando nititur auctoritati Doctorum.

Q. *Quaenam est opinio tuta ?*

R. Est illa, quae favet legi : haec excludit omne periculum peccandi tam formale, quam materiale.

Q. *Potest dari opinio magis probabilis, et minus tuta ?*

R. Maxime : et est, quando opinio nititur gravioribus rationibus, et tamen non favet legi.

Q. *Debemusne semper sequi opinionem tutam ?*

R. Minime : et oppositum est damnatum ab Alex VIII.

Q. *Possumusne sequi opinionem probabilem ?* 2)

R. Vel est levis probabilitatis, et non possumus, nam oppositum est damnatum ab Innoc. XI ; vel est verae probabilitatis, et subdistinguo, non licet uti opinione probabili : 1. in materia fidei ; 2. in materia sacramentorum ; 3. in materia justitiae in causis civilibus, uti constat ex propositionibus damnatis ab Innoc. XI ; 4. quando adest periculum violandi jus certum proximi 3) ; et 5. in materia medicaminum, quia in his debemus semper sequi opinionem tutiorem. In aliis materiis vero, quando opinio est verae, et gravis probabilitatis, non est prohibitum eam sequi 4).

---

1) Dicitur cum formidine, quatenus fundamentum est ita verum, ut possit esse etiam falsum.

2) Adverte, quod unus auctor non sufficit , ut ejus opinio gravi probabilitate extrinseca gaudeat, et oppositum est damnatum ab Alex VII. excipe, si auctor sit omni expectatione major, afferatque rationes, quas alii non examinaverint, vel non satis solverint , ita D. Thomas, Ligorius etc. Attamen quisque potest acquiescere auctoritati sui confessarii, Episcopi, vel Superioris, modo non constet esse improbabile, quod dicunt.

3) Hinc non potes occidere belluam, si probabiliter putas esse hominem, licet probabilius putes esse belluam.

4) Theologorum systemata circa probabilismum sunt quinque, nempe Tutiorismus, Probabiliorismus, Aequiprobabilismus, Probabilismus. Laxismus.

Tutiorismus docet in concursu duarum opinionum, quarum una favet libertati, altera stat pro lege, semper tutiorem partem esse sequendam, licet

Q. *In materia sacramentorum estne aliquando licitum sequi opinionem probabilem. ?*

probabilior sit altera pars contradictoria. Ratio, quia in re morali mediis uti oportet, quae omne periculum peccandi excludunt : atqui id obtinetur eligendo partem tutiorem : ergo tutior pars est eligenda ; unde illud axioma: In dubiis tutior pars est eligenda.

Probabiliorismus docet in concursu duarum opinionum aeque vel fere aeque probabilium, quarum una favet legi, altera libertati sequendam esse opinionem pro lege. Ratio, quia ad recte et prudenter operandum, morale periculum peccandi praecaveri debet, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, peribit in illo :* atqui hoc periculum praecavetur sequendo legem : ergo sequenda est lex. Si autem opinio, quae stat pro libertate, sit evidenter et notabiliter probabilior opinione, quae stat pro lege, docent licitum esse illam sequi citra culpam.

Aequiprobabilismus docet in concursu duarum opinionum, quae aequali, vel fere aequali probabilitate pollent, licitum esse amplecti opinionem minus tutam pro libertate, relicta tutiore pro lege, dummodo possidet libertas. Ratio, tum quia lex dubia non potest parere certam obligationem tum quia nemo tenetur se spoliare jure certo pro lege dubia. Si vero possidet lex, sequenda est lex.

Probabilismus docet licitum esse sequi opinionem minus tutam, et minus quoque probabilem pro libertate, dummodo vera probabilitate gaudeat, relicta tutiore pro lege. Ratio, quia qui probabiliter agit, prudenter agit.

Laxismus docet licitum esse sequi opinionem faventem libertati etiam tenuiter tantum probabilem, licet opinio pro lege sit probabilissima. Ratio, quia qui probabiliter agit, prudenter agit.

Tutiorismus et Laxismus fuerunt ab Ecclesia damnati, non quidem cetera systemata, D. Alphonsus aequiprobabilismum amplectitur, et sic de omnibus disputat.

Quoad probabiliorismum — S. Doctor sic ratiocinatur. Probabilioristae falso laborant supposito. Ipsi supponunt quod in aequali vel fere aequali probabilitate pro libertate et pro lege favendo libertati operetur cum dubio, non vero cum morali certitudine, hoc falsum est, nam agens per principium reflexum removet dubium, sibi efformat conscientiam moraliter certam, et cum morali certitudine operatur : ergo si probabilioristae falso laborant supposito, tota eorum argumentorum vis corruit.

Quoad Probabilismum — S. Doctor ita tradit. In re morali prudenter agit, qui agit cum morali certitudine, non vero qui agit cum probabilitate. Qui relictis decem rationibus pro lege sequeretur libertatem cum quinque rationibus non prudenter, sed imprudenter ageret : ergo hoc systema levi innititur fundamento, ac proinde non est admittendum.

Quoad Aequiprobabilismum — S. Alphonsus his rationibus suum systema probat ; 1.° quia lex dubia non obligat. 2.° quia in dubio et pari causa melior est conditio possidentis : 3.° quia si in aequali vel fere aequali probabilitate pro libertate et pro lege sequenda esset lex, haberetur certum ex incerto, quod regulis logicae repugnat : 4.° quia antecedenter ad omnem legem homo possidet libertatem, dicente Scriptura (Eccl. c. 10) *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* Hinc ait Sanctus Doctor, absurdum esset imponere homini legem, nisi liber fuisset; ergo

R. Maxime : in casu extremae necessitatis : sed administrandum est sacramentum sub conditione, ne illud nullitati exponatur.

Q. *Circa jurisdictionem ministri in sacramentis estne licitum sequi opinionem probabilem ?*

R. Vel jurisdictio respicit ordinem exteriorem, ut in Baptismo, Confirmatione etc. , licet. Vel respicit validitatem, ut in Poenitentia, quaestio : alii dicunt non posse, quia in sacramentis non est licitum ; alii dicunt posse, quia propositio damnata loquitur de materia, et de forma sacramentorum non vero de jurisdictione, quae licet de jure divino requiratur ad valide absolvendum, tamen dare, vel restringere jurisdictionem pertinet ad Ecclesiam, quae supplet in hoc casu. Ita novus codex 1).

Q. *Estne licitum absolvere poenitentem juxta opinionem probabilem ipsius poenitentis ?*

R. Maxime : confessarius est enim judex dispositionum, non vero opinionum poenitentis.

Q. *Estne aliquando licitum in materia medicaminum sequi opinionem probabilem ?*

R. Maxime : quando nulla adest spes salutis infirmi, nec habetur aliud remedium.

Q. *Adsunt casus, in quibus in materia justitiae possumus sequi opinionem probabilem ?*

R. In justitia criminali potest judex sequi opinionem probabilem, quia debet favere reo, quantum potest ; pro justitia commutativa in causis civilibus nequaquam.

Q. *Quid ergo agere debet judex in hisce dubiis ?*

R. Si dubium nequaquam potest tolli, debet componere partes, vel definire litem pro rata dubii.

Q. *Advocatus potest suscipere patrocinium causae probabilis ?*

R. Maxime : debet tamen monere clientem de statu causae ; secus tenetur ad damna, si, dubio cognito, cliens causam non faceret.

De conscientia dubia

Q. *Quid est conscientia dubia ?*

R. Est dictamen rationis, quo quis neutri parti adhaeret, sed anceps manet inter utramque.

---

nisi constet certo de lege, quae coarctet anteriorem libertatem hominis, homo liber est in agendo: atqui in concursu duarum opinionum aeque vel fere aeque probabilium pro libertate et lege non constat certo de lege: ergo sequi potest libertas.

1) In can. 209 dicitur : « In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive juris sive facti, jurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno ».

Q. *Quotuplex est conscientia dubia ?*

R. Multiplex : positive dubia, et est quando adsunt rationes aequales pro utraque parte : negative dubia, et est quando non adsunt rationes pro utraque parte, vel si adsunt, sunt leves 1). Insuper potest esse speculative dubia, quando dubitatur in genere praescindendo ab executione : uti an liceat die festo pingere ; practice dubia, et est quando dubitatur in praxi : uti an mihi hoc die festo liceat pingere ad victum quaerendum. Potest esse etiam dubia juris, et dubia facti, prout dubitatur de lege, aut de facto.

Q. *Estne licitum agere cum conscientia dubia ?*

R. Minime : quia sic agens exponeret se periculo peccandi 2).

Q. *Dubitans de lege, tenetur ad legem ?*

R. Vel dubium est de existentia legis, vel de promulgatione legis, vel de inceptione legis, puta an jam advenerit tempus obligationis legis, et adhibita diligentia, et non ablato dubio, non tenetur, quia possessio stat pro libertate 3). Vel dubium est de acceptatione legis, vel de adimpletione, vel de cessatione legis, et adhibita diligentia, et non ablato dubio, tenetur ad legem, quia possessio stat pro lege.

Q. *Dubitans de voto, tenetur ad votum ?*

R. Distinguo : vel dubium est de emissione voti, adhibita diligentia et dubio non ablato, non tenetur, quia possessio stat pro libertate 4); vel dubium est de adimpletione voti, et adhibita diligentia, et non ablato dubio, tenetur, quia possessio stat pro voto.

Q. *Dubitans, an habuerit intentionem se obligandi in voto, tenetur ad votum ?*

R. Maxime : quia *actus praesumitur factus, uti fieri solet.*

Q. *Dubitans de qualitate vel de quantitate voti ad quid tenetur ?*

---

1) Hinc conscientia positive dubia aequivalet conscientiae aeque probabili. Conscientia negative dubia, quatenus habet leve fundamentum pro una parte, aequivalet conscientiae levis probabilitatis.

2) Intellige de conscientia practice dubia. Et ratio est, quia agens se exponit periculo peccandi : atqui qui amat periculum, peribit in illo : ergo qui agit cum conscientia practice dubia, peccat. Insuper, ait Apost., *Omne quod non est ex fide*, id est ex interna fiducia, *peccatum est :* atqui qui agit cum conscientia practice dubia, non agit ex interna fiducia : ergo peccat. Hinc agens hoc in casu debet deponere dubium per aliquod principium reflexum ; sic sibi efformat conscientiam certam, et potest agere. Principia reflexa sunt : 1.° Lex dubia non potest certam inducere obligationem. 2. In dubio melior est conditio possidentis. 3. Factum non praesumitur, sed probandum. 4. In dubio omne factum praesumitur rite factum, sive in dubio standum est pro valore actus. 5. In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus. Lig., lib. I. cap. n. 24, et seq.

3) In hisce casibus probabilioristae dicunt teneri ad legem.

4) Probabilioristae dicunt teneri.

R. Adhibita diligentia, et dubio non ablato, tenetur ad minorem quantitatem, quia in odiosis stricte facienda est interpretatio 1).

Q. *Dubitans de possessione rei tenetur ad restitutionem?*

R. Vel dubium est antecedens, et adhibita diligentia, et non ablato dubio, tenetur ad restitutionem pro rata dubii, quia dubium antecedens aequiparatur malae fidei ; vel dubium est subsequens, et adhibita diligentia et non ablato dubio, non tenetur, quia melior est conditio possidentis 2).

Q. *Possessor dubiae fidei subsequentis potestne vendere rem possessam?*

R. Maxime : tenetur tamen monere emptorem de tali dubio :

Q. *Qui emit rem cum dubio antecedenti, peccatne?*

R. Si emit animo restituendi domino comparenti, non peccat ; dominus tamen non tenetur denuo solvere pretium rei.

Q. *Dubitans de validitate matrimonii potest petere, et reddere?*

R. Vel dubium est antecedens, et adhibita diligentia, et non ablato dubio, non potest petere, debet tamen reddere parti bona fide petenti, quia ex novo codice can. 1111. haec ab initio matrimonii habet jus ad actus proprios conjugalis vitae 3) ; vel dubium est subsequens, et adhibita diligentia, et non ablato dubio, potest petere, et reddere 4), quia melior est conditio possidentis.

Q. *Si ambo contraxerunt cum dubia fide, possunt petere ac reddere?*

R. Adhibita diligentia, et dubio non ablato, non possunt, quia nemo habet jus.

Q. *Dubius de censura debet se gerere uti censuratum?*

R. Iste debet adhibere diligentiam, et tempore diligentiae debet se gerere uti censuratum, ne exponatur periculo violandi censuram. Diligentia adhibita, et dubio non ablato, tunc aut dubium est de jure (puta an censura fuerit latae, vel ferendae sententiae), aut dubium est de facto (puta an percussio clerici fuerit mortaliter peccaminosa), in foro conscientiae non debet se gerere uti censuratum. Vide Ligor VII. 67. Si vero (certus de censura) dubitat an fuerit absolutus ab ea, vel an tempore debito interposuerit ap-

---

1) Probabilioristae dicunt esse dividendam materiam voti pro rata dubii.

2) Hic adverte, quod possessor dubiae fidei subsequentis statim ac venit in dubiam fidem,si non adhibet diligentiam, peccat, et, comparente domino, tenetur ad rem, et ad fructus perceptos a tempore, quo coepit dubitare.

3) En canon « *Utrique conjugi ab ipso matrimonii initio aequum jus et officium est, quod attinet ad actus proprios conjugalis vitae.* » — Ut possit petere, indiget dispensatione Pontificis ab impedimento, si adesset : si vero post obtentam dispensationem invenit matrimonium fuisse nulliter celebratum, non tenetur petere novam dispensationem.

4) Si, adhibita diligentia, invenit quis certo fuisse matrimonium nulliter celebratum, tunc non potest petere, neque reddere, licet altera pars sit in bona fide, quia fornicatio est intrinsece mala.

pellationem, vel an fuerit censura emanata ad terrorem aut animo ligandi, tunc debet se gerere uti censuratum, quia possessio stat pro censura.

Q. *Dubius de irregularitate tenetur se gerere, uti irregularem?*

R. Debet adhibere diligentiam, et tempore diligentiae debet se gerere uti irregularem, ne se exponat periculo violandi irregularitatem. Adhibita diligentia, et non ablato dubio ; si dubium est juris, non debet se gerere uti irregularem, quia irregularitas debet esse expressa in jure ; si dubium est facti, nec etiam debet se gerere uti irregularem , quia irregularitas, cum sit odiosa, restringi debet ad solos casus certos.

De conscientia scrupulosa

Q. *Quid est conscientia scrupulosa?*

R. Est ea, quae ex inanibus rationibus suspicatur esse peccatum, ubi re vera non adest.

Q. *Licetne agere contra conscientiam scrupulosam ?*

R. Maxime : immo tenemur 1).

DE LEGIBUS

De legis natura et divisione

Q. *Quid est lex?*

R. Est *rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata ;* ita D. Thomas 2).

Q. *Quotuplex est lex?*

R. Aeterna, naturalis, et positiva. Lex aeterna est ipsa Dei voluntas ordinem servari jubens, perturbari vetans; ita D. Augustinus. Lex natura-

---

1) Ex D. Ligorio etsi consultius est confiteri omnia mortalia dubia ad conscientiae tranquillitatem, tamen ab hac obligatione omnino eximi debent scrupulosi, et ii, qui sunt timoratae conscientiae, qui non solent deliberate lethaliter peccare ; ipsi enim, maxime post generalem confessionem rite factam, non tenentur confiteri, nisi quae certo possunt jurare fuisse mortalia, et nunquam dixisse. Lig, VI, 476, 477.

2) Hinc sequitur, quod conditiones necessariae ad legem requisitae sunt ; ut lex sit possibilis, justa, directa ad bonum commune, et promulgata. Patet etiam discrimen inter legem, et praeceptum ; lex afficit communitatem et locum, praeceptum afficit personam ubicumque sit commorans; lex est perpetua, praeceptum cessat morte praecipientis, vel subditi.

Lex posterior, a competenti auctoritate lata, abrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam ; sed lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur. Ita novus codex can. 22.

lis est participatio legis aeternae, quae innotescit creaturae rationali per lumen rationis 1). Lex positiva est illa, quae actu positivo a Superiore intimatur. Lex positiva est divina, vel humana : divina est veteris et novi Testamenti : humana est Canonica, Civilis et Gentium 2).

---

1) Unde obligat omnes homines statim ac ad usum rationis perveniunt.

2) Nonnullae leges in praesumptione fundantur, scilicet subditos obliant, quia aliquid praesumunt. Ejusmodi praesumptio duplex esse potest vel *juris* seu *periculi moralis*, vel *facti*. Prima est, qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat adesse verum mali periculum v. g. doli et fraudis; ideo non attendit factum, sed habet pro ratione periculum generale alicujus mali; hinc prohibetur matrimonium clandestinum, quia periculum adest, quod negetur hujusmodi matrimonium *contractum*. Secunda est, qua Legislator credit aliquod factum intervenisse, super quo proinde disponit ; hinc Superior conjuges adstringit ad debitum reddendum, quia supponit factum, nempe matrimonium validum constare inter eos. Hoc posito si lex fundatur tantum in *praesumptione facti*, si factum non existit, in conscientia non obligat, quia deficit totum obligationis fundamentum. Si vero lex fundatur in praesumptione *juris* seu *periculi* , semper obligat in conscientia, etsi malum,quod timetur, in aliquo casu particulari non eveniat, alioquin fraus legi quam facile fieri posset ; unusquisque enim illico diceret respectu sui nullum adesse periculum, et sic inutilis lex evaderet. Adde periculum generale semper adesse ; lex autem hoc spectat.

Lex humana, quando obligat tantum sub culpa, dicitur moralis ; quando tantum sub poena, dicitur poenalis ; quando sub culpa, et sub poena, dicitur mixte poenalis.

Quaestio est inter Theologos, utrum lex tributorum seu gabellarum sit pure an mixte poenalis. Hinc tres sunt, hac de re praecipuae sententiae. Prima, quam S. Alphonsus (sane pro suo tempore) communissimam appellat ac probabiliorem, affirmat esse mixte poenalem. Id eruitur : 1.° ex verbis Christî, Matth. XXII. 21 : *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari ; et S* . Pauli Rom. XIII, 5: *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ; ideo enim et tributa praestatis. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal.* 2.° Ex ratione, quia sicut Rex tenetur vacare saluti populi, administrationi justitiae et aliis oneribus , sic contra tenetur populus ex justitia et de jure naturali solvere Principi vectigalia, ut haec adimpleat. Unde S. Doctor inquit : *Ego non omitto primam sententiam suadere.* — Secunda sententia negat ; haecque tenet universim leges tributarias esse mere poenales. Ratio est, quia hae leges generatim sub poena imponuntur : unde juste praesumitur legislator nolle obligare etiam sub culpa. Accedit, quod si tot tributa solverentur integra, excederent certo societatis necessitatem. Proinde non est verisimile voluisse legislatorem sub culpa obligare : maxime quia solutio poenae compensat fraudationem tributi, et sic finis legis sufficienter obtinetur. Quibus fuse expositis: *an autem* (concludit S. Alphonsus) *propter has rationes, quae caeterum non videntur contemnendae, ipsa* (sententia) *sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto* — Tertia sententia mediam viam tenet, et dicit: peccant fraudantes tributa, sed non tenentur ad restitutionem. Ratio, quia subditi tenentur quidem leges servare et tributa solvere, sed non secus ac ipse Princeps tenetur recte gubernare, videlicet ex sola justitia legali, a cujus laesio-

Q. *Requiritur acceptatio populi, ut lex obliget ?*

R. Pro legibus ecclesiasticis non requiritur ; pro civilibus, si absque justa causa eas populus non acceptat, peccat, et oppositum est damn. ab Alex VII ; si habet justam causam, potest ad Principem reclamare.

De iis, qui possunt condere leges humanas, et de iis, qui debent eas servare.

Q. *Datur in hominibus potestas condendi leges ?*

R. Maxime : et est de fide : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. XIII, 1.

Q. *Quinam possunt condere leges ecclesiasticas, vel civiles ?*

R. Pontifex, et Concilia generalia pro tota Ecclesia ; Episcopi, et omnes qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo pro suis subditis 1). Leges civiles vero Summi Imperantes.

Q. *Quinam tenentur servare leges humanas ?*

R. Omnes adulti, et subditi 2).

---

ne non oritur restitutionis obligatio. Ita plures recentiores. Hinc admonendi sunt populi, ut tributa solvant. Sed, post factum, non sunt cogendi ad restitutionem, *si probabiliter*, ut ait S. Alphonsus III, 617, *sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine se aliquid injustum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates.*

1) Declarationes, et decreta SS. Congregationum, quando sunt a Pontifice approbata, et de ejus mandato publicata, tunc habent vim legis ; secus habent tantum auctoritatem doctrinalem *in similibus casibus.*

2) Legi naturae sunt omnes homines subjecti statim ac nascuntur, eo quod naturam rationalem habent ; legi humanae sunt tantum subjecti omnes et soli subditi rationis habitualiter compotes, quia homines, habitualiter usu rationis carentes, legibus dirigi non possunt. Unde infertur : 1. Non licet provocare infantes et amentes ad rem intrinsece malam ; v. g. ad blasphemias, turpitudines, etc. quia illi, utpote naturam rationalem habentes legi naturali *in actu primo*, seu radicaliter obligantur, ideoque formaliter peccant, qui eos ad actus intrinsece malos provocant.— 2. Infantes, et perpetuo amentes non sunt legi humanae subjecti, quia habitualiter usu rationis carent, hinc licet eis dare carnes edendas diebus, quibus illae ab Ecclesia prohibentur.—3.Amentes tamen ad breve tempus, vel qui multa lucida habent intervalla, ebrii et dormientes sunt legi subjecti,quia sunt in statu habituali usus rationis ; per accidens tamen sunt ab ea excusati, si non sunt actualiter rationis compotes; hinc non licet eis dare carnes diebus prohibitis. S. Lig. I, 155.—4. Infideles, nimirum quicumque baptismo non sunt expiati, legibus ecclesiasticis non obligantur ; quia Ecclesiae jurisdictioni nondum subjiciuntur,quamvis teneantur Ecclesiam ingredi.—5.Haeretici, schismatici, et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, legibus ecclesiasticis tenentur, quia quamvis sint rebelles, non cessant esse ob baptismum Ecclesiae subditi. — Eadem causa Ecclesiae legibus adstringuntur excommunicati, quamvis de Ecclesia ejecti fuerint; secus enim ex malitia sua commodum reportarent. Gury.

Q. *Quaenam aetas requiritur ?*

R. Aetas usus rationis 1); excipe legem jejunii, quae requirit aetatem vigesimi primi anni completi, uti fusius in Appendice.

Q. *Superior tenetur servare leges suas ?*

R. Maxime : ex vi directiva, idest ad bonum exemplum.

Q. *Vagus tenetur ad leges municipales loci, ubi reperitur* 2) ?

R. Ex novo codice can. 14. Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus, quae vigent in loco, in quo versantur.

Q. Advena tenetur 3) ?

R. Maxime : quia fit incola illius loci.

Q. *Peregrinus tenetur* 4) ?

R. Ex novo codice can. 14 « Peregrini non adstringuntur legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum solemnia determinant. At legibus generalibus tenentur, etiamsi hae

---

Religiosi exempti ad leges episcopales non tenentur, nisi quando Episcopus : 1. fert leges, uti delegatus Apostolicus ; 2. fert censuras, et interdicta in populum : hinc non possunt in suis Ecclesiis admittere sacerdotes suspensos ab Episcopo ad celebranda divina mysteria, nec ipsi possunt ingredi Ecclesias ab Episcopo interdictas ; 3. indicit preces, jejunia, publicas supplicationes et alia ob utilitatem populi ; dummodo haec non repugnent statui eorum ; 4. fert statuta, quae respiciunt administrationem sacramentorum, sacrificium Missae, et sacrum cultum. Lig.

Clerici legibus civilibus : 1. certo non obligantur, si repugnant immunitati Ecclesiasticae adhuc vigenti, vel eorum statui, aut sacris canonibus, ita communiter ; 2. certo obligantur ad omnes leges, quae bonum commune immediate spectant ; 3. Quoad alias leges, videntur teneri sicut et caeteri, quia sunt pars communitatis, et Ecclesia id exigit, et praecipit. Ita communius, uti Suarez etc.

1) In novo codice can 12 dicitur : *Legibus mere ecclesiasticis non tenentur, qui baptismum non receperunt, nec baptizati, qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui licet rationis usu assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.* — Hinc si certo constat aliquem infantem post septennium non habere usum rationis non teneri ad legem, quia directionis non est capax. In dubio autem utrum sufficienti rationis usu gaudeat, tenetur, quia possidet lex.

2) Vagus est ille, qui nullibi fixum habet domicilium, sed hinc inde vagatur.

3) Advena est ille, qui exit a proprio territorio, et alibi figit domicilium vel quasi-domicilium. Domicilium est habitatio electa animo ibi perpetuo manendi. Quasi domicilium est habitatio electa animo ibi manendi per majorem anni partem. S. Inquisit. Congregatio, die 7. Junii 1867, declaravit : *Ad constituendum vero quasi domicilium duo haec simul requiruntur habitatio nempe in eo loco... atque animus ibidem permanendi per majorem anni partem.*

4) Peregrinus est ille, qui a loco proprii domicilii recedit ad breve tempus animo redeundi.

suo in territorio non vigeant 1), minime vero si in loco in quo versantur non obligent.

Q. *Peregrinus tenetur servare leges proprii territorii, dum extra illud versatur?*

R. Ex novo codice can. 14 « Peregrini non adstringuntur legibus particularibus sui territorii, quandiu ab eo absunt,nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales. » 2)

Q. *Peregrinus teneturne, antequam exeat, adimplere legem, quando perventurus est ad locum, ubi non viget?*

R. Si lex consistit in unico actu, uti auditio Missae, vel si consistit in continuatione, uti jejunium , non tenetur, quia ex novo cod. can. 14 peregrini non adstringuntur legibus particularibus proprii territorii, quandiu ab eo absunt.Hinc si exeunt a proprio territorio hac intentione, ut eximantur a lege, non peccant, quia utuntur jure suo. Ita Lig.

Da materia, et obligatione legis humanae.

Q. *Quaenam est materia legis humanae?*

R. Sunt actiones, quae praecipiuntur vel prohibentur.

Q. *Actiones indifferentes possuntne esse materia legis?*

R. Si sunt undequaque indifferentes, non possunt ; secus possunt.

Q. *Lex humana potest praecipere, vel prohibere actus internos?*

R. Lex ecclesiastica indirecte potest, utrum possit etiam directe, quaestio 3). Lex civilis potest tantum indirecte.

---

1) Ratio est quia per discessum privilegium locale prorsus omittitur. *Nota* si peregrinus delictum committit, sortitur forum loci, ubi delinquit, aequum est enim, ut scelera ubique puniantur. — Peregrinus in celebratione contractuum tenetur ad leges loci in quo versatur.

2) Hinc sacerdos in sua dioecesi suspensus a Missa, nec etiam in aliena celebrare potest ; et beneficiatus, qui non residet in loco beneficii, omissionem patrare censetur in proprio territorio, ideoque poenas ibidem latas contra non residentes incurrit. Lig.

3) Si actus internus per se praecipitur, dicitur directe praeceptus, ut est actus caritatis, fidei etc. Si vero praecipitur aliqua actio externa, quae connexionem habet cum actu interno, actus internus dicitur indirecte praeceptus ; hujusmodi est consensus in contractibus. Hoc posito utrum Ecclesia possit etiam directe praecipere actus internos, tres adsunt sententiae. *Prima* negat, 1.° quia frustra esset potestas imperandi actum, quem Imperans nullo modo per se cognoscere potest, neque illius omissionem punire, neque expletionem urgere : atqui legislator humanus nequit per se cognoscere actum mere internum, non conjunctum cum externo, nec potest punire ejus omissionem, neque urgere expletionem, cum non possit scire, an positus sit vel omissus : Ergo. 2.° quia potestas humana debet exerceri humano modo : atqui non exerceretur humano modo, si tenderet directe ad

Q. *Lex humana obligat in conscientia ?*

---

actus mere internos, quia agere de mere internis ad solum Deum, et creaturas spirituales spectat : Ergo. 3.° quia ad Ecclesiam non spectat judicare de internis : ergo nec ad eam spectat eos praecipere vel prohibere.— *Secunda* sententia affirmat, 1.° quia Christus dedit Ecclesiae potestatem absolutam praecipiendi suis subditis, quam non scimus esse limitatam ad actus tantum externos vel mixtos : ergo cum concessio Christi sit favorabilis, restringi non debet, sed potius extendi etiam ad actus mere internos v. g. virtutum, cum hi maxime utiles sint vel necessarii ad bonum animae, et ultimum finem, ad quem fidelibus procurandum data est Ecclesiae potestas legislativa ; 2.° quia Ecclesia potest dispensare in voto mere interno: ergo habet potestatem ad mere interna : 3.° quia quis potest se obligare voto ad actum internum : ergo potest etiam obligari ab alio homine, cui potestatem in se dedit. Hinc si quis vovet in omnibus obedire Praelato, poterit Praelatus ei praecipere, v. g. orationem mentalem, ad quam tenebitur vi praecepti : ergo praeceptum humanum potest directe tendere in actum mere internum. — *Tertia* sententia distinguit inter leges, nam alia est, tantum directiva, alia est etiam coactiva : directiva tantum est, quae obligat ad solam culpam in conscientia, non autem ad aliquam poenam ab homine infligendam. Lex coactiva, quae aliter vocatur comminatoria, obligat et sub culpa et sub poena statuta per legem. Iam vero lex humana *vi directiva* potest praecipere actus mere internos, quia actus internus est capax obligationis a Deo : ergo etiam ab homine. Nec obstat, quod homo eum actum non possit cognoscere, judicare, punire, id enim non requiritur ad legem directivam, sed tantum ad coactivam. Insuper omnis lex naturalis est tantum directiva : ergo talis esse poterit lex humana respectu actus mere interni At *vi coactiva* non potest praecipere actus mere internos, quia eos non potest cognoscere, nec judicare, nec punire, quae requiruntur, ut possit exterius cogere ad observantiam, et transgressionem punire.

Lex civilis vero non potest certo praecipere *per se*, idest directe actus internos, quia etiam sine his obtinet finem, nempe tranquillitatem reipublicae, quae facile habetur, si actus externi, qui praecepti sunt, fiant, et vitentur illi, qui sunt prohibiti.

Hic notandum. — 1. Confessarius, cum ipsum Christum ita propius repraesentet , et divinae ejus potestatis in peccata delendo fiat particeps, ideo et actus mere internos injungere potest poenitenti, uti internas aspirationes, etc ; (Voit);— 2. etsi consuetum non sit, nec consultum ut Praelati sub peccato praecipiant suis religiosis actus internos ; probabile tamen est fieri posse, quia verisimile est, quod ipsi religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant (Busembaum) Lig. IV, 45.

R. Maxime 1) : *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* Rom. XIII, 5. 2).,

Q. *Obligat sub gravi, an sub levi ?*

R. Si materia legis est undequaque levis, obligat semper sub levi ; secus obligat sub gravi vel sub levi, prout dignosci potest ex voluntate legislatoris, ex fine legis, ex consuetudine, et usu.

Q. *Plures parvae transgressiones legis efficiunt materiam gravem ?*

---

1) Nulla est, ordinarie loquendo, legis obligatio cum incommodo gravi sive leges sint *humanae*, ut jejunium, sive *divinae*, prout integritas confessionis, sive *naturales* velut, caritas, restitutio, votum. Leges enim debent esse possibiles secundum ordinariam hominum capacitatem. Excipiuntur tamen *primo* leges naturales cum aliquid vetant ; hae obligant etiam cum vitae dispendio, quippe ea, quae vetant, sunt per se mala: *secundo* leges divinae, quae aliquid praecipiunt, quod suapte natura praestari nequit sine gravi incommodo, velut confessio sacramentalis, ratio est, quia *Deus cum instat praecepto praecurrit auxilio*, Suarez III. 30: *tertio* leges humanae 1.° quando id postulat bonum commune (i. e. conservatio Reipublicae ecclesiasticae, vel civilis), cui bonum privatum cedere debet ; sic miles excubias agens mori potius debet, quam silere,hoste adveniente; 2.° quando legis violatio cederet in contemptum Dei, Religionis, Ecclesiae, aut ecclesiasticae potestatis ; sic Eleazarus mori potius recte elegit, quam carnem porcinam manducare, cum ad id cogeretur in contemptum legis; 3. quando cederet in proximi scandalum.

Causae, quae a legis obligatione solvunt, duplicis sunt generis, aliae sunt eximentes, aliae impedientes. Primae aliquem a dominio legis totaliter subtrahunt, ex gr. si quis in locum se confert, quem lex non afficit. Secundae aliquem subditum sub lege manentem a lege adimplenda impediunt. Causae autem impedientes ad ignorantiam et impotentiam reducuntur. Hoc posito licetne ponere voluntarie obstaculum legis humanae implemento ? En principia :

1. Licet apponere semper causas eximentes a legis observantia etiam *directe* et *proxime*, quia cuique licet se subtrahere dominio legis.

2. Non licet unquam apponere causas *directe* impedientes legis observantiam in legis territorio remanendo, quia hoc esset ipsam legis violationem intendere. S. Lig. 156.

3. Non licet apponere causas *proxime* et *indirecte* impedientes legis implementum, nisi proportionata adsit necessitas, quia lex proxime urgens ligat proxime voluntatem, et eam adstringit ad adhibenda media necessaria, ne ipsa violetur, et ideo ad impedimenta non injicienda ; secus inutiles redderentur leges.

4. Licet, saltem probabilius, apponere causas *indirecte* et *remote* impedientes legis observantiam, etiam sine ratione, ex praesumpta legislatoris voluntate, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare, et tantum onus imponere subditis. Gury.

2) Hinc Pius IX in Encyclica. *Qui pluribus* Episcopos hortans ut debitam erga potestates obedientiam inculcare satagant, docet : *Praeceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei, et Ecclesiae legibus adversetur.*

R. Maxime : si coalescunt in se, vel in ordine ed eumdem effectum ; secus non 1).

De modo, quo observandae sunt leges.

Q. *Quomodo adimplenda est lex ?*

R. Lex affirmativa libere adimplenda est : lex vero negativa per abstinentiam ab opere vetito.

Q. *Si quis per vim, vel per metum ponit opus a lege affirmativa praeceptum, satisfacit legi ?*

R. Lex libere adimplenda est : hinc si per vim, non satisfacit ; si per metum satisfacit, sed peccat affective ob malam voluntatem.

Q. *Si quis sine intentione satisfaciendi legi ponit opus a lege praeceptum satisfacit legi ?*

R. Maxime: quia lex obligat tantum ad ponendum opus praeceptum 2).

---

1) Ex. gr. plura furtula coalescunt in se, plures parvae fractiones jejunii coalescunt in ordine ad eumdem effectum. Non coalescunt vero parvae fractiones legis : 1. vel ratione diversi temporis, puta plures parvae fractiones jejunii singulis diebus quadragesimae; 2. vel ratione diversi praecepti, puta si quis eodem die omittat parum officiii, Missae etc. ; 3. vel ratione diversae personae, puta si plures die festo parum laborent.

2) Duplicem intentionem quis habere potest in legis adimpletione; aut faciendi id, quod praecipitur, aut adimplendi praeceptum. Jam vero in legis adimpletione sufficit intentio ponendi opus praeceptum, quia lex tantum praecipit liberam operis externi executionem, unde axioma : *Opus vult lex* ideoque non voluntatem adimplendi legem per tale opus, S. Alph. I. 163. Unde D. Thomas ait: *Statutum positivae legis non attendit intentionem observantis sed opus praeceptum.* Hinc: 1.° si quis die festo audit Missam nihil cogitans de praecepto, huic satisfacit ; si autem in Ecclesia immorans tempore Missae non habet intentionem audiendi eam, non satisfacit praecepto, quia non habet intentionem praestandi opus, quod praecipitur ; 2.° qui immemor legis praestat opus praeceptum , satisfacit legi , quia praestat opus praeceptum, quod sufficit ad legis adimpletionem, et habet virtualem voluntatem legem adimplendi ; v. g. si quis die festo Missam audit immemor esse diem festum, satisfacit praecepto. Idem dicendum est de eo, qui immemor voti opus praestat promissum, modo tamen illud non applicet pro alia re, quia unusquisque ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis, quae sibi libera voluntate imposuit. Dixi *modo tamen opus promissum non applicet pro alia re*, quia si voto adstrictus audiendi sacrum, die festo audit sacrum intentione satisfaciendi Ecclesiae praecepto tunc Ecclesiae praeceptum implet, non vero votum ; nam eodem unico opere non possunt duae impleri obligationes, si diversum habent motivum formalem. Superius dictum valet , paritate rationis etiam de sacramentali satisfactione, si nempe quis immemor poenitentiae sacramentalis praestat opus a confessario impositum, juxta probabiliorem et communiorem sententiam, quia poenitens acceptando poenitentiam habet animum eam adimplendi, unde quoties ponit opus injunctum, illud ponit ex inten-

Q. *Si quis ponit opus praeceptum, sed per actum ex aliqua circumstantia malum, satisfacit legi?*

R. Videndnm : si haec circumstantia mala destruit substantiam adimpletionis legis, uti si quis missam audiret confabulando prolixe cum alio non satisfacit. Si vero circumstantia mala non tollit substantiam adimpletionis, puta si quis audit missam ex vanitate, satisfacit.

Q. *Per unicum actum possunt adimpleri plures leges?*

R. Maxime: si praecipiunt ex eodem motivo formali, et aliud non constet de voluntate praecipientis ; secus non 1).

Q. *Per diversos actus possunt eodem tempore plures leges adimpleri?*

R. Maxime : dummodo attentio uni debita non tollat attentionem alteri debitam 2).

Q. *Qui non potest totam legem servare, tenetur servare partem, si potest?*

---

tione saltem habituali poenitentiae satisfacendi : et in hoc cur non sufficit intentio habitualis, cum habitualis sufficit ad suscipiendum quodlibet sacramentum ? Praeterea quisque in quolibet satisfactorio opere, quod ponit, semper intendit voluntate generali satisfacere prius operi debito, quam operi supererogatorio. Id docent S. Lig, Hom. Ap. XVI, 58. Lugo, et alii communius contra alios, qui dicunt quod in caeteris praeceptis sufficit ponere opus praeceptum, sed in hoc requiritur amplius intentio integrum efficiendi sacramentum.

Immo satisfacit legi, etiam si quis ponit opus praeceptum, habens expressam intentionem non adimplendi praeceptum juxta communissimam et probabiliorem sententiam ; v. g. si quis in festo missam audit summo mane expresse intendens illam audire ex mera devotione, et postea aliam audire ad praeceptum implendum; si postea eam non audit, satisfacit suae obligationi, quia praecepta tantum obligant ad substantiam operis injuncti, et imponuntur fidelibus independenter ab eorum voluntate : ergo, opere posito, non est in potestate operantis, ut ea non satisfacit. S. Lig. I dub. II. 164. Non vero satisfacit, qui opus voti vel poenitentiae sacramentalis ponit intendendo expresse per illud non satisfacere, quia hujusmodi obligationes a voventis, vel poenitentis voluntate pendent, unde sicut ab initio debitorem se libere constituit, sic debito libere permanere potest. S. Lig. ibidem.

Denique in adimpletione praecepti non requiritur intentio implendi finem praecepti, nisi finis ille praecise *per se* praecipiatur (utpote quandoque fit), quia ordinarie legislator finem non praecipit, nec praecipere intendit, sed solam actus positionem.Hinc axiom: *Finis praecepti non cadit sub praecepto.* S. Thomas 1, 2, q. 100.

1) Ex eodem motivo formali idem est ac dicere ex eadem virtute, et sub eodem respectu : hinc audiendo unam missam adimples praecepto Dominicae et alterius Festi in eodem die incidenti. Si vero confessarius pro satisfactione sacramentali imposuit auditionem Missae, unam audiendo, non adimples satisfactionem, et praeceptum Dominicae simul, quia diversum motivum formalem habent.

2) Hinc potes simul Missam audire, et officium recitare.

R. Maxime : si praeceptum est divisibile, quia: tunc obligat ad omnes, et singulas partes 1).

De cessatione legis

Q. *Quomodo cessat obligatio legis ?*

R. Multis modis : nempe cessante fine legis, abrogatione, epikeja, consuetudine, dispensatione, et privilegio.

Q. *Cessante fine legis, cessat semper obligatio legis ?*

R. Si finis cessat pro tota communitate, cessat lex : si vero cessat pro aliquo individuo particulari, videndum : si cessat *contrarie*, nempe quia lex evadit sibi nociva 2), cessat pro eo legis obligatio ; si *negative*, quia fit inutilis, non cessat obligatio legis ; lex enim respicit communitatem 3).

Q. *Quid est abrogatio ?*

R. Est totius legis abolitio,quae si fiat quod ad aliquam partem tantum, dicitur *derogatio.*

Q. *Quid est epikeja ?*

R. Est benigna legis interpretatio, qua prudenter creditur aliquem casum ob aliquas circumstantias in lege non comprehendi 4).

Q. *Quid est consuetudo ?*

---

1) Utile per inutile non vitiatur. Hinc si non potes totum officium recitare, teneris ad illam partem, quam potes. At si dubium est, an partem recitare valeas, ad nihil teneris, Lig.

2) Lex tunc dicitur evadere nociva, cum ad eam observandam aliquis deberet ferre grave incommodum spirituale, vel temporale.

3) Haec est probabilior et communior sententia, quia licet cesset finis legis in casu particulari, non tamen cessat finis periculi in communi, unde si pro communitate feratur lex,respectu totius communitatis cessare debet finis , ut lex obligare desinat, ac proinde quandiu utile est communitati, semper viget. Attamen quoad lectionem librorum prohibitorum ne ii quidem scriptores, qui putant, cessante legis fine in particulari etiam legis obligationem cessare, audent asserere, licitam esse librorum prohibitorum lectionem iis, quibus periculum non sit pertimescendum. Ratio est, quia in hac re nunquam periculum omnino cessare potest ; quisnam enim ab omni periculo se liberum existimare potest ? vel saltem nunquam finis prohibitionis cessat adaequate, neque in communi, neque in particulari; prohibitionis enim finis non solum est, ut damnum vitetur conscientiarum ex lectione pravorum librorum, sed etiam ut servetur obedientia Ecclesiae debita, maxime in re tam periculosa ; et insuper finis est, ne detur ansa haereticis , aut aliis improbis scriptoribus perniciosa typis demandare. S. Alph. I, 199.

4) Epikeja differt ab interpretatione. Epikeja enim mentem legislatoris interpretando cum fundamento decernit non fuisse mentem legislatoris illum casum comprehendere in lege sua. Interpretatio vero explicat vel verbum aliquod obscurum, vel sensum non satis notum legis. Interpretatio potest esse *authentica*, *usualis* et *doctrinalis*. Prima fit ab ipso legislatore, vel ejus vicario ; secunda fit a consuetudine ; tertia a Doctoribus.

R. Est jus quoddam moribus introductum, quod pro lege suscipitur. Potest esse vel juxta legem, quando nempe legem interpretatur: vel praeter legem, quando jus novum introducit; vel contra legem, quando legem abrogat, vel derogat 1).

Q. *Quid dispensatio?*

R. Est relaxatio legis facta alicui ab habente potestatem ordinariam vel delegatam 2).

---

1) Hinc patet, quod ad veram consuetudinem requiritur: 1. ut ejus materia possit esse materia legis; 2. ut introducatur a majori parte communitatis animo se obligandi; 3. ut superior non contradicat; 4. ut habeatur diuturnitas temporis, puta saltem decennium. « Consuetudo contra legem vel praeter legem per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed nisi expressam de iisdem mentionem fecerit, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares » Ita novus codex can. 30.

2) Potestas *ordinaria* dicitur illa, quae adnexa est alicui officio: *delegata* quae recipitur ab habente ordinariam. Potestas delegata duplex est: vel *a jure*, vel *ab homine*: dicitur a *jure*, si jus alicui talem facultatem delegat, quae si in perpetuum conceditur, et alicui dignitati vel officio est adnexa, ordinariae aequiparatur; prout est facultas impertita Episcopis a novo codice can. 2237 quoad absolutionem a reservatis, ibi expressis: *ab homine* autem dicitur, si Superior eam alicui tribuit — Pontifex habet potestatem ordinariam dispensandi in lege ecclesiastica pro tota Ecclesia. — Episcopus et Vicarius Capitularis (non vero Vicarius Generalis) in sua diocesi pro legibus dioecesanis, — « At a generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem, et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur, quae a Sede Apostolica concedi solet » Ita in can. 81. — Utrum Episcopi in legibus communibus quando eis data erat potestas, poterant dispensare etiam peregrinos, quaestio erat; at nunc ex novo codice can. 1034, 1245, 1313, possunt: excepta dispensatione ab irregularitate, uti constat ex canone 990, ubi dicitur: « Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus » etc. etc Vide in Appendice 11 hujus libri pro nonnullis facultatibus dispensandi concessis Episcopis et parochis.

Qui habet potestatem ordinariam, potest eam delegare alteri. Delegatus vero non potest eam subdelegare, nisi id expresse sibi sit concessum; uti habetur in novo codice can. 2237. § 3. At si haec facultas expresse non conceditur, delegatus non potest subdelegare. Excipitur 1.° si quis esset delegatus a Principe vel a Pontifice. Sed hoc intelligitur cum delegatio facta est tamquam per officium; non vero si eligitur persona specialis propter suam peritiam, aut si ei committatur alicujus causae executio. S. Alph. VI. 566. Hoc explicat Laym. de Poen. c. X. n. 14. his verbis *Is, cui non officium, sed nudum ministerium seu simplex jurisdictio in ordine ad certos actus committitur, alteri subdelegare non potest sine speciali licentia committentis.* Excipitur 2.° si quis est delegatus ad universalitatem causarum. Dicitur delegatus ad universalitatem causarum, ait *Sanchez* lib.

Q. *Ad licitam, et validam dispensationem requirituine causa ?*

R. Ad licitam dispensationem semper requiritur causa, ex Trid. Ad

---

III. disp. 31, non tantum ille, cui committitur universa jurisdictio, sed etiam ille, cui committitur pars jurisdictionis, quae collective multos casus comprehendit. En verba cl. auctoris : *Quis dicatur delegatus ad universalitatem causarum ? Talis dicitur quando ei genus causarum committitur sub uno nomine collectivo, quamvis non sit generalissimum, sed subalternum, licet sit restrictum quoad tempus, ut si committantur causae tali anno occurrentes, vel quoad quantitatem, ut causae decem librarum et infra, vel quoad locum, ut causae talis loci.* Jam vero delegatus ad universalitatem causarum potest tantum subdelegare pro una, vel altera causa. Hinc Viceparochus universim deputatus a parocho, vel absente, vel infirmo, ad omnia officia parochialia peragenda, potest alium subdelegare, sed pro una vel altera causa. Ita S. C. C. ap. Pallottini tom. XIII. cap. XVI. n. 13, et 14. Si vero Viceparochus vacante Paroecia, ab ipso Episcopo constituatur, ex dispositione novi codicis can.473 iisdem juribus gaudet, iisdemque officiis adstringitur ac parochus in iis, quae ad animarum curam spectant. Proinde potest ille alium sacerdotem subdelegare ad omnia officia, nisi obstet voluntas ipsius Ordinarii. Ita quoque decrevit S. C. Concilii 12 Sept. 1874, quae interrogata: « An Oeconomus Curatus, vacante paroecia, ab Episcopo constitutus, in vim dispositionis Concilii Trid. Sess. XXIV. cap. 18. possit alium sacerdotem delegare ad omnia vel ad aliquos tantum actus ? Resp. : *Affirmative ad primam partem, nisi obstet voluntas Ordinarii.*

Dispensatio aut quaevis facultas cessat : 1. per mortem dispensantis, aut facultantis ; 2. per cessationem ab officio (quae cessatio morti naturali aequiparatur , ac proinde idem intelligatur, quod de morte concedentis mox dicetur); 3. per revocationem dispensantis ; 4. per cessationem causae finalis; 5. per renuntiationem dispensati. Potest vero dispensatus renuntiare dispensationi expresse, et etiam tacite. Tacita renuntiatio est, quando ex sufficientibus signis colligitur adesse in dispensato voluntatem cedendi favori, ut si rumpat litteras, in quibus est dispensatio, cum voluntate renuntiandi (haec enim voluntas semper requiritur, sine qua nulla est renuntiatio sive verbis sive signis expressa). Expressa est, quando verbis sufficientibus cessio favoris declaratur ; unde post consummatam renuntiationem tacitam vel expressam non potest dispensatus amplius uti dispensatione contra legem operando. Ut autem consummata sit renuntiatio, requiritur, quod sit nota ipsi dispensatori, et quod ab ipso dispensatore acceptetur renuntiatio. Ratio est, quia sicut Superioris voluntas habenda est, ut quis per dispensationem eximatur a lege, ita et Superioris requiritur voluntas, ut quis post dispensationem denuo teneatur ad legem ; absonum enim est per solam subditi voluntatem vinculum legis iterum induci. S. Lig. I. 198. Salm, III, 101. cum Suarez, Bonac, etc. Dixi *per mortem dispensantis* vel *facultantis cessare dispensationem*, sed hoc in genere loquendo ; at ad rem propius accedentes videndum est, quomodo fuit concessa dispensatio vel facultas ; an in forma gratiosa, an in forma commissoria. Dicitur dispensatio seu facultas concessa *in forma gratiosa*, quando conceditur in favorem petentis, uti facultas dispensandi in votis, audiendi confessiones,absolvendi a censuris. Dicitur dispensatio, vel facultas concessa *in forma commissoria*, quando conceditur in favorem alterius uti facultas obtenta ad dispensandum

validam si fit a superiore, non requiritur, quia est dominus legis; si ab inferiore, requiritur 1).

Q. *Cessante causa finali, ob quam data fuit dispensatio, cessat etiam dispensatio ?*

R. Si sermo est de dispensatione super observantiam alicujus praecepti,cessante causa finali cessat dispensatio 2), si sermo est de re individua, quae nempe consistit in unico actu, puta de aliquo impedimento matrimonii, tunc si cessat ante concessionem vel delegati executionem (si concessa sit in forma commissoria), cessat dispensatio 3) ; si vero post obtentam dispensationem, et delegati executionem, sed ante illius usum, non cessat, quicquid dicant aliqui.

Q. *Quid est privilegium ?*

R. Est facultas constanter permanens a Superiore concessa faciendi contra, vel praeter legem 4).

---

aliquem ab aetate requisita ad presbyteratum recipiendum, vel aliquem ab impedimento dirimente ad matrimonium contrahendum, Jam vero si facultas concessa est *in forma gratiosa*, per mortem facultantis aut dispensantis non cessat, quia habet speciem donationis, et donatio non cessat morte donantis. Excipe si data sit sub conditione. *Ad arbitrium nostrum; donec nobis placuerit*, nisi adsit consuetudo contraria. Si vero concessa est *in forma commissoria* videndum : si res est integra, cessat, si non est integra, non cessat, quia res incepta habetur pro completa.

1) Ad licitam dispensationem semper aliqua causa requiritur. Ratio est, quia secus Superior non esset fidelis dispensator, sed imprudens. Idcirco peccat, qui in tali casu dispensationem petit, inducit enim dispensatorem ad rem illicitam. Si vero qui petit, dubitat, utrum causa, quam putat habere, sit sufficiens ad obtinendam dispensationem, non peccat petendo, quia ad Superiorem spectat judicare de causa. Ad validam vero dipensationem nulla causa requiritur *ex parte concedentis*, si dispenset in lege sua. Ratio est, quia ille, qui potest ligare, etiam solvere potest : secus autem, si quis in lege sui Superioris dispenset, uti esset delegatus, quia non praesumitur accepisse potestatem temere dispensandi. Ita communiter. *Ex parte vero petentis* ut valida sit dispensatio, requiritur, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quae cadat in causam motivam, quia Superior non dispensat nisi sub tacita conditione, scilicet: *Si preces veritate nitantur.* S. Lig. 185.

2) Ratio est, quia cessante causa reviviscit obligatio legis.

3) Ratio est, quia Superior sive dispensat per se, sive per delegatum non intendit dispensare absque causa.

4) Privilegium dicitur *contra legem* quando legi derogat, velut est exemptio a solvendis decimis, necnon privilegium oratorii privati, et hujusmodi privilegium est strictae interpretationis ; dicitur *praeter legem* quando concedit facultatem iis,quibus de jure non competit,sed sine ullius praejudicio, ut dispensare in votis, absolvere a censuris reservatis, et hujusmodi privilegium est latae interpretationis.

Insuper privilegium potest esse *personale*, si directe conceditur personae, et *reale* si datur alicui intuitu dignitatis, officii, loci, etc. Primum adhaeret personae,et exerceri potest ubique,modo non sit contra statutum speciale

DE PECCATIS

Q. *Quid est peccatum ?*

R. Juxta D. Augustinum est *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam* 1)

---

territorii, in quo moratur. Alterum adhaeret loco, et exerceri nequit extra territorium designatum. Denique privilegium non cessat per mortem concedentis, cum sit gratia facta.

Ex novo codice can. 69. Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concessum, nisi alio ex capite exurgat obligatio.

Can. 70 Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum

Can. 73 Resoluto jure concedentis, privilegia non extinguuntur, nisi data fuerint cum clausula : *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollenti.

Privilegium differt a lege ; 1.° quia privilegium immediate spectat bonum personae aut loci, collegii seu universitatis privatae : lex immediate intendit bonum totius multitudinis ; 2.° lex semper adstringit ad sui observantiam eos, in quos fertur : non ita obligat ad sui usum privilegium illos, quibus collatum est ; 3.° per legem constituitur jus ; per privilegium privilegiatus eximitur a jure. Ita Vasquez et alii.

Differt a dispensatione : 1.° quia dispensatio semper est adversa legi in qua dispensat; privilegium vero, etsi aliquando sit contra legem, aliquando tamen etiam est praeter legem 2.° dispensatio est in ordine ad actum vel casum aliquem particularem,et de sua natura non est permanens,sed transiens; privilegium contra datur cum stabilitate aliqua ad modum legis;3.° dispensatio plerumque ad unum dumtaxat actum, v. g. ad matrimonium contrahendum, ad sacrum ordinem suscipiendum etc. datur; privilegium autem ad actus plures. Ita Suarez, Laymman, Schmalgrueber, aliique.

Privilegia cessant 1.° Ex parte concedentis *revocatione* sive *expressa* ex. gr. quae clausulam continet *non obstantibus privilegiis quibuscumque*, sive *tacita* e. gr. contraria lege lata, quae secus suum effectum sortiri non possit. At non cessant per mortem concedentis, cum sit privilegium gratia facta in favorem ejus, qui privilegium obtinuit, nam decet concessum a Principe beneficium esse mansurum. 2.° Ex parte privilegiati *per renuntiationem* a Superiore acceptatam ; dicitur enim in novo codice can. 72 1.° Privilegia cessant per renuntiationem a competente superiore acceptatam. 2.ª Privilegio in sui tantum favorem constituto quaevis persona privata renuntiare potest 3.° Concesso alicui communitati , dignitati locove renuntiare privatis personis non licet. Denique si privilegia sunt concessa sub *conditione* vel per *tempus*, cessant conditione expleta, et elapso tempore.

Ex novo codice can. 74 « Privilegium personale personam sequitur, et cum ipsa extinguitur, can. 75. Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum ; privilegia vero localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt ». Cessante vero causa finali, etiam in perpetuum, privilegium non cessat, cum sit quaedam donatio, ita Suarez lib. 8. Enimvero cessante mere *negative* causa, non ideo privilegium evadit inutile beneficium, ut ex. g. privilegium oratorii privati concessum infirmo, vel personae in dignitate constitutae, sanitate recuperata, dignitate amissa ; excipe si concessum sit privilegium sub conditione dictae causae. Ita S. Alph. vol. I. app. 11.

1) Haec definitio convenit peccatis etiam omissionis, nam affirmatio

Q. *Quotuplex est peccatum ?*

R. *Originale*, quod ab Adam contrahitur. *Personale*, quod a propria peccantis voluntate committitur. *Carnale*, quod in quadam delectatione carnali consistit, uti gula. *Spirituale*,quod consistit in delectatione spirituali, uti superbia. *Ex ignorantia, ex fragilitate, et ex malitia* quod ad causam. *Cordis, oris*, et *operis* quod ad modum. *Actuale* et *habituale*, primum est ipse actus contra legem; secundum est macula remanens in anima ex peccato actuali non retractato. *Omissionis*, quod opponitur praecepto affirmativo. *Commissionis*, quod opponitur praecepto negativo. Tandem *mortale, et veniale* 1).

Q. *Quaenam requiruntur ad constituendum peccatum sive mortale, sive veniale ?*

R. Tria : moralis malitia actionis, advertentia ad hanc malitiam, et liber consensus 2).

Q. *Quaenam requiruntur ad constituendum peccatum mortale ?*

R. Gravitas materiae, perfecta advertentia, et perfectus consensus 3)

Q. *Quaenam constituunt peccatum veniale ?*

R. Vel parvitas materiae, vel imperfecta advertentia, vel imperfectus consensus 4).

Q. *Quotuplici modo potest esse peccatum mortale, et veniale ?*

---

et negatio reducuntur ad idem genus; et convenit quoque peccatis commissis contra leges humanas, nam istae a lege aeterna proveniunt.

1) Peccatum mortale est aversio a Deo, et conversio ad creaturas tanquam ad ultimum finem. Peccatum veniale vero est aversio a Deo, et conversio ad creaturas servato ordine ad Deum. Aliqui distinguere volebant etiam peccatum in *Theologicum* et *Philosophicum* : primum quod supra definivimus; secundum dicebant esse illud, quod committitur ab eo, qui Deum ignorat, vel ab eo, qui de Deo actu non cogitat.Tale peccatum affirmabant non offendere Deum, quantumvis grave, neque poenam aeternam mereri ; sed damnata fuit eorum propositio ab Alexandro VIII.

2) Non requiritur semper advertentia actualis et consensus directus, sed sufficit advertentia virtualis,ut in peccatis ex ignorantia vincibili,et consensus indirectus, nempe in causa. Unde etiam sine actuali et expressa advertentia bene imputantur ad culpam mala, quae patrantur, vel ob culpabilem negligentiam, vel ob pravum habitum.

3) In dubio autem de consensu non censetur plene consensisse , si est persona timoratae conscientiae, et dispositus potius mori, quam mortaliter peccare, quia praesumptio stat in ejus favorem ; secus vero si est pravae conscientiae, ob contrariam praesumptionem.

4) Est de fide, quod adsit discrimen inter peccatum mortale et veniale, uti ex Tridentino contra Protestantes.In hoc conveniunt peccatum mortale et veniale, quod ambo sunt mala, ambo offensa Dei, ambo merentur poenam; in hoc vero disconveniunt, quod peccatum mortale est gravis offensa Dei, privat animam gratia sanctificante, et meretur poenam aeternam; veniale est levis offensa Dei, minuit tantum gratiam, et meretur poenam temporalem.

R. Per se, vel per accidens. Dicitur *per se*, quando tale est de sua natura, ex gr. blasphemia de sua natura est peccatum mortale : mendacium jocosum de sua natura est veniale. Dicitur *per accidens* quando tale non est de sua natura, sed tale fit ex aliqua circumstantia.

Q. *Quibus ex causis mortale per se transit ad veniale per accidens ?*

R. Vel ratione imperfectae advertentiae, vel ratione imperfecti consensus, vel ratione parvitatis materiae 1).

Q. *Quibus ex causis peccatum veniale per se potest esse mortale per accidens ?*

R. Ex his, nempe ratione scandali ; ratione finis mortaliter peccaminosi adjuncti 2) ; ratione ultimi finis 3) ; ratione periculi proximi peccandi mortaliter 4) ; ratione contemptus formalis 5) ; ratione conscientiae erroneae 6). et ratione plurium materiarum simul coalescentium 7); unde versus

Scandala, finis, amor, discrimen, temptus, et error.
Vel levium nexus : his leve grande siet.

De distinctione, et circumstantiis peccatorum

Q. *Quotuplex est distinctio peccatorum ?*

R. Duplex : specifica, et numerica.

Q. *Unde desumitur distinctio specifica ?*

---

1) Adverte, quod parvitas materiae dari non potest in peccatis contra virtutes theologicas, in juramento assertorio, in blasphemia, in simonia de jure divino, in fractione sigilli sacramentalis, et jejunii naturalis ante communionem,in contemptu formali legis vel legislatoris, et in actibus venereis deliberatis extra matrimonium, quia in his peccatis quaelibet parva materia continet gravem malitiam.Hinc quando dicitur peccatum esse *grave in toto genere suo*, intelligitur non admittere parvitatem materiae, sed potest evadere leve tantum ratione imperfectae advertentiae vel consensus; secus vero quando dicitur grave in *genere suo.*

2) Uti qui leviter furatur, sed ad fornicandum.

3) Idest ratione ultimi finis, quem quis sibi constituit in re etiam levi, uti in ludo, in persona inordinate amata etc.Unde si quis aliquod veniale ea animi adaesione committeret, ut sit paratus potius peccatum mortale committere, quam illud veniale omittere, peccaret graviter, et esset peccatum temeritatis, quia rem levem praefert divinae amicitiae. S. Alph. V. 60.

4) Uti si quis ex curiositate mulierem aspiciat, satis expertus ex tali aspectu saepe in delectationem morosam, vel in turpe desiderium incidisse.

5) Contemptus materialis habetur in qualibet violatione legis ; formalis vero est, quando violatur lex contemnendo legem vel legislatorem, prout est lex vel legislator.

6) Quando scilicet quis veniale committit judicans esse mortale.

7) Parvae materiae possunt coalescere vel in se, ut plura furtula ; vel in ordine ad eumdem effectum, uti plures fractiones jejunii eodem die.

R. Ex oppositione ad diversas virtutes, vel ad diversa officia ejusdem virtutis ; vel ex oppositione ad eamdem virtutem modo diverso 1).

Q. *Unde desumitur distinctio numerica peccatorum ?*

R. Si sermo est de peccatis internis, distinctio numerica desumitur ex interruptione actuum 2). Si sermo est de peccatis externis, distinctio desumitur ex actibus in suo esse completis 3). Insuper peccata tam interna, quam externa numerice multiplicantur etiam ex objectis totalibus, integris et numero distinctis 4).

Q. *Quid sunt circumstantiae peccatorum ?*

R. Sunt quaedam accidentia, quae comitantur actionem, et continentur hoc in versiculo: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando* 5). Hae vero sunt vel mutantes speciem, vel aggravantes speciem, vel minuentes. Mutantes sunt duplicis generis : aliae actionem bonam reddunt malam, uti esset eleemosyna facta ob vanitatem ; aliae actioni malae aliam malitiam addunt, uti furtum in ecclesia. Aggravantes sunt etiam duplicis generis : aliae sunt in infinitum aggravantes, quando nempe peccatum veniale *per se* reddunt mortale *per accidens* ; aliae notabiliter aggravantes, quando nempe aggravant intra idem genus peccati, puta mortale est furari quin-

---

1) Ita blasphemia specifice differt a fornicatione, quia illa opponitur virtuti religionis, haec opponitur castitati. Furtum et homicidium, licet opponantur eidem virtuti justitiae, tamen quia opponuntur diversis ejusdem officiis, specifice etiam differunt inter se. Adverte, quod ob diversitatem praeceptorum, vel ob diversas cirumstantias peccata specifice non differunt inter se, nisi quando adest oppositio ad diversas virtutes, vel ad eamdem virtutem, sed diverso modo.

2) Actus interni interrumpuntur vel per retractationem, vel per actum virtutis oppositae, vel per moram temporis : utrum vero per involuntariam cessationem, puta per studium, per somnum, quaestio. Attamen notandum cum D. Lig. quod actus internus semper interrumpitur post duorum vel trium dierum spatium, modo non perseveret in aliquo effectu, hinc si quis ad homicidium patrandum per plures dies arma emit, media excogitat, viam carpit, hostem quaerit, et occidit, unum peccatum committit.

3) Dicitur actus in suo esse completus, quando non est coordinatus ad alium actum. Quare peccata cordis, oris, et operis si sint coordinata ad unum, unum peccatum constituunt : uti si quis volens fornicare verba turpia, oscula, tactus praemittit, et copulam habet, unum peccatum committit ; secus tot sunt peccata, quot actus.

4) Hinc si quis unico actu desiderat mortem trium suorum inimicorum tria peccata committit. Si unico actu praebet scandalum decem personis, decem peccata committit.

5) *Quis*, nempe qualis sit agens : uxoratus, clericus. *Quid*, objectum ; an res furata, vel persona offensa sit sacra. *Ubi*, locus : an sacer, an profanus. *Quibus auxiliis*, media operandi : an veneno, maleficio, gravi metu damnum sit allatum. *Cur*, finis : an ad ludendum, fornicandum. *Quomodo*, modus peccandi: an malitiose, an bona fide. *Quando*, tempus commissionis, aut durationis delicti.

quaginta, mortale gravius est furari centum. Minuentes sunt etiam duplicis generis; aliae sunt in infinitum minuentes, quando mortale *per se* reddunt veniale *per accidens* ; aliae notabiliter minuentes, quando minuunt intra idem genus.

De consuetudinario, recidivo et occasionario

Q. *Quid est consuetudo seu habitus peccandi ?*

R. Est facilitas peccandi orta ex actibus repetitis 1).

Q. *Quinam dicitur consuetudinarius, et quinam recidivus ?*

R. Consuetudinarius, dicitur ille, qui peccat et non confitetur. Recidivus dicitur ille, qui peccat, confitetur, et eodem modo peccat.

Q. *Qui habet pravam consuetudinem, peccatne semper ?*

R. Peccat semper ac advertit suam obligationem destruendi consuetudinem, et destruere negligit ; peccat etiam semper ac ex consuetudine non retractata aliquod peccatum committit etiam sine actuali advertentia.

Q. *Consuetudinarius, vel recidivus est absolvendus ?*

R. Consuetudinarius, si est vere dispositus, potest absolvi. Recidivus non est absolvendus ; excipe, si det signa extraordinaria 2).

Q. *Poenitens tenetur manifestare confessario suam pravam consuetudinem ?*

R. Si est interrogatus, tenetur, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Si non est interrogatus, distinguo : si manifestatio consuetudinis est necessaria, ut confessarius efformet rectum judicium, tenetur; secus non tenetur.

Q. *Quid est occasio ?*

R. Est omne id, quod allicit ad peccandum, sive ex sua natura , sive ex fragilitate poenitentis 3).

Q. *Quotuplex est occasio ?*

R. Remota, et proxima. Remota est illa, in qua quis positus nunquam vel raro peccavit, et prudenter credit se non peccaturum. Proxima est illa, in qua quis positus semper, vel frequenter peccat, vel prudenter credit se peccaturum. Proxima vero potest esse necessaria, et voluntaria. Necessaria

---

1) Ad constituendam consuetudinem sufficiunt quatuor vel quinque actus ejusdem generis, tempore distincti, et non per longum tempus disjuncti , sed pro peccatis turpibus etiam pauciores actus sufficiunt.

2) Hinc sunt signa extraordinaria ; major contritio per lacrymas, et suspiria ex corde ; minor numerus peccatorum in iisdem tentationibus, aut post magnum conflictum relapsus ; confessio spontanea peccati jam culpabiliter omissi; restitutio, vel pax peracta ; media jam adhibita ad removendum peccatum ; reditus poenitentis cum vero dolore ad eumdem confessarium statim post relapsum ; subitus horror peccati ex motivo extraordinario, puta auditae concionis, mortis alicujus, pestis, terraemotus etc.

3) Occasio differt a consuetudine, quia consuetudo est ab intrinseco, occasio est ab extrinseco.

si physice aut moraliter tolli non potest 1) ; voluntaria, si physice et moraliter tolli potest 2) . Tandem praesens vel non praesens. Occasio praesens seu in *esse*, ea est, quam quis secum habet, quin eam actu quaerat 3). Occasio non praesens, seu *in non esse*, ea est, quam quis non habet quidem in actu, sed facile reperit 4).

Q. *Potest absolvi occasionarius ?*

R. Si est in occasione remota,potest; si est in occasione proxima,distinguo : si occasio est voluntaria, non potest, nisi deserat occasionem proximam, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. 5) ; si occasio est necessaria, et nec etiam potest absolvi, sed danda sunt ei media prius efficacia, po-

---

1) *Moraliter*, intellige, quando tolli nequit sine gravi damno spirituali vel temporali.

2) Ad constituendam occasionem proximam non requiritur, ut quis frequenter in ea reperiatur, sed sufficit, ut semper ac in ea positus sit, peccet. Hinc si quis semel in anno pergit in aliquem locum,et ibi cum quadam persona semel in anno semper peccat, est jam in occasione proxima.

3) V. gr. si domi teneat concubinam, vel cum ancilla peccare soleat.

4) Ut est caupona respective ad ebriosum, amasia respective ad amasium.

5) Qui nondum occasionem proximam voluntariam dimiserit, sed sincero animo eam dimittere promittit, bis vel ter potest absolvi, dummodo sit *in non esse;* si vero est *in esse*, ne prima quidem vice ordinarie loquendo est absolvendus,quia cum sit nimis arduum resistere, faciliter redibit ad vomitum, uti experientia constat. Dixi *ordinarie loquendo*, quia excipitur: 1.º Si agitur de moribundo,cui non suppetit tempus,nec facultas eam removendi; 2.º Si poenitens affert signa extraordinaria doloris, quae indicant poenitentem uberiorem recepisse gratiam, qua merito speratur quod in removenda occasione constantior erit,praesertim si accedat rationabilis causa v.g. nota infamiae in omittenda communione; 3.º Si poenitens non amplius posset ad confessarium redire, vel non nisi post longum tempus, vel non nisi per longissimum iter ; in hoc casu cum ille jam fuerit confessus peccata sua, et confessarius prudenter judicaverit eum firmam habere voluntatem tollendi occasionem statim ac poterit, potest ac debet ipsum absolvere, quia poenitens habet jus, ut statim absolvatur. Nec obstat dicere quod ipse tunc remaneret in eodem periculo infringendi propositum, nam respondetur quod in hoc casu tale periculum remotum reputari potest ratione magni oneris, quod poenitens deberet subire iterum repetendi confessionem apud alterum, aut diu manendi sine gratia sacramenti: hinc dicendus est constitutus in morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem dimittat. Hoc tamen non admittendum, si poenitens ab alio confessario jam fuerit admonitus de occasione tollenda, et non abstulerit, quia tunc habetur tamquam recidivus, et minime est absolvendus, nisi forte afferat extraordinaria signa. S. Alph. VI 454. — Occasio proxima voluntaria semper fugienda est, uti eruitur ex sequentibus prop. damnatis ab. Innoc. XI. prima sic se habet : *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa utilis, aut honesta illam non fugiendi occurrit :* secunda est : *Licitum est directe quaerere occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi* Prop. 62. 63.

stea efficaciora, et tandem efficacissima, ut occasio proxima evadet remota, et tunc potest absolvi 1).

De delectatione morosa.

Q. *Quid est delectatio morosa?*

R. Est deliberata complacentia de aliqua re mala cogitata sine executionis intentione 2).

Q. *Quotuplex potest esse?*

R. Potest esse vel de re mala, vel de cognitione rei malae, vel de modo operandi rem malam.

Q. *Delectatio morosa est peccatum?*

R. Distinguo : vel sermo est de sola cognitione, vel de modo (qui non sit ex se malus) operandi rem malam, et per se non est peccatum ; vel sermo est de re mala, et delectatio est peccatum illius speciei et gravitatis, ac est objectum circa quod versatur 3).

---

1) Media sunt : major oratio; frequentior usus sacramentorum, quotidiana ante Crucifixum renovatio promissionis de non amplius peccando, vitare ne versetur solus cum sola, fugere ab aspectu complicis.—Qui est in occasione proxima necessaria, si est dispositus, et paratus adhibendi media praescripta, priusquam ea adhibuerit, potest absolvi, quia nemo tenetur ad impossibile sive phisice sive moraliter, et aliunde occasio proxima necessaria non est per se peccatum,nec affert necessitatem peccandi, ideoque potest esse cum vero dolore et proposito. At in praxi, ait D. Alph., melius est differre absolutionem, usque dum occasio e proxima evadet remota, praesertim si occasio sit de materia turpi, quoties commode fieri potest; secus poenitentes faciliter negligunt media praescripta, et sic cito relabuntur.— Si vero adhibitis mediis praescriptis occasio proxima non evasit remota, non potest absolvi, nisi occasionem deserat, quia Christus dixit: *Si oculus tuus scandalizat te, erne cum, et projice abs te.*

2) Dicitur morosa non a mora temporis,sed a mora mentis. Si adest volitio exequendi, dicitur, desiderium. Si vero res mala jam patrata est, et de hac aliquis se delectat, dicitur gaudium ; ad haec tria reducuntur peccata mere interna. Quod dicitur de delectatione morosa, dicitur etiam de gaudio, et de desiderio.

3) Unde non licet viduis se delectare de copula habita in matrimonio, neque sponsis de futura copula habenda, quia delectatio rem praesentem facit, quae hic et nunc est illicita ; e contra licet conjugibus se delectare de copula habita vel habenda, modo absit periculum pollutionis.—Desiderium et gaudium semper sumunt specialem malitiam a circumstantiis, utpote quod externam respiciunt actionem ; hinc si quis optat occidere inimicum praescindendo in sua intentione quod ipse sit clericus, peccat tamen contra justitiam, et contra religionem.— Utrum delectatio morosa sumat etiam specialem malitiam ex circumstantiis, quae cum objecto conjunctae sunt, si mens de illis non cougitaverit,quaestio est.Nonnulli affirmant, quia sunt cum objecto revera conjunctae. Alii negant, quia sicut delectatio est in

Q. *Delectatio de re mala sub conditione, si mala non esset, estne peccatum ?*

R. Si res est intrinsece mala, est peccatum ; secus non, quia conditio tollit malitiam objecti.

Q. *Delectatio de aliqua legis violatione, facta tamen sine culpa, estne peccatum. ?*

R. Si cum violavit legem, ad legem non tenebatur , non est peccatum ; si ad legem tenebatur, est peccatum 1) ; nam se delectat de re mala.

Q. *Se delectare de bono secuto ex opere malo, estne peccatum ?*

R. Minime: esset tamen peccatum se delectare de opere malo ob bonum inde secutum.

Q. *Delectatio de morte proximi estne semper peccatum ?*

R. Si delectatio sit de morte temporali alicujus ob bonum temporale communitatis, non est peccatum ; si ob bonum temporale peculiare, est peccatum.

DE QUIBUSDAM PECCATIS IN SPECIE

De blasphemia.

Q. *Quid est blasphemia ?*

R. Est locutio contra Deum per modum convicii 2).

Q. *Quotuplex est ?*

R. Multiplex: nempe interna, et externa. *Interna*, quae mente tantum concipitur ; *externa*, quae fit ore, scriptis, vel factis, ut spuere in imagines, has lacerare etc. Insuper haereticalis, et simplex. Prima, quae continet aliquem errorem contra fidem (scilicet vel denegando Deo, quod ei convenit :

---

mente, mente possunt circumstantiae non adverti. Utramque sententiam probabilem vocat. S. Ligorius. Verum in praxi in confessione patefaciendae sunt tales circumstantiae, quia adest periculum proximum transeundi a delectatione ad desiderium.

1) Hinc si quis in infirmitate die vetito carnes comedit,et de comestione se delectat, non peccat. Si sanus ex inadvertentia comedit, et postea advertens se delectat, et gaudet, peccat. Merito damnata fuit ab Innocentio IX propositio: *Filium non peccare si gauderet de parricidio in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

2) Haec locutio contra Deum potest esse immediate vel mediate ; immediate quando quis blasphemat ipsum Deum ; mediate quando quis blasphemat aliquam creaturam, in qua elucet aliqua specialis divina perfectio. Unde blaspemiae sunt non solum maledicere Deum, B. Virginem, et Sanctos, (quae differunt specifice inter se ratione cultus Latriae, Duliae, et Hyperduliae, quem laedunt), sed etiam maledicere Animam humanam, Coelum, Terram,Res sanctas, aliasque creaturas,etiam ignobiles, addito nomine Dei vel Sancti, e. g. *Mannaggia quest' acqua di Dio, questo fuoco santo.* At non est mortale maledicere corpus mortuorum, idest *mannaggia i morti tuoi*, etc. modo non intendatur anima mortuorum.

vel tribuendo creaturis, quod Deo convenit ; vel tribuendo Deo, quod ei non convenit). Secunda, quae solum continet convicium. Haec autem potest esse dehonestativa, vel imprecativa. Dehonestativa, quando aliquid profertur Deo conveniens, sed per modum convicii, ut illud Juliani Apostatae : *Vicisti Galilaee*. Imprecativa, quando aliquid mali Deo imprecatur et tunc continet duo peccata, unum contra religionem, et aliud contra charitatem 1).

De sacrilegio

Q. *Quid est sacrilegium, et quotuplex ?*

R. Est violatio, seu indigna tractatio personae, rei, vel loci sacri ; ideo triplex est, nempe personale, reale et locale.

Q. *Quotuplici modo violatur persona sacra ?*

R. Duplici modo : nempe violentas manus in eam injiciendo, et luxuriose tractando 2).

Q. *Quotuplici modo violatur res sacra ?*

R. Per abusum vel sacramentorum, vel sacramentalium, vel sacrae Scripturae, vel cujuscumque rei Deo consecratae 3).

Q. *Quotuplici modo violatur locus sacer ?*

R. Ex novo codice can. 1172 Ecclesia violatur sequentibus tantum actibus, dummodo certi sint, notorii, et in ipsa ecclesia positi : 1.° Delicto homicidii. 2.° Injuriosa et gravi sanguinis effusione : 3.° Impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit : 4.° Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam 4).

1) Blasphemia ex toto genere suo est peccatum mortale.

2) Adverte, quod persona Deo sacra tunc solum peccando committit sacrilegium, quando violat castitatem, quocumque modo violet, sive opere, sive cogitatione sive alios ad luxuriam inducendo. Peccans cum alia persona etiam sacra duo committit sacrilegia, violando suam, et alterius sanctitatem. An sit sacrilegium violatio personae voto simplici castitatis ligatae, quaestio est. Nonnulli negant quia per votum simplex quis non evadit Deo sacer, nec dicitur persona sacra, uti per votum solemne. Alii affirmant, quia votum simplex a solemni in substantia non differt.

3) Ideoque sacrilegium committitur ; 1. indigne ministrando, vel suscipiendo, vel tractando Sacramenta ; 2. verba S. Scripturae ad vana, vel illicita detorquendo ; 3. res (nempe benedictae aut consecratae) ad divinum cultum, vel ad sacrorum ministrorum sustentationem pertinentes surripiendo aut usurpando, imagines sacras deturpando, Sanctorum reliquias surripiendo, etc.

Sacramentalia sunt : *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedictus;* scilicet *Oratio*, et praesertim *Pater noster* ; aspersio aquae benedictae; impositio cinerum ; devota manducatio panis, aliusve cibi benedicti ; *Confiteor ;* elargitio eleemosynae, et alia opera misericordiae : benedictio Episcopi vel Abbatis consecrati, etc.

4) Ex can. 1172 Violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum violatum censetur, et viceversa. Can. 1173. In violata ecclesia, antequam

Q. *Potest dari sacrilegium in omissione ?*

R. Maxime : quando omittitur reverentia ex praecepto debita alicui rei sacrae, puta Eucharistiae.

De scandalo

Q. *Quid est scandalum ?*

R. Est dictum, vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis 1). Hoc dicitur scandalum activum. Ipsa vero spiritualis ruina, inde accepta, dicitur scandalum passivum.

reconcilietur, nefas est divina celebrare officia, sacramenta ministrare, mortuos sepelire. Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimittatur; secus sacerdos Missam prosequatur usque ad communionem. Ita in can. 1174 Ecclesia violata reconcilietur quam citissime poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos. Si dubitetur num ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam. Can. 1175. Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis ne reconcilietur, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri possit. Can. 1176 Ecclesiam benedictam reconciliare potest rector ejusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesunpto rectoris. Ecclesiae consecratae valida reconciliatio, si haec pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam vel ad laicalem, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur ; si ad religionem clericalem exemptam ad Superiorem Majorem ; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare. In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario. Can. 1177. Reconciliatio ecclesiae benedictae fieri potest aqua lustrali communi; reconciliatio vero ecclesiae consecratae fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas, quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri, qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt. Can. 2329. Ecclesiae vel coemeterii violatores interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur. — In homicidio , et injuriosa sanguinis effusione, si causa posita sit in Ecclesia, et mors vel effusio sanguinis extra eam sequatur, est censenda violata Ecclesia — Frustra vero dicitur pro quarto capite non requiri culpam gravem, tum quia qui sepulturam mandant, aut cogunt procul dubio graviter peccant, tum quia jus respicit actionem *in se* quae culpa gravis est. Praeterea dictum est, ut factum sit *notorium*, hinc si est occultum, habetur tantum sacrilegium ob gravem irreverentiam Ecclesiae irrogatam, sed non est dicenda Ecclesia violata. Qui celebrat in Ecelesia violata, peccat contra prohibitionem Ecclesiae, et interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniatur ex can. 2329. Denique certum est per celebrationem Missae Ecclesiam violatam non reconciliari. Ita S. R. C. die 19 Aug. 1634.

1) Dicitur *minus rectum*, quia non requiritur ad scandalum, ut actio vel actionis omissio revera sit mala ; sed sufficit ut habeat speciem mali : *praebens occasionem*, quia non requiritur, ut inductus revera peccet ; sed sufficit, ut detur ei occasio peccandi.

10017

Q. *Quotuplex est scandalum?*

R. Scandalum activum est duplex, nempe per se, et per accidens; per se. quando quis directe, vel indirecte 1) dat alteri occasionem ruinae spiritualis; per accidens, quando quis occulte minus recte operatur, et casu ab aliis videtur. Scandalum passivum est etiam duplex, nempe datum, et acceptum. Primum est ruina spiritualis, quae oritur ex alterius dicto, vel facto revera minus recto; secundum est ruina spiritualis, quae oritur ex fragilitate vel ignorantia accipientis, et in hoc casu dicitur scandalum pusillorum, vel ex propria malitia, et dicitur scandalum pharisaicum.

Q. *Scandalum estne speciale peccatum?*

R. Scandalum activum per se continet speciale peccatum contra charitatem juxta numerum personarum, quae scandalum acceperunt 2).

Q. *Peccatne semper peccato scandali, qui cooperatur peccato alterius?*

R. Distinguo: si cooperatur formaliter, peccat: si materialiter, non peccat 3).

---

1) Dicitur *directe*, quando dictum vel factum expresse dirigitur ad inducendum alium in peccatum; *indirecte*, quando non intendit ut ruina spiritualis alterius, sed suum vel alterius commodum, et praevideri potest ex ipsa actione alium induci ad peccatum.

2) Qui vero scandalum praebet, plura peccata committit; nam praeter peccatum contra charitatem, tot alia peccata facit, quot sunt laesiones virtutum, ad quas violandas proximum inducit, quia unaquaeque virtus sicut habet jus ne violetur, habet pariter jus, ne praebeatur aliis occasio eam violandi. Sic qui furatur in Ecclesia coram alio, peccat contra justitiam, contra caritatem, et religionem, quia alium inducit ad violandam justitiam, charitatem, et religionem, quidquid aliqui dicant; Hinc in confessione manifestanda est non solum species inductionis, seu scandali, sed etiam numerus inductorum. Adverte quod qui peccat coram valde bonis vel valde malis, non peccat peccato scandali; excipe si turpiter peccet.

3) Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente. Prout autem charitati adversatur, communiter definitur: participatio quaedam ad actionem pravam alterius. Cooperatio est formalis vel materialis. Formalis est, quando quis ponit actionem, qua proximus uti non potest sine peccato, veluti scriptio epistolae turpis, quam alter vult mittere ad amasiam. Materialis, est, quando quis ponit aliquam actionem, qua proximus uti potest sine peccato, uti vendere ei vinum. Haec autem est licita dummodo adsint istae conditiones: 1.° requiritur, ut actio sit per se bona vel indifferens: 2.° ut ponatur sine ulla intentione peccati alterius: 3.° ut concursus sit remotus, nempe ut actio cooperantis remote cum prava alterius actione connectatur; 4.° ut adsit justa et proportionata causa; 5.° ut non teneatur quis ex officio impedire peccatum proximi. Harum una si deest, dicitur cooperatio materialis illicita.

Hinc si mulier se ornat, et se praesentat alicui, a quo scit turpiter amari, si honeste se ornat, et adest justa causa nempe necessitas vel utilitas se huic praesentandi, non peccat peccato scandali, quia cooperatio est materialis; sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo, si justam habet causam, etiam lucri; sicut etiam ministrare carnes petenti die vetito, quia empto-

Q. *Peccatne peccato scandali, qui suadet minus malum jam parato ad inferendum majus ?*

R. Si nullo alio modo potest eum removere a majori malo, et non adsit damnuma alterius personae, non peccat, quia in hoc casu bonum potius fsuadet, quam malum.

---

res possunt justam habere causam, et ipse non tenetur interrogare, si ipsi justam habeant causam.

Si quis petit mutuum ab usurario, vel juramentum a pejeraturo, vel sacramenta a sacrilego ministro, si adest justa causa, non peccat, quia cooperatio est materialis. Si famulus scalam sustinet domino ascendenti per fenestram ad stuprandam virginem, ne ipse torvis oculis aspiciatur a domino, vel expellatur a domo, peccat peccato scandali, quia cooperatio est formalis, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. ; exposita enim motiva non sunt causa justa. Si vero hoc faciat, ne occidatur, quaestio ; at probabilius, ait Lig. II, 66, Q. IV non peccat, quia charitas non obligat cum gravi damno peccatum alterius avertere. Item non licet dominis hospitiorum (vulgo *caffè*, *bar*, *trattorie*) legenda exhibere folia, quae evidenter directe, et ordinarie sunt Religioni ac moribus adversa, etiamsi propterea hospites ad ipsos confluere desinant.

Adverte, quod si concurris ad peccatum proximi, quod sit contra justitiam commutativam in damnum tertii, tunc solum adest justa causa, quando tu passurus es majus damnum, si negares concursum tuum. Adverte tandem, quod, stante justa causa, licet occasionem peccati permittere, quia *permittere* non est *inducere* ad peccandum ; sic potest herus non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum eos ad furtum novit propensos,ut deprehensi resipiscant, tunc rationaliter permittitur furtum unum, ut viteutur plura : sic possunt custodes agrorum vinearum se abscondere, ut damnificantes capiant, et puniendo avertant ab aliis damnis. Ita communiter. Utrum etiam liceat occasionem peccati apponere ad probandam fidelitatem, litigant Doctores. Nonnulli id negant, quia hoc esset perinde ac positive concurrere ad peccatum, ejus periculum expresse creando, et ad illud inducendo. Sed alii probabilius id affirmant, quia occasionem apponere peccati non est ex sua natura inducere ad peccatum, sed est permissio peccati alterius ex justa causa, scilicet ut quis se indemnem servet a periculo damni obventuri. Aliud enim est inducere ad peccatum, aliud praebere occasionem, illud est intrinsece malum, non autem hoc, alioquin nunquam liceret, etiam ex justa causa, petere mutuum, ab usurario, juramentum ab infideli. Hinc juxta hanc sententiam non peccat dominus, qui de industria arcae, in qua pecunia reconditur, clavem relinquit appositam, vel monetam collocat supra tabulam, vel supra pavimentum, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur. S. Alph. II. 58.

S. I. C., die 14 Ianuarii 1818 interrogata : Estne permissum catholicis haereticorum templa aedificare ? respondit : *Non esse inquetandos, dummodo non adsit scandalum, nec fiat in contemptum religionis. Curet autem Episcopus, ut per Missionarios, et Confessarios opportune instruantur, quando a propria praestanda opera in haereticorum ecclesiis seu synagogis aedificandis se abstinere debeant. Tenentur scilicet ab opere se abstinere:* 1. *ubi hujusmodi opus communiter habeatur* pro signo protestativo *falsae religionis:* 2. *vel aliquid in ipso contineatur, quod per se directe ac unice exprimat*

Q. *Ad vitandum scandalum aliorum suntne omittenda opera bona ?*

R. Ad vitandum scandalum pharisaicum non sunt omittenda ; ad vitandum scandalum pusillorum omittenda sunt aliquando ex charitate opera bona, sive de consilio, sive de praecepto, sed non cum nostro gravi incommodo.

De furto

Q. *Quid est furtum ?*

R. Est occulta ablatio vel detentio rei alienae, domino rationabiliter invito 1).

---

reprobationem catholici cultus et approbationem damnati cultus haereticorum; 3 *aut constet artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae religionis. Ceterum quamvis extra hos casus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt, ne haereticorum cultui cooperari intendant.*

S. C. de Propag. Fide 7 Dec. 1626, interrogata : Potestne permitti Christianis construere templa aut altaria idolorum, aut ipsa idola conficere ad vitandum exilium vel bonorum privationem ? respondit : *Non licet cooperari ad aedificanda templa, vel altaria idolorum vel eorum statuas conficere.*

Nullo modo licet christianis catholicis, neque ulla causa aut motivo permitti, aut tolerari posse, ut operam suam navent aedificandis, instaurandis verrendisque templis falsi numinis, vel auctoribus falsarum sectarum dicatis, aut eorumdem purgandis parietibus et pavimentis, mundandis altaribus, aperiendis claudendisque foribus. Ita S. Inquis. Congr.1669.

Qaesitum fuit Cong. S. Off. « In civitate M. existit hospitium, in quo infirmorum curam ferunt moniales. Cum autem in hoc hospitio subinde recipiantur acatholicae religionis sectatores, ac iidem ministrum haereticum, a quo religionis auxilia et solatia recipiant, identidem petant ». Quaeritur : utrum praefatis monialibus falsae religionis ministrum advocare licitum sit ? Insuper utrum eadem danda sit solutio, ubi haereticus infirmus in domo privata cujusdam catholici degit , utrum scilicet tunc catholicus ministrum haereticum advocare licite possit ? S. Officii Cong. die 15 Martii 1848 respondit : *Non licere ; sed passive se habeant.*

Interrogata Cong. S. Officii ab Archiepiscopo Friburgensi : 1.° Utrum liceat cadaverum crematioui cooperari, sive mandato ac consilio, sive praestita opera, ut medicis officialibus, operariis in crematorio inservientibus ? et utrum hoc liceat saltem, si fiat in quadam necessitate aut ad evitandum magnum damnum ? 2.° Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt, aut desistere non posse affirmant ? S Off. Cong. respondit : Ad 1.um *Nunquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo :* 1.° *crematio non habeatur pro signo protestqtivo massonicae sectae ;* 2.° *non aliquid in ipsa contineatur quod per se, directe, atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae :* 3.° *neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Caeterum quamvis in hisce casibus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt, ne crematioui cooperari intendant.* Ad 2.um *Provisum in praecedenti.* Die 27 Iulii 1892.

1) Dicitur *occulta*, quia si ablatio fit palam dicitur *rapina*, quae specifice differt a furto ; adest enim in rapina etiam injuria in personam.

Q. *Quotuplex est furtum?*

R. Simplex, et qualificatum. Primum, quando opponitur tantum justitiae. Secundum, quando opponitur etiam alteri virtuti; tale est furtum sacrilegum, quod est triplex: nempe *Sacrum de Sacro, Sacrum de non Sacro,* et *non Sacrum de Sacro* 1).

Q. *Quaenam quantitas constituit materiam gravem in furto?*

R. Multi multa dicunt. Aliqui docent, esse materiam gravem furari ab aliquo quantum ei sufficeret pro victu unius diei juxta conditionem suam 2).

Q. *Dantur casus, in quibus aliquis furatur leve, et peccat graviter?*

R. Maxime: quando nempe affert grave damnum, vel gravem tristitiam

---

Dicitur *domino invito*, nam si dominus certo consensisset, non esset furtum, si quis aliquid acciperet. Dicitur *rationabiliter invito*, nam si dominus esset invitus irrationabiliter, nec etiam esset furtum. Hinc si quis in extrema necessitate acciperet alienum, non esset furtum; secus si in necessitate gravi, ut ex prop. damnata ab Innoc. XI.

Si uxor occulte accipit aliquid notabile de bonis viri, quorum ipsa nullum habet dominum, sed vel ad victum et vestitum juxta sui statum, vel ad donationem remuneratoriam faciendam, vel ad subveniendum parentibus vel ad moderatas eleemosynas non est furtum, quia in his casibus vir esset irrationabiliter invitus; secus esset furtum. Idem dic, si vir de bonis uxoris, si filius de bonis patris, si pater de bonis filii aliquid notabile accipiant.

Si famuli moderate aliquid accipient de esculentis et poculentis domini ad proprium usum, non est furtum; secus si ad vendendum, ludendum etc.

Tandem adverte, quod, dum per occupationem bona derelicta fiunt primi occupantis, qui accipit bona naufragantium, committit furtum, quia ista bona non censenda sunt derelicta.

1) Committentes furtum sacrilegum nullam incurrunt censuram, quia fures non sunt usurpantes, neque alienantes bona Ecclesiae. Nam *usurpantes* illi dicuntur, qui bona ecclesiae auctoritative sibi adjudicant tamquam propria; *alienantes* sunt legitimi administratores, qui bona ecclesiae sine venia S. Sedis vendunt, hypothecant etc; *fures* vero sunt illi, qui bona a dominis clam surripiunt, eorum jura recognoscentes. Et hoc confirmatur ex responsione S. C. Concilii in decreto in *Sorana*, 27 Feb. 1596, quae sic se habet: *Fures surripientes res ecclesiae, vel locorum piorum non incurrere excommunicationem Concilii:* nec non ex responsione S. U. Inquisitionis 9 Martii 1870.

2) Adverte, quod major quantitas requiritur ad constituendam materiam gravem in pluribus furtulis, quam in uno, praecipue si sint in damnum diversorum, vel alicujus consanguinei; sic etiam pro pluribus furtulis factis eidem personae per intervalla, aut diversis personis, sed discontinuatim, major quantitas requiritur. Dixi *aut diversis personis*, nam plura furtula, licet diversis personis facta, coalescunt, et quando perveniunt ad materiam gravem, grave erit peccatum, et gravem obligationem restitutionis inducunt. Haec sententia, ait Ligorius, est communis et tenenda, quia praeceptum non furandi, non solum prohibet, ne damnum alteri inferatur, sed etiam ne quis injuste ditescat re aliena. At hujusmodi fur sub gravi tenetur Reipublicae restitutionem facere; dominis vero tantum sub levi, quia non fuerunt graviter laesi. S. Lig. III. 534.

domino ; aut quando est causa, ut dominus blasphemet, aut quando furando leve habet animum perveniendi ad materiam gravem 1).

De mendacio.

Q. *Quid est mendacium ?*

R. Est mentis et locutionis discordia cum intentione fallendi. Potest esse mendacium vel damnosum, vel officiosum, vel jocosum, prout affert damnum, utilitatem, aut jocum.

Q. *Est peccatum grave, an leve ?*

R. Officiosum et jocosum per se sunt leve ; damnosum, si affert damnum leve, etiam est leve, secus grave 2).

Q. *Estne licitum uti restrictione mentali vel aequivocatione ?*

R. Praemitto : Restrictio mentalis est locutionis modus, cujus pars verbis exprimitur, pars in mente retinetur, quae si ex circumstantiis cognosci potest, dicitur *mixte mentalis* ; si nullo modo cognosci potest, dicitur *pure mentalis*. Aequivocatio est locutionis modus duplicem habens sensum : puta hic liber est Petri ; potest enim Petrus esse dominus, et auctor libri. Restrictio mixte mentalis dicitur etiam aequivocatio, vel amphibologia. Hoc posito, restrictio pure mentalis est mendacium, et ea uti non possumus, tamen possumus uti restrictione mixte mentali vel aequivocatione, stante causa, dummodo non teneamur aperire veritatem.

De judicio temerario, et suspicione.

Q. *Quid est judicium temerarium ?*

R. Est quando nullis sufficientibus signis, seu rationibus, firmo mentis assensu male sentimus de proximo. Si adsunt sufficientes rationes, judicium dicitur prudens 3).

---

1) Iste a principio peccat graviter affective ; coalescentibus postea furtulis per tempus non notabile (quod inter unum et aliud furtulum intercedit) peccat graviter effective. In hoc casu ad illam partem, quae dedit complementum materiae gravi, tenetur sub gravi, ad reliquas sub levi. Tandem, si completa jam materia, adhuc aliud furtulum committit, aggravat peccatum suum.

2) Ex novo codice can. 2360 1.° « Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excom. speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. 2.° Clerici hoc delictum committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt; religiosi autem priventur omnibus officiis, quae in religione habent et voce activa et passiva, praeter alias poenas in propriis cujusque constitutionibus statutas.

3) Judicium temerarium est peccatum contra justitiam. Nam per tale judicium laeditur justitia, cum unusquisque habeat jus ad bonam sui existimationem.

Q. *Quid est suspicio temeraria ?*

R. Est mentis inclinatio, sed non firma, ad sentiendum male de proximo, dum non adsunt rationes probabiles ; si adsunt, dicitur prudens.

Q. *Judicare, vel suspicari male de proximo est peccatum ?*

R. Judicare temere est peccatum grave, vel leve, prout est materia. Suspicari temere est peccatum leve ; excipe si quis temere suspicatur malum valde enorme de persona valde honesta.

De detractione, contumelia, et libello famoso.

Q. *Quid est detractio, quid contumelia ?*

R. Detractio est injusta imminutio famae alienae. Contumelia est injusta imminutio honoris alieni 1).

Q. *Quot modis solet fieri detractio.*

R. Fit praecipue infamando, vel diffamando 2).

Q. *Detractio, et contumelia suntne grave peccatum ?*

R. Grave vel leve, prout damnum, quod infertur.

Q. *Qui detractorem audit, peccatne ?*

R. Si ad detractionem inducit, peccat semper. Si audit tantum, distinguo : si moraliter est certus, quod detractor injuste loquatur, et prudenter judicat monitionem esse profuturam, tacendo vel audiendo peccat ; secus non peccat.

---

1) Fama est *alienae excellentiae* existimatio. Honor est *alienae excellentiae testificatio.*

2) Infamando, quando delictum falsum imponitur, diffamando quando delictum occultum manifestatur. Infamatio nunquam est licita ; semper enim perniciosum continet mendacium. Diffamatio aliquando licet, stante justa causa. Hinc licet manifestare delictum occultum alicujus ad petendum consilium, vel auxilium ; aut ob bonum commune, vel innocentis, vel ipsius deliquentis, nempe ut instruatur, aut emendetur, quippe quod hujusmodi manifestatio non est quid injustum ; revera non laedit justitiam, quia proximus non habet jus ita strictum ad suam famam, ut alii obligentur ad tagendam veritatem, quando ejus manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum ; nec laedit charitatem, quia charitas non obligat cum gravi incommodo ; et sicut non teneris impedire damnum proximi tui, quantumvis magnum, cum gravi tuo damno, ita nec teneris in casu occultum crimen proximi celare. S. Lig. III. 968. Hinc etiam qui diffamatum de uno crimine diffamat de alio crimine, quod cum primo connexionem habet, nec etiam peccat, saltem graviter. Haec autem infamatio, vel diffamatio potest fieri *directe*, et *indirecte* : 1. *directe* si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur ; 2. *indirecte*, negando nempe bona opera proximi, vel etiam quandoque tacendo *aliis laudantibus*, vel frigide laudando. Hi modi perbelle continentur his versiculis :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut reticet, minuit, laudatque remisse.

Q. *Licetne delictum publicum in uno loco manifestare in alio, ubi non est publicum?* 1).

R. Etsi alii aliud sentiant, Ligorius, lib. III. tract. VI, 964, dicit saltem excusari a culpa gravi.

Q. *Quid est libellus famosus?*

R. Est signum, vel scriptura continens infamiam occultam alicujus, ut publica fiat 2).

De secreti manifestatione.

Q. *Quid, et quotuplex est secretum?*

R. Secretum est obligatio aliquid reticendi. Potest esse promissum, naturale, et commissum. Secretum promissum habetur, quando quis se obligavit ad aliquid non manifestandum. Naturale habetur, quando quis casu aliquid videt, vel audit, quod manifestari non potest sine gravi damno tertii. Commissum, quod dicitur etiam rigorosum et absolute naturale, habetur quando aliquid non manifestandum alicui committitur expresse, vel etiam tacite, prout medicis, advocatis, theologis consultis, etc.

Q. *Quomodo obligat secretum?*

R. Secretum promissum obligat sub gravi, vel sub levi, prout est materia, et prout fuit mens promittentis; nunquam vero, regulariter loquendo, cum gravi incommodo 3), et judici legitime interroganti est manifestandum. Naturale strictius obligat, commissum strictissime; excipe si vergeret in damnum commune, vel innocentis, vel ipsius committentis, vel proprium 4).

---

1) Delictum potest esse publicum vel publicitate juris, vel publicitate facti, vel publicitate famae: 1.um habetur quando fit publicum per sententiam judicis, vel confessionem rei, vel depositionem testium; 2.um quando est commissum in publico; 3.um quando jam est divulgatum.

2) Adverte, quod nomine *signi* veniunt quaecumque emblemata, imagines, figurae hominem dedecorantes.

3) Dicitur regulariter loquendo non obligare secretum cum gravi incommodo, quia si secretum cedit in grave damnum commune, omnino est aperiendum.

4) Peccatne graviter, qui aperit aut legit alterius litteras? Resp.. Affirm. per se, seu ex genere suo. Ratio est, quia jure naturali, et jure gentium obligatio inest secreta litterarum illaesa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. S. Alph. Hom. Apost. tr. 11. de 8.º Praec. n.º 5., et alii communiter. Excipe casus sequentes: 1.º si adsit consensus tacitus aut praesumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litterae mittuntur: 2.º si cognoscatur vel praesumatur litteras continere res levis momenti; 3.º si justa de causa fiat, v. g. ad damnum publicum aut privatum avertendum, modo ad malum istud propulsandum quis jus habeat litteras aperiendi, nec plus legat, quam ad hunc finem necessarium est; 4.º si litterae ex levitate aut ex aliqua inadvertentia aperiantur. S. Alph. V. 70.

De homicidio.

Q. *Quid est homicidium ?*

R. Est injusta hominis occisio. Potest esse simplex, si opponitur tantum virtuti justitiae ; et qualificatum, si opponitur etiam alteri virtuti. Insuper potest esse voluntarium, et casuale ; casuale vero potest esse pure casuale, et mixte casuale, quod dicitur etiam indirecte voluntarium 1).

Q. *Estne licitum occidere seipsum ?*

R. Directe nunquam : indirecte vero aliquando licet, nempe non adhibendo media extraordinaria ad vitam servandam.

Q. *Estne licitum occidere injustum aggressorem vitae suae, vel alterius impotentis ?*

R. Maxime : sed cum moderamine inculpatae tutelae 2).

Q. *Licetne occidere invasorem pudicitiae suae vel alterius ?*

R. Litigant Doctores. At ex D. Lig. cum aliis licet ; quia pudicitia est bonum maximae excellentiae.

Q. *Estne licitum occidere aggressorem bonorum fortunae ?*

R. Si ista bona sunt extreme necessaria ad vitam, licet ; si vero sunt bona solum magni momenti, quaestio 3).

Q *Estne licitum occidere furem unius aurei, seu rei parvi momenti, vel occidere aliquem causa defendendi honorem, vel famam, vel jus* inchoatum, quod habemus ad aliqua obtinenda, vel marito occidere uxorem *deprehensam in adulterio ?*

R. Minime : omnes istae sunt propositiones damnatae ab Innoc. XI, et ultima ab Alex. VII.

---

1) Homicidium pure casuale non imputatur ad culpam ; evenit enim praeter intentionem agentis ab actione, ex qua praevideri non poterat esse secuturum. E contra mixte casuale ad culpam imputatur, quia licet praeter intentionem sequatur, tamen agens poterat illud praevidere, et tenebatur majorem diligentiam adhibere, vel ab actione se abstinere. Quare qui dat operam rei periculosae, etiamsi mors non sequatur, graviter peccat ponendo causam ; ita v. gr. parentes et nutrices, si infantes secum in lecto, nondum completo aetatis anno, tenent, graviter peccant ob periculum suffocationis. Excipe si ex aliqua circumstantia, et adhibitis efficacibus mediis, periculum fiat remotum.

2) Ad moderamen inculpatae tutelae requiritur : 1.° ut aggressor sit injustus ; 2.° ut non adsit alia via effugiendi mortem ; 3.° ut tanta resistentia opponatur, quanta requiritur ad servandam vitam ; 4.° ut hoc fiat sine animo vindictae.

3) Aliqui negant ; nulla enim adest proportio inter vitam, et bona fortunae ; alii vero affirmant, quia praeceptum charitatis obligat praeferre bona proximi altioris ordinis, quando proximus est in necessitate, non quando est in perversa voluntate ; sed hoc intelligitur, cum non adest via rem recuperandi.

Q. *Estne licitum aliquando occidere innocentem?*

R. Directe nunquam : indirecte vero aliquando licet, urgente necessitate, et bono publico 1).

De duello.

Q. *Quid est duellum?*

R. Est pugna singularis, suscepta ex condicto, et ex privata auctoritate, cum periculo occisionis vel gravis vulneris, designato tempore, loco et armis 2).

Q. *Estne aliquando licitum?*

---

1) Hinc potest dux dirigere tormentum bellicum contra aliquem locum inimicum, licet ibi adsint forte innocentes.

Homicidae et mutilatores incurrunt irregularitatem ex delicto can. 985

2) Haec omnia requiruntur pro duello stricte sumpto, et dicitur *ex condicto*, idest ex praecedenti et deliberata conventione; hinc si unus ex rixantibus alium ad dimicandum ex calore iracundiae provocet, et statim pugnet, non est verum duellum. Ita S. C. C. 5 Oct. 1754. — At verum duellum est, si duellantes ea lege certamen susceperint, ut ab eo desisterent, statim ac ipsorum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit ; aut ea lege ut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit, sicut legitur in Bulla Clem. VIII.

Duellum si fiat cum aliquibus solemnitatibus, puta affixis chartulis, designatis testibus, patrinis, dicitur solemne ; secus privatum.

Adverte discrimen inter duellum, rixam et bellum. Rixa est pugna singularis, sed non ex condicto ; bellum est pugna facta auctoritate publica inter multos, et posset etiam fieri inter duos, uti fecit David cum Goliath.

Definitur igitur bellum : Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam Reipublicae defendendae aut vindicandae causa.

Distinguitur bellum in *offensivum*, si fiat ad injuriam vindicandam, et in *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Bellum *per se* licitum est. sive ad injuriam repellendam, sive ad jus suum vindicandum. Ratio est, quia societas quaelibet independens ab alia societate, habere debet medium se tuendi contra injuriam, et jus suum vindicandi ; interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Quapropter, cum altiora desint tribunalia, ad quae Nationes seu Principes recurrere queant, solum superest, ut ad satisfactionem ab alia societate obtinendam bello utantur. Ita S. Thomas 2. 2 q. 40.

Ad bellum justum et licitum sequentia necessario requiruntur.

1. *Auctoritas legitima*, id est suprema, nullum alium Superiorem in civilibus agnoscens. Ratio est, quia ubi major auctoritas habetur, haec de lite judicare debet.

2. *Causa justa et gravis*, quae sit praeponderans incommodis ex bello secuturis, v. g. regnum vel provincia recuperanda, aut injuria gravis Reipublicae propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda etc.

3. *Debitus bellandi modus*, scilicet aut ante bellum a parte adversa requiratur condigna satisfactio;quae si offeratur; ex justitia acceptari debet, ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse justum. Ita S. Thomas ibidem.

R. Minime : quia intrinsece malum, uti ex Tridentino 1).

Q. *Quaenam sunt poenae contra duellantes ?*

R. Adest privatio sepulturae ecclesiasticae, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa, 2) ex can. 1240, et excommunicatio simpliciter Rom. Pontifici reservata, in quam incidunt duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, 3) vel ipsum acceptantes, vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint. Ipsi vero duellantes, et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames. Ita can. 1251.

De abortu

Q. *Quid est abortus ?*

R. Est expulsio immaturi foetus 4).

---

1) Hinc non licet acceptare duellum ad vitandam notam timiditatis, ad servandum honorem, famam, fortunas, vel officium; neque ad illud provocare, etiamsi sciatur, quod pugna non sit secutura, et etiamsi negligentia, vel malitia magistratuum civitatem constituat veluti in statu naturali, in qua nimirum justitia aperte denegatur, prout docent variae propositiones damnatae a Bened. XIV.

2) En textus : can. 1240 *Ecclesiastica sepultura utpote indigni, privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa.... Mortui in duello, aut ex vulnere inde relato.* Hinc si quis moritur ex vulnere in duello accepto, quin aliquod poenitentiae signum dederit, sive ibi, sive alibi moriatur, privatur sepultura ecclesiastica ; si vero dedit signum poenitentiae non privatur, uti eruitur ex textu.

3) Nota quod provocantes excom. incurrunt, quamvis ab altero duellum non acceptetur ; omnes alii nempe mandantes, consulentes, operam aut favorem praebentes, utrum in excommunicationem incidant, etiam si post duellum non sequatur, quaestio — Effugiunt autem censuram, qui comitantur pugnaturos, sed animo impediendi duellum, et qui vel casu transeundo, vel in secreto, vel a longe duellum conspiciunt ; isti enim excom. non incurrunt, quia sua praesentia non acuunt ad pugnam.

S. C. Univ. Inquistioni proposita fuerunt duo sequentia dubia ; 1.° Potestne medicus rogatus a duellantibus duello adsistere cum intentione, citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem Summo Pontifici simpliciter reservatam? 2.° Potestne saltem, quin duello sit praesens, in domo vicina vel in loco propinquo sistere proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium. si duellantibus opus fuerit ? 3.° Quid de confessario in iisdem conditionibus ? Emi PP. haec dubia ad examen revocarunt in Congr. generali feria V. die 28 labentis maji, ac re mature perpensa, respondendum censuerunt. Ad 1um *non posse, et excommunicationem incurri.* Ad 2.um *vero. et* 3.um *quatenus ex condicto fiat, item non posse, et excommunicationem incurri.* Romae, 31 maji 1884.

4) Dicitur immaturi, et sic distinguitur a mera *partus acceleratione.* In

Q. *Licetne procurare abortum, si foetus est inanimatus, ne puella gravida deprehensa occidatur ?*

R. Minime : quia procurare abortum est intrinsece malum.

Q. *Licet matri sumere medicinam necessariam ad vitam sibi servandam, si timetur ex hac medicina indirecte abortus ?*

R. Distinguo : si foetus est inanimatus, licet ; melior est enim vita praesens matris, quam futura prolis ; si est animatus, subdistinguo: si, moriente matre, moriturus est etiam foetus, licet, quia melius est unum, quam duo mala; si vero, moriente matre, adest probabilis spes, quod foetus non moriatur, et baptizetur, non licet, quia vita spiritualis foetus praeferenda est vitae temporali matris.

Q. *Quaenam sunt poenae contra procurantes abortum ?*

R. Ex canone 2350. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excom. latae sententiae Ordinario reservatam 1), et si sint clerici, praeterea deponantur. Insuper, ex canone 985, qui foetus

---

partus acceleratione foetus immaturus non est, et quamvis praemature in lucem prodeat, idest ante completum gestationis tempus, potest tamen naturaliter vivere. Abortus proprie locum habet septem prioribus gestationis mensibus,reliquis duobos mensibus mera partus acceleratio est. Unde patet partus accelerationem, cum foetui non inferat proprie malum positivum, sed tantum in illius minus bonum tendat, *illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis, et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris, et foetus vitae consulatur, ita Cong. S. Officii declaravit.* Die 4 Maii, 1898.

1) Ut censura incurratur, requiritur, ut directe procuretur abortus, non indirecte quia cum procurare abortum sit illum *ex industria quaerere, et velle, sequitur* quod qui non vult abortum, tanquam objectum immediatum sed aliquid aliud, ex quo sequitur abortus, abortum *non procurat*, quia illum non vult. Hinc si quis ira et odio mulierem praegnantem percutit, ex qua percussione sequitur abortus, licet graviter peccet, censuram tamen non incurrit, quia est indirecte voluntarium.

Hodie non interest utrum foetus animatus fuerit an inanimatus ad incurrendam excommunicationem, quia novus codex generatim loquitur. Sublata igitur in novo Cod. distinctione inter foetum animatum et inanimatum, excommunicatio ligat procuratem, quocumque tempore praegnationis abortus locum habuerit. Ad incurrendam vero irregularitatem ratione homicidii requiritur, ut foetus sit animatus. At hodie communis est opinio quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies animetur.

Nota : 1.° quod irregularitas non incurritur, nisi certo constet foetum ejectum fuisse ex causa et ex mediis ad ejectionem procurandam adhibitis ; 2.° quod, etsi casus sit occultus, dispensatio irregularitatis petenda est a S. Poenitentiaria (cum agatur de homicidio voluntario) apud quam exprimendum est, si ipse, qui abortum procuravit, fuerit genitor foetus ; alias ex stylo Curiae subreptitia, et nulla erit dispensatio.

S. Poenitentiariae quaesitum fuit ; An stante justa causa possit fieri

humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes incidunt in irregularitatem ex delicto.

---

partus praematurus ? Respondit : *Si intelligatur partus immaturus, qui praeit ordinarium naturae cursum, ita tamen ut foetus eam maturitatem assecutus, fuerit, ut in lucem editus vivere possit, affirmative.* Die 5 Julii 1843. Et alia vice pariter interrogata, respondit : *Si intelligatur partus praematurus. qui praecedit ordinarium naturae cursum, ita tamen ut in lucem editus vivere possit, licere.* Die 5 Januarii 1879.

A. S. Congregatione S. Officii Illmus et Rmus Dnus Epus, Petrocoricensis quaesivit ; An permittere possit in suo Seminario ut tanquam probabilis doceatur nonnullorum recentiorum opinio, quod liceat infantem in utero matris occidere ad matrem relevandam, si alias mater et infans perituri sint ? Emi PP. ad examen revocarunt propositum dubium, quod cum sit objectum plurium petitionum, quae ab aliis quoque Ordinariis transmissae fuerant, responderunt ; *adhuc penes supremum hunc Ordinem in studiis est.* Romae, die 10 Decem. 1883.

A. S. Congr. U. Inquisitionis Emus Archiepiscopus Lugdunensis quaesivit : « An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam Craniotomiam appellant, quando scilicet ea omissa, mater et filius perituri sint ; ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte ? » Emi PP. omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum, quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta, ac ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa sunt , respondendum esse duxerunt : *Tuto doceri non posse.* Romae, 21 Maji 1884.

S. Cong. U. Inquisitionis Archiepiscopus Cameracensis dubia nonnulla proposuit circa liceitatem quarumdam operationum chirurgicarum Craniotomiae affinium. Quibus sedulo perpensis Emi äc Rmi PP. Cardinales responderunt : *In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam Craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit* die 21 Maji 1884, *et quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus, vel matris gestantis.* Romae, die 19 Augusti 1889.

Quaesitum fuit Congregationi S. Officii : 1.° Eritne licita partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore ? — 2.° Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum procurare, aut caesaream suo tempore perficere operationem ?—3.° Estne licita laparatomia, quando agitur de praegnatione extra-uterina, seu de ectopicis conceptibus? Respondit: Ad 1.um Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consulatur — Ad 2um Quoad primam partem, negative, juxta decretum fer. IV 24 Iulii 1895, de abortus illiceitate. Ad secundam vero quod spectat : Nihil obstare quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subjiciatur — Ad 3um Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur. Sanctitas Sua Leo XIII. resolutionem adprobavit Die 4 Maji 1898.

Operatio seu sectio caesarea ab abortu differt. Operatio caesarea in hoc

Q. *Ipsa mulier praegnans procurans sibi abortum incidit in hanc excommunicationem ?*

R. Maxime quia in novo codice dicitur : *matre non excepta.*

consistit, quod uterus matris gravidae aperiatur, ut foetus extrahatur. Et heic quaeritur 1.º quando fieri potest. 2.º quando debet. *Ad primum* I. Mortua matre certum est posse fieri operationem caesaream, et quidem statim ac de ejus morte constat. II Vivente matre nunquam licite fieri potest operatio caesarea, quoties adest periculum seu proximum seu probabile mortis matris ex ipsa secuturae, quamvis ea non facta, mater et proles certo perituraе sint. Ratio est, quia esset id perinde ac directe matrem occidere, quod nunquam licet. Unde S. Thomas ait ; *Non debet homo occidere matrem ut baptizet puerum.* III Vivente matre licite fieri potest operatio caesarea positis his circumstantiis : 1.º si illa naturaliter parere non possit, aut moritura sit,antequam pariat,cum maximo periculo mortis infantis priusquam baptizari queat : 2. si ex judicio chirurgi periti absit proximum mortis matris periculum. Potest autem abesse tale periculum, si mater sit robusta, ut constat ex innumeris exemplis, et ex sententia communiori medicorum et chirurgorum, quorum ars nostris praesertim temporibus provectior et perfectior evasit. *Ad secundum* I. Mortua matre certo est facienda sub gravi, etiam invitis parentibus, si fieri potest, quia ex lege charitatis salus aeterna infantis procuranda est. Admonendus tamen est loci Praefectus seu Praepositus, et adhibendi sunt testes ab ipso approbati tum ad mortem recognoscendam, tum ad majorem rei certitudinem, ac praesertim ne operationis auctor tamquam homicidii reus traducatur. II. Facienda est etiam vivente matre, si ex judicio peritorum non possit infans aliter baptizari, et nullum adest periculum proximum mortis matris, in hoc casu mater tenetur *per se*, et *speculative loquendo* illam pati. Ratio est, quia tenetur quodlibet incommodum temporale pati ad vitam spiritualem et aeternam infantis servandam. Lig. Dixi *per se*, et *speculative loquendo*, nam in praxi confessarius cavere debet,ne urgeat matrem sub gravi obligatione ob nimium periculum, ne consensum negando moriatur in statu peccati mortalis; et sic dum vult salvare vitam spiritualem infantis, damnetur ipsa mater. Satis igitur erit illam adhortari ad incisioni consentiendum.

Adverte. Quilibet sane, mortua matre, si foetus adhuc vivat, idque, constet, procurare debet, ut baptizetur. Quare si morali certitudine in ipso utero baptizari non potest, aperiendus matris uterus est a peritis vel etiam ab aliis. Sacerdotes vero regulariter saltem hac obligatione non tenentur propter gravissima ex parte civilis auctoritatis incommoda, et propter scandalum, quod in populo haberetur. Hinc ex Decr. S. Off. 15 Febr. 1760 missionariis in Sina prohibitio hac in re facta est, en verba : « *Haec foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda ac persuadenda sit,expresse tamen cavet,prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda* ».

De peccatis turpibus.

Q. *Quid est fornicatio ?*

R. Est concubitus soluti cum soluta mutuo consensu habitus.

Q. *Quid est adulterium ?*

R. Est violatio tori alieni. Si solutus rem habet cum nupta, vel uxoratus cum soluta, dicitur adulterium simplex ; si uxoratus eum nupta, dicitur duplex 1).

Q. *Quid est stuprum ?*

R. Est violatio virginis facta per vim 2). Si per vim violatur vidua vel corrupta, dicitur stuprum late sumptum.

Q. *Quid est incestus ?*

R. Est illicitus concubitus cum consanguinea, vel cum affini intra gradus prohibitos ad matrimonium contrahendum 3).

Q. *Quid est concubinatus ?*

R. Est detentio mulieris in propria vel aliena domo per modum uxoris 4)

---

1) Copula cum nupta, etiam ejus viro consentiente, est semper adulterium. Oppositum est damnatum ab Innoc. XI.

Adverte, quod in adulterio praeter peccatum contra castitatem, et contra charitatem adest aliud peccatum contra justitiam. Idem dic de stupro. At si adulterium est duplex, duo sunt peccata contra justitiam ob violationem juris duorum conjugum.

2) Per vim tam physicam, quam moralem, uti dolus, fraus, metus gravis, blanditiae nimis allicientes, etc.

3) Copula habita cum persona legali, vel spirituali cognatione conjuncta, esset alia species incestus. — Praeter peccatum contra castitatem, et contra charitatem in incestu habetur aliud peccatum contra pietatem.

Adverte, quod incestus cum consanguinea non est specie diversus ab incestu cum affini : ita S. Thomas. Diversitas vero graduum utrum constituat peccatum specie diversum, aliqui affirmant de solo primo gradu lineae rectae, aliqui etiam de primo gradu lineae transversalis, aliqui vero de omnibus gradibus.

4) Si filiusfamilias habet rem cum famula, licet adsit animus perseverandi, non dicitur concubinatus, quia non ipse detinet in domo famulam, sed pater.

Ex novo codice can. 2359 1.° Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis — 2.° Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum , vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspenduntur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur. — 3.° Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.

In D. N. Qui in concubinatu adulterino vixerint, incidunt in casum reservatum sine censura.

Q. *Quaenam conditiones requirintur ad concubinatum ?*

R. Pluralitas copularum quatuor nempe, vel quinque, facilis accessus, animus perseverandi, et ut mulier non habeat commercium cum alio.

Q. *Estne obligatus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec* sibi utilis esset ?

R. Maxime : et oppositum est damnatum ab Alex. VII. 1).

Q. *Quid est sodomia ?*

R. Est coitus cum eodem sexu; haec dicitur sodomia perfecta, coitus cum diverse sexu, sed vase indebito, dicitur sodomia imperfecta.

Q. *Quid est bestialitas ?*

R. Est coitus cum bestia.

Q. *Quid est pollutio, et utrum licita ?*

R. Pollutio est seminis effusio extra concubitum ; ipsa sive directe, sive indirecte procurata est graviter peccaminosa, utpote intrinsece mala.

Q. *Quid si provenit ex aliqua actione mala* 2) *praeter intentionem agentis ?*

R. Videndum : si actio est peccatum grave in materia turpi, tunc pollutio mortalis erit ; si veniale in eadem materia, venialis erit 3). Si vero actio est peccatum leve vel grave in alia materia 4), peccatum veniale erit; excipe si in pollutione adsit delectatio et consensus 5).

Q. *Quid de actibus luxuriae non consummatae ?*

R. Ad luxuriam non consummatam referuntur oscula, tactus, amplexus, aspectus, vellicationes, titillationes, compressiones manuum, et similia, quae illam provocant. Hoc posito, quando haec efficiuntur ob delecta-

---

1) Non sunt absolvendi concubinarius et cuncubina, nisi omnino separentur, quia in occasione proxima voluntaria versantur ; si autem vera adesset physica aut moralis impotentia, danda sunt media, ut evadat remota, et sic possunt absolvi

2) Dixi *mala*, quia si actio sit bona vel indifferens, et ponatur ex causa necessaria vel utili, vel conveniente animae aut corpori, tunc pollutio, licet praevisa, peccatum non est, dummodo absit consensus, vel ejus periculum, quia tunc homo potius patitur, quam agit ; deficiente vero causa, est peccatum leve.

3) Ratio primi est, quia adest connexio inter causam et effectum, qui etiam praevidentur ; ratio secundi est, quia non potest esse in effectu plus quam est in causa.

4) Uti esset ebrietas, iracundia, immoderata carnis comestio, et ratio, qua veniale peccatum committitur, est, quia non adest connexio inter causam et effectum.

5) Pollutio nocturna erit grave peccatum, si est voluntaria in causa sive directe, sive indirecte, quatenus ante somnum peccatum grave in materia turpi commissum sit, ex quo praevidebatur pollutio, quia adest connexio inter causam et effectum. Si vero nulla posita sit causa, et tunc non erit peccatum, quia deficit voluntarium, dummodo post somnum quis de ea se non delectet. Quod si quis de ea se delectet ob exonerationem naturae, id est ob diminutionem concupiscentiae vel molestiae, non est peccatum.

tionem carnalem, ac sensibilem 1) (etiamsi absque intentione progrediendi), sunt peccata mortalia, et oppositum fuit damnatum ab Alexandro VII ; ideoque in confessione sunt explicandae qualitates personae, cum qua sunt habita. Quando autem eveniunt cum delectatione mere naturali ac sensibili videndum : si adest scandalum aut periculum consensus, sunt etiam peccata mortalia ; secus si fiunt ex levitate, curiositate, et sunt venialia ; quod si adest justa causa, nullo modo sunt peccata. Excipe tamen in matrimonio quando ad copulam diriguntur , et non adest scandalum , quia cui licet plus, etiam minus.

De sollicitatione.

Q. *Quid est sollicitatio ?*

R. Est provocatio ad inhonesta et turpia facta a confessario poenitenti 2).

Q. *Quot sunt capita sollicitationis ?*

R. Sex : *In actu confessionis; immediate ante ; immediate post ; occasione confessionis; praetextu confessionis; in confessionali, seu in loco destinato vel electo ad audiendas confessiones cum simulatione audiendi confessionem* 3). Ita ex Bullis Greg. XV *Universi*, et Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae.*

1) Delectatio carnalis seu venerea est commotio spirituum generationi inservientium; sensibilis vero est delectatio naturalis, quae consurgit ex qualitatibus corporibus adnexis, puta ex contactu rei lenis, roseae, panni serici, etc. Lig. III, 415.

Quamobrem turpia et obscoena loqui, canere, legere, scribere, vel audire est mortale, si fiat cum delectatione venerea, vel cum probabili ejus periculo in se vel in aliis ;secus veniale.

Choreae, si fiunt a laicis inter personas honestas, et modo honesto, scilicet sine gesticulationibus inhonestis, praeciso scandalo et periculo libidinis, sunt licitae ; secus non.

Mulieres utentes veste virili, vel contra, tantum ex levitate, sine prava intentione, aut periculo scandali ac libidinis, venialiter tantum peccant ; alias mortaliter. Si vero ex necessitate fit, nullum erit peccatum.

2) *Sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc, aut post legendam; aut si cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.* Ita Const. Bened. XIV. — Sub nomine confessarii comprehenduntur etiam sacerdotes, qui jurisdictione ad valide absolvendum carent, quatenus se fingunt confessarios. Ita expresse declaravit Bened. XIV, in Const. *Sacramentum Poenitentiae;* et eruitur etiam ex novo codice, can. 904 ubi dicitur : *Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim Bened.* XIV *debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare etc;* et etiam ex decretis S. Inquisitionis 1661 n. 5. ut infra. — Tandem haec sollicitatio necesse est, ut fiat in aliquibus capitibus a jure expressis, ut incurrantur poenae ab Ecclesia inflictae.

3) *In actu confessionis* habetur, quando sollicitatio fit post inceptam confessionem, etsi non perfectam ; item habetur, quando confessarius in actu confessionis dat indicium suae pravae voluntatis, idest dicit, vel ponit quamcumque rem, quae licet non illo instanti appareat indifferens, po-

Q. *Quaenam sunt poenae contra sollicitantes ?*

R. Ex canone 904 adest poena denuntiationis, 1) et insuper in canone 2368 adjungitur : « suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacra-

stea vero cognoscitur apposita ad sollicitandum, uti v. g. si imponat mulieri ut eum domi expectet ; vel eam interroget, ubi habitet, an sola moretur, et postea confessarius illuc se conferat, et illam sollicitet. S. Alph. VI. 676. *Immediate ante, et immediate post*, quando confessio et sollicitatio faciunt unum morale, ita ut inter ipsas nulla diversa actio intercedat. *Occasione confessionis*, quando confessarius a muliere ad ejus confessionem audiendam rogatus ad alia divertit, et differendo ad aliud tempus confessionem, hac occasione data, eam sollicitat ; et heic notandum quod si poenitens petit confessionem pro crastina die, debet sollicitatio fieri in confessionario ; secus quocumque loco fit, uti eruitur ex decreto S. I. n. 4.º. Utrum vero sit caput sollicitationis *occasione confessionis*, si confessarius ex auditis in confessione ansam arripit ad sollicitandum, quaestio. Nonnulli affirmant, si ex circumstantiis sufficienter constet usum fuisse notitia confessionis ad incitandum postea poenitentem, et facilius eum movendum ad assensum. Alii negant, quum sollicitatio non fiat occasione *confessionis sacramentalis*, sed confessarius ex confessione notitiam, et ex notitia sollicitandi ansam capit : eo vel magis quia in tali casu denuntiatio vix sine propria poenitentis diffamatione fieri potest. Confessarius autem gravissime peccaret abutendo et violando sacramentale sigillum. Cf. Lehmkuhl par. 976. d' Annibale in notis. *Praetextu confessionis* quando confessarius aliquam personam ficte ad confessionem invitat, et eam sollicitat. En quomodo exprimitur Jos. d'Annibale part. II pag. 178: *idest si sacerdos confessionem praetexat, ut sollicitet poenitentem, non si poenitens eam praetexat, ut confessarium sollicitet; nec si uterque ex condicto, ut alios fallant* ». Ita quoque Bonac., Salm. Lehmkuhl, S. Alph. VI, 678. En verba S. Alph. : *Et tanto minus* (contra Concinam) *puto esse denunciandum confessarium, si mulier, nulla conventione praemissa, praetextu confessionis ipsum advocet, et sollicitet, quamvis deinde rem habeant, quia ex Bulla tunc confessarius denunciari debet, quando ipse sollicitat praetextu confessionis ; at in hoc casu non confessarius, sed poenitens praetextu confessionis confessarium sollicitat ».In confessionali* etc. quando sollicitatio fit in confessionali, seu in loco destinato vel electo ad audiendas confessiones; sed requiritur simulatio confessionis, idest debent esse ita dispositi, ut adstantes putent ibidem peragi confessionem ; uti eruitur ex decreto S. I. n. 15.

S. C. Univ. Inquisitioni ab Episcopo Nolano, die 25 Nov. 1874, quaesitum fuit : « 1. An loca, in quibus excipi solent confessiones Monialium, habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones, velut vera confessionalia? 2. An idem dicendum sit de locis constructis ad formam eorum, in quibus excipi solent confessiones Monialium claustralium, in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis, quae vulgo dicuntur Conservatorii, Ritiri ? 3. Quaetenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad Moniales, et alias degentes in praedictis locis, an vel etiam quoad alias mulieres extraneas ? Emi PP. respondendum censuerunt, ad tria dubia prout exponuntur ». *Affirmative.*

1) En textus can. 904 « Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV Sacramentum Poenitentiae 1. Jun. 1741 debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione,

mentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi subjiciatur. »

Q. *A quonam facienda est denuntiatio ?*

R. Ab ipso poenitente 1), et a quocumque alio, qui cero scit a fide di-

intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi. S. Officii ; et confessarius debet, graviter onerata ejus conscientia, de hoc onere poenitentem monere ».

1) Dicitur in textu *debet poenitens sacerdotem denuntiare*, et hoc etiamsi consenserit. At non tenetur suum consensum manifestare, nec potest super hoc ab Episcopo interrogari, ex Dec. S. I. 27 Sept. 1624.

Sacerdos sollicitans peccat contra castitatem, et contra charitatem ratione scandali, et committit duo sacrilegia, unum ob injuriam illatam sacramento, alterum ratione sui voti, et si sollicitat in ecclesia committit alliud sacrilegium ob violationem loci sacri.

Adverte : I. quod denuntiatio facienda est Inquisitoribus, vel Episcopo loci sive delicti, sive denuntiantis, sive delinquentis; II. quod in has poenas incurrit quilibet sacerdos, cum dicatur in textu *debet poenitens sacerdotem*, ideoque etiam non confessarius, sollicitans in praedictis casibus quamcumque personam, sive sit mas sive foemina, est denuntiandus etsi sollicitaverit puellam, quaeob suam simplicitatem animique candorem, nihil de impudicitiae malitiasuspicabatur, et sollicitationem non intellexit. Haec, cum pravam sollicitationem cognoscit, ad denuntiandum tenetur, uti declaravit S. C. Univ. Inq., 11 Maji 1707 ; III. quod si confessarius in uno ex sex capitibus dat poenitenti chartam postea legendam, in qua sollicitat, est etiam denuntiandus ; IV. quod onus denuntiationis non cessat per confessionem factam eidem confessario sollicitanti; et oppositum est ab Alex. VII. damnatum; V. quod confessarius non monens poenitentem de denuntiatione facienda peccat, et est ipse monendus; quod si malitiose deonerat, est denuntiandus uti suspectus de haeresi. Et heic notandum, quod onus denuntiandi non debet imponi a confessario sollicitante (id natura refugit), sed a quocumque, qui scit suum poenitentem fuisse ab alio sollicitatum, uti eruitur ex Benedicto XIV, qui statuit: *Meminerint omnes et singuli Sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis personam, quae sollicitationem commisserit* etc. Ex quo eruitur quod si ipse sollicitator non imponit suo poenitenti onus eum denuntiandi, non peccat ; VI. quod si sollicitans sit Episcopus, est etiam denuntiandus, sed apud Pontificem ; VII. quod accusans confessarium de falso crimine sollicitationis, et procurans ut ab aliis id fiat, incidit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. En textus novi codicis can. 2363 « Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia ».

gnis sollicitationem factam, etiamsi sciat sub secreto 1), vel juramento non revelandi.

Q. *In quam poenam incidit, qui non vult denuntiare ?*

R. Si intra mensem a die scientiae suae obligationis non vult denuntiare, incidit in excom. nemini reser., et sacramentaliter absolvi nequit, uti indispositus 2). Excipe, si excusetur ob rationabilem causam, et serio promittat, quam primum poterit, denuntiare 3).

Q. *Quaenam causae excusant ab onere denuntiationis ?*

R. Mors sollicitantis, et impotentia physica vel moralis; 1.ª est perpetua ; 2.ª temporanea 4).

Q. *Estne denuntiandus laicus, vel clericus sollicitans , simulans se confessarium ?*

R. Maxime : sed uti suspectus de haeresi, ex Constit. Gregorii XIII.

Q. *Estne denuntiandus confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos ?*

R. Maxime : ex. cit. decr. 1661. n. 3, cum in hoc non detur parvitas materiae 5).

Q. *Sacerdos, si est interpres confessionis, estne denuntiandus, si sollicitat ?*

---

1) Excipitur tamen ille, cui sollicitatio manifestata sit causa petendi consilium.

2) En textus can. 2368 « *Fidelis vero qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit intra mensem denuntiare incurrit in excom. latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit, aut se satisfacturum serio promiserit.* » — Excommunicatio enim quae incurritur non denuntiando, est tantum contra sollicitatum, uti eruitur ex textu ; scientes vero, si non denuntiant, peccant tantum contra bonum Ecclesiae, nec absolvendi sunt uti indisposti, sed non incidunt in excom.

3) Ex instructione S. Officii ad Episcopos, 20 Sept. 1867 : « Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi ; qui vero ob justam causam denuntiationem differre debent , eamque , quo citius poterunt , faciendam spondent, serioque promittunt, possunt tunc absolvi.

4) Qui non potest per se, tenetur per alium, vel per epistolam denuntiare, secluso tamen periculo suae infamiae. Ita declaravit Cong. S. Officii 1867 ; et sic e medio sublata est quaestio inter Doctos. At si poenitens, nullo impedimento detentus, denuntiationem omnino renuat, tunc confessarius Ordinarium, vel S. Sedem pro oportunis providentiis consulat, suppresso tamen ponitentis nomine. Ex instructione C. S. I., 20 Febr. 1867.

5) In quam resolutionem, hanc subdit notam *Scavini* « Id intelligunt Qualificatores, si actus sit plene deliberatus, et insuper si ex circumstantiis certe conjiciatur sacerdotem levi illo actu animum habere ulterius progrediendi. Et S. Alph. VI, 683 ait : « Quod si ex circumstantiis certe conjiceretur, quod sacerdos eo levi actu animum habuerit ulterius progrediendi, tunc censenda est sollicitatio gravis. » Hinc si actus est leviter pravus, et nihil pravae intentionis redoleat, non est denuntiandus. Aliud enim est sollicitare ad actus leves, aliud per actus leves sollicitare ad graviora.

R. Minime : quia se habet potius uti poenitentem, quam uti confessarium.

Q. *Sacerdos non sollicitans, sed sollicitatus a poenitente et consentiens estne denuntiandus ?*

R. Maxime : licet statim desistat de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differat, et non praebeat absolutionem poenitenti. Imo etiam si metu inductus sollicitationi consentiat. Ex decr. n. 2 et 9. 1).

Q. *Estne denuntiandus confessarius, si sollicitat non pro se, sed pro alio, si confessarius est emendatus ; vel si longum tempus a sollicitatione lapsum sit ; vel si sollicitatio probari non possit ; vel si dubitatur, utrum sollicitatio facta sit ab ipso, aut ab alio confessario ?*

R. Maxime : uti patet ex Bullis, et ex DD. sententia 2).

Q. *Quid si confessarius absolvat poenitentem complicem* 3) *in re turpi?*4)

1) Cum in tali casu denuntiatio sine propria poenitentis diffamatione fieri non possit, quia poenitens dicere debuisset ipsum sollicitasse confessarium, sequitur hanc obligationem pro eo esse suspensam, usque dum possit ab eo fieri sine propria diffamatione, cum nemo teneatur prodere seipsum, at interea temporis absolvi potest cum seria promissione eam faciendi, statim ac potest sine diffamatione.

2) Cum dubitatur de persona sollicitante, tunc facienda est denuntiatio, ait Ligorius, quando ex circumstantiis potest Superior cognoscere, quinam fuerit delinquens ; quod si hoc nullatenus deduci potest, non est facienda denuntiatio, quia nemo privari potest jure certo ad bonam famam, nisi certo constet aliquod crimen commisisse. Quod si dubium cadit non in personam, sed in ipsam sollicitationem, et tunc absolute non est facienda denuntiatio, quia nemo privari potest jure certo pro re dubia.

3) Complicitas constituitur non solum ex actibus obscoenis, sed etiam colloquiis, ut ait S. Alph., et confirmatur ex decreto S. Officii, nempe dubio ab Episcopo Aurelianensi proposito : « An prohibitio absolvendi complicem in materia turpi restringi debeat ad tactus ; an vero comprehendat omnia peccata gravia contra castitatem exterius commissa, etiam illa, quae in meris aspectibus consisterent ? C. S. Officii, die 28 Maji 1873, responderi mandavit : *Comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia, et exterius commissa contra castitatem etiam illa, quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important.*

4) Nomine rei turpis heic intelligitur omne peccatum externum, grave, certum, et formale contra VI. Decalogi praeceptum. Debet esse *externum* quia ad reservationem inducendam receptum est non sufficere solam culpam interiorem. *Grave,* quia hic non comprehenduntur peccata inhonestatis venialis, sive talia sint ex parvitate materiae, sive ex defectu advertentiae et consensus. *Certum*, quia juxta communem sententiam non censetur Superiores reservare peccata dubia. *Formale*, id est cognitum ex utraque parte. Unde non haberetur complicitas formalis, si quis vi turpiter tangeret confessarium renuentem, licet hic interne forsan consenserit. Nec haberetur complicitas juxta Bullas, si peccatum non esset contra sextum Decalogi praeceptum hinc si poenitens peccavit turpiter cum confessario in Ecclesia, et postea

R. Ex novo codice can. 884 Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo, et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum, et nominatim constitutionis Benedicti XIV Sacramentum Poenitentiae 1).

Q. *Adsuntne poenae contra absolventes complicem ?*

R. Ex novo codice 2367 « Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam : idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alteri confiteri » 2).

---

adivit alium confessarium ad confitendum peccatum turpe, et inculpabiliter oblitus fuit confiteri circumstantiam Ecclesiae, rediens ad primum confessarium comp.icem, et confitendo hujusmodi oblitam circumstantiam,' potest confessarius eum directe ab hoc peccato absolvere, quia materia non est contra sextum Decalogi praeceptum, sed contra religionem ratione sacrilegii localis, pro qua nulla est Ecclesiae prohibitio confessario complici eam absolvendi.

1) Hoc intelligendum est etiam de peccatis commissis extra casus sollicitationis, et de peccatis commissis, quo tempore confessarius erat laicus. Confessarius absolvens complicem in re turpi peccat : 1. contra praeceptum, ecclesiae id merito prohibentis ; 2. contra Religionem, quia administrat sacramentum nullum; 3. contra justitiam, si poenitens sit in bona fide, et putet se posse a confessario complice absolvi.

2) Excomunicationem non incurreret confessarius , si inadvertenter vel ignorans poenitentem esse suum complicem eum absolveret, quia deest culpa. Nec eam incurrit, si audit tantum, et non absolvit, quia non est absolvens. Si vero audit, et fingit absolvere, licet non absolvat (recitando nempe orationem quamdam vel alia verba pronuntiando, ita ut videatur tamen per signa, vel per manuum gestus revera poenitentem a peccatis relaxare), incidit in excom., uti habetur in novo codice can. 2367. Praeterea excommunicationem non incurrit sacerdos simplex, qui non habet facultatem audiendi confessiones, si sacrilege tentaret complicem absolvere, quia novus codex loquitur de confessariis.

Denique notandum, quod ut incurrantur poenae ab absolvente complicem debet esse peccatum complicitatis expresse confessum: hinc si poenitens complex confitetur suum peccatum hoc modo : *Me accuso de omnibus peccatis gravibus vitae meae contra sextum Decalogi praeceptum*, et confessarius eum absolvit, non incurrit poenas contra absolventes complicem latas. Et hoc dicendum a fortiori, si nullum verbum fieret a poenitente de peccato commisso, ne quidem *in specie*, quamvis confessarius certus sit complicem non adiisse alium confessarium, nec ideo fuisse absolutum a peccato complicitatis. Hoc eruitur ex responso S. Poenitentiariae. Etenim quaesitum fuit: « An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit ? S. P. die 16 Maj 1877, respondit: « *Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam ex-*

Q. *Adsuntne casus in quibus valida est absolutio, quin incurrantur poenae?*

---

communicationem, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit. » Ex quo responso infertur censuram et privationem jurisdictionis locum non habere, si complicitatis peccatum non subjiciatur clavibus.

Insuper quaesitum fuit S. Poenitentiariae « An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, confessarius, qui, ad vitandas praefatas censuras, induxit *directe* vel *indirecte* poenitentem complicem ad non declarandum peccatum turpe cum ipso commissum, et deinde complicem absolvit, sed peccatum complicitatis non declarantem ».

Directe autem confessarius inducit poenitentem, quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. g. illud jam novit, et declaratio illius esset inutilis. *Indirecte* vero inducit, quando confessarius suadere conatur poenitentem, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum et ab eo declarando revera se abstinet.

S. Poenitentiaria, mature considerato exposito, et approbante SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII, declarat : « *excommunicationem reservatam in Bulla Sacramentum Poenitentiae non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit, sive directe, sive indirecte* ». Datum Romae in S. Poenit. die 19 Feb. 1896. Ex quo responso infertur censuram locum habere, si confessarius directe vel indirecte induxit poenitentem complicem ad non declarandum peccatum turpe ; unde si confessarius negative se habet, idest nullam adhibet inductionem, et poenitens peccatum complicitatis ex se reticet, confessarius eum absolvens effugit excommunicationem, licet peccet, quia cooperatur peccato sacrilegii poenitentis. Id confirmatur in novo codice can. 2367. ubi legitur : « Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est »

Utrum autem vitet excommunicationem, qui, urgente gravissima causa, complicem, alteri confiteri non valentem (puta si mulier nullum alium sacerdotem ibi habeat, et ea vero sunt adjuncta personae loci, temporis, ut ad quaerendum confessarium alio divertere non possit, nec spes affulgeat, ut contingere potest in locis Missionum), indirecte tantum absolvit, olim quaestio erat. At nunc temporis ex novo codice can. 884 lis finita est, nam in textu absolute dicitur : *Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo, et etiam in periculo mortis extra casum necessitatis est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum Benedicti XIV Sacramentum Poenitentiae.* Ergo extra mortis periculum semper invalida est absolutio, et illa verba *extra casum necessitatis* referuntur ad articulum vel periculum mortis, quando adest alius sacerdos, et non timetur scandalum aut infamia non absolvendo.

Interrogata Cong. S. Officii : Utrum absolventes complicem in re turpi cum ignorantia crassa et supina hanc excommunicationem incurrant ,

R. Maxime : 1.º Quando peccatum turpe factum est materia voluntaria, quia jam rite absolutum ab alio confessario. 2.º In articulo vel periculo mortis, quando non adest alius confessarius, vel simplex sacerdos, vel si adest timetur scandalum aut infamia non absolvendo, uti eruitur ex superius dictis. 3.º Si moribundus recuset alteri confiteri, licet adsit alius sacerdos aut confessarius; ex novo codice can. 2367 1).

an non ? Respondit die 13 Januarii 1892 : *In casu incurrere facto, verbo cum. SSmo.*

Denuntiatio facienda pro absolutione complicis, uti suspecti de haeresi, debet fieri a quocumque id sciat, non vero a poenitente, qui non tenetur prodere seipsum.

1) Nulli dubium peccatum complicitatis (quando est materia voluntaria) posse indirecte absolvi, cum nempe poenitens cum eo etiam alia peccata confitetur, quia est materia voluntaria. At quaestio est, utrum possit directe absolvi, licet sit materia voluntaria, quando nempe hoc unum peccatum confitetur. Nonnulli negant uti doctus Ballerinius ex responso quodam Benedicti XIV. Episcopo Brugnatensi, et id probant ex ipsa Bulla : siquidem in ea absolute et generatim adimitur confessario jurisdictio in hujusmodi peccatum. Alii affirmant, uti Scavini, quia sicut Superiores non intendunt sibi reservare peccata, jam directe remissa, ita nec auferre jurisdictionem confessario in hoc casu, quia nulla est obligatio haec peccata iterumclavibus subjiciendi; et Emus d'Annibale: ait *Hodie hic casus eodem jure quo ceteri casus omnes reservati, metiri debet ;* atqui in ceteris, cum semel rite absoluti fuerint, reservatio cessat ; ergo quando peccatum complicitatis est materia voluntaria, potest directe absolvi. At certo poena non incurritur, quia jam antea rite absolutum fuit, ideoque non habetur crimen contra Bullam.

En discrimen inter Const. *Sacramentum Poenitentiae* et Const. *Apostolici muneris*. In prima Bened. XIV, decrevit : « *confessarium carere jurisdictione ad absolvendum complicem suum in peccato contra sextum Decalogi praeceptum, excepto articulo mortis, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, licet simplici.* ». In altera vero *Apostolici muneris* re melius perpensa, ne salus aeterna moribundi periclitaretur, praecedentem temperavit, et statuit : *in articulo vel periculo mortis semper esse validam absolutionem datam a confessario suo complici in re turpi, licet adsint alii sacerdotes, sed illicitam, eumque incurrere excommunicationem, si alius sacerdos sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem.* Hinc si adest scandalum aut infamia non absolvendo suum complicem, absolutio est valida et licita.

Pro rei claritate sequentes practicae deductiones afferuntur.

Confessarius invalide absolvit : 1. Poenitentem cum quo habuit inhonestos sermones, quia turpiloquium est peccatum contra castitatem — 2. Poenitentem cum quo convenit de seducenda muliere, licet postea non seduxerit, quia verificatur hunc poenitentem esse socium conventionis iniquae contra castitatem. — 3. Poenitentem, qui ipsi promiserit (et magis si ipsum invitaverit), ut peccaret cum propria uxore, vel filia, quia permittendo vel invitando) participat de crimine confessarii, ideoque complex est; quum complex et particeps unum idemque sint. — 4. Poenitentem, a quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere, quia exterius se

Declarationes S. Officii de sollicitatione, *sub die* 11 *Febr.* 1661 **approbatae et confirmatae a Bened. XIV. in Bul.** *Sacramentum Peonitentiae.*

1. An sit denuntiandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat ?

R. *Domini qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

2. An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de

---

complacendo de illis participavit, ideoque est complex peccati turpis. — 5. Poenitentem, cum quo peccavit contra castitatem, antequam esset sacerdos vel clericus, quia semper verum est complicem esse, ideoque ei auferri omnem jurisdictionem. — 6. Poenitentem impuberem complicem, quia prohibitio facta confessario absolvendi complicem non habet rationem reservationis, cum ipsi, non aliis confessariis potestas absolvendi auferatur.— 7. Poenitentem qui a peccato complicitatis fuit ab alio confessario indirecte absolutus, (nempe si ex oblivione inculpabili in confessione alteri confessario facta hoc peccatum non manifestaverit), quia quum adhuc poenitens teneatur hoc peccatum confiteri, illud manifestare tenetur confessario habenti jurisdictionem, quam quidem non habet confessarius complex.

Confessarius valide absolvit poenitentem complicem, quae jam alteri peccatum complicitatis confessa fuit, dicens peccasse cum sacerdote, reticens fuisse suum confessarium, quia haec circumstantia ad confessionem nullum respectum habet, cum non inducat incestum; cognatio enim spiritualis contrahitur tantum per baptismum et per confirmationem, neque inducit sacrilegium, cum nulla injuria sacramento irrogetur. Ita S. Alphonsus. Insuper confessarius valide absolvit puellam, quam dormientem vel reluctantem impudice tangit (etsi omnino non deberet illam audire, ne in periculum gravius peccandi se conjiciat), quia non absolvit a peccato complicitatis. Idem dicendum, si actus externus fuerit solummodo peccatum veniale , puta tactus manus, licet ab affectu libidinoso procedat, quia Superior sicut sibi non reservat peccatum externe tantum veniale, ita nec quoad peccatum in hoc casu aufert jurisdictionem. Hinc valide absolvit foeminam, cum qua intercessit osculum obiter datum, aut tactus momentaneus manuum, vel honestarum partium ex joco vel levitate. Idem dicendum foret si sacerdos (quod tamen vix esse potest)foeminam singulariter simplicem ac credulam ad credendum suasisset nullum esse peccatum, si se turpiter ab ipso attrectari sinat, et ea, bona fide revera decepta, talia in se fieri permisisset, quin formaliter peccaret. In his enim casibus vel non adest peccatum certo mortale, vel non adest omnino. Idem resolve, si delectatio quantumvis carnalis, et utrique orta, utrique sit interna, absque ullo signo externo et respective incognita. Denique nec invalida est absolutio super aliis peccatis complici directe impertita, si hic complicitatis peccatum inculpabiliter in confessione omiserit, quia absolutio in hoc casu nullatenus cadit super peccaum complicitatis ; unde non absolvitur complex directe a peccato turpi quod proihibetur sed indirecte liberatur, manente obligatione directae absolutionis istius peccati turpis apud alium confessarium. Lehmkulh vol. 2 pag. 669 ed. VII. An absolutio data a confessario complice valida sit saltem alio-

illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus ?

R. *Censuerunt incidere, et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

3. An confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus ?

R. *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.*

4. An confessarius, cui foeminam in confessionali dicentem se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat, et a confessione dissuadet, sit denuntiandus ?

R. *Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; secus si in confessionario, seu in loco confessionis.*

5. An sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in confessione poenitentem, sit denuntiandus ?

---

rum peccatorum, si poenitens fuerit in bona fide, ut fit quoties de peccatis reservatis agitur, litigant Doctores, Nonnulli negant, quia Bened. XIV, absolute ait in sua Const. *Sacr. Poenit.* absolutionem esse nullam, non solum quoad peccatum complicitatis, verum etiam quoad ipsam personam complicem en verba : *Sublata illi ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit.* Alii affirmant, quia in praedicta Bulla jurisdictio quidem adimitur confessario, sed confessario complici quoad poenitentem complicem in hujusmodi peccati specie. Ergo non ab aliis. Et confirmatur ex responso S. Poenit., quae dixit : *Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi et adnexam excommunicationem quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit.* — Quid si confessarius complicem inadvertenter absolveret ? Quaestio est. Nonnulli dicunt valere absolutionem, quia Bulla *praesumptionem et temerarium ausum* requirit ad nullitatem, quum sublata sit jurisdictio sacerdoti, qui *confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi excipere audeat ;* qui autem inadvertenter absolvit, excipere non audet : ergo valide absolvit. Alii vero negant, quia in Bulla *Sacr. Poenit.* duo distinguenda sunt, nempe jurisdictionis ademptio, et poena excommunicationis. *Prima* non tamquam poena proprie constituitur, sed tanquam lex irritans ad periculum avertendum, ne sacerdos complex complicem absolvere *audeat*, et ad removendam a sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et sacramentorum contemptum. — *Secunda* vero est poena, ad quam incurrendam requiritur *praesumptio.* — Sacerdos complex, complice in mortis periculo absoluto, potestne, illo periculo transacto, ratione integritatis ejus confessionem perficere ? Sic distinguendum est ; vel poenitens peccata complicitatis omnia nutibus sufficienter expressit, vel non. Si prius potest, quia peccata complicitatis jam fuerunt absoluta ; secus non potest , quia sunt materia necessaria

R. *Censuerunt esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

6. An interpres, si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus ?

R. *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

7. An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus ?

R. *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

8. An quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus ?

R. *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

9. An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus ?

R. *Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

10. An confessarius incidat in poenas Constitutionis Apostolicae contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonii, etc. sit denuntiandus, et denuntiatus possit ab inquisitoribus puniri ?

R. *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

11. An confessarius, qui sollicitat poenitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus ?

R. *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

12. An confessarius, si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus ?

R. *Censuerunt, si laus illa sit seria, et nihil pravae intentionis redoleat* 1) *negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem* 2).

13. An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit 3) ?

R. *Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum : quod etiam fuit resolutum die* 26 *Julii* 1628.

14. An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis ?

R. *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

---

1) Hoc dignoscendum est de loquendi modo, aut ex aliis circumstantiis Hinc si videtur egisse ex pravo affectu, denuntiandus est.

2) Illud *probabile* est in usu Theologiae: si cum alia opinione non fiat comparatio, idem est ac dicere, quod illa opinio valida ratione sustinetur, et tuto teneri potest. Scavini.

3) H. e. coram Inquisitoribus haeresim detestavit, eo quod sollicitator est de haeresi suspectus.

15. An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem ?

R. *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate*

16. An denuntiandus confessarius; qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse ?

R. *Idem responderunt quod ad duodecimum.*

At unde factum est, quod praedicta decreta S. Inquisitionis edita jam ab anno 1661 nunc autem ad praxim reducantur in hoc libello ? Respondetur, quia Sacra I. Congregatio anno 1865 interrogata a Can. Poenitentiario Eccl. Cathed. Neap., utrum circa interpretationem clausularum sollicitationis standum sit variis Theologorum sententiis, respondit : *Standum esse decretis Sanctae Romanae Universalis Inquisitionis.*

Mantissae loco pauca de peccatis capitalibus

Superbia est appetitus inordinatus propriae excellentiae. Potest esse *perfecta* et *imperfecta*. Si quis ita excellere appetat, ut Deo, Superioribus, vel eorum legibus subjici nolit, dicitur perfecta, et est semper grave peccatum. Si vero quis sine Dei et aliorum despectu sese magnificat, et extollit plus aequo, solet esse veniale, et dicitur imperfecta. Filiae superbiae sunt praesumptio, ambitio, et vanagloria. Praesumptio est inordinatus appetitus aggrediendi aliquid supra vires ; ambitio est inordinatus appetitus dignitatis, et honoris non debiti ; vanagloria est cupiditas gloriae inanis. Sunt peccata gravia vel levia, prout continent gravem vel levem deordinationem contra Deum vel proximum.

Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum. Avaritiae filiae sunt obduratio cordis, fallacia, fraus, dolus, proditio fidei datae, vel debitae alicui. Si graviter laeditur justitia vel charitas, grave peccatum est.

Luxuria est appetitus inordinatus venereorum. Hujus filiae sunt caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio in operando sine consilio, et alia mala ac peccata, in quae hoc grave vitium inducit.

Ira est inordinatus appetitus vindictae. Hujus filiae sunt indignatio, blasphemia, contumelia, imprecatio, et alia hujusmodi.

Gula est inordinatus appetitus cibi vel potus. Si quis ob gulam notabiliter violet abstinentias ab Ecclesia praeceptas, vel bibat ad perfectam ebrietatem, graviter semper peccat. Hujus filiae sunt hebetudo mentis, inepta laetitia, multiloquium.

Invidia est inordinata tristitia de bono alterius. Hinc si tristaris ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio, quae per se non est peccatum. Si tristaris, quia ex bono alterius times tibi aliquod malum, est timor, qui per se non est peccatum, dummodo non sit inordinatus. Si tristaris, quia tibi desit bonum, quod alius habet, ita tamen

quod illud alteri non discupias, non est invidia, sed aemulatio. Filiae invidiae sunt detractio, susurratio, odium.

Acedia ex D. Thoma dupliciter usurpari potest: 1. generaliter pro omni animi remissione in exercitio virtutum; 2. pro taedio de divina amicitia, eo quod servari debeat per laboriosa exercitia virtutum, et sic nulla adhibetur sollicitudo ad eam acquirendam. Hoc secundo sensu semper est grave peccatum. Acediae filiae sunt pusillanimitas, desperatio de salute aeterna, torpor etc.

De virtutibus Theologicis.

Virtus in genere sumpta definiri potest cum D. Th. 1.ª, 2.ª, q. 55, art. 4: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, et quam Deus in nobis, sine nobis operatur.* Dicitur: 1.º *qua nullus male utitur*, quia virtus differt ab aliis qualitatibus, v. g. arte, scientia, etc. de quibus potest homo uti bene vel male; 2.º *quam Deus in nobis, sine nobis operatur*, quia virtutes Christianorum, quae sunt verae virtutes et directae ad assequendam vitam aeternam, et de quibus hic agimus, differunt a virtutibus paganorum, quae ex eodem Doctore comprehendi possunt tantum in parte definitionis.

Virtutes si perficiunt mentem, seu animam in ordine ad ultimum finem dicuntur *theologicae*, et sunt fides, spes, charitas. Si perficiunt mentem in ordine ad media directa ad ultimum finem assequendum, vocantur *morales* et sunt prudentia, fortitudo, justitia, et temperantia, quae appellantur etiam *cardinales*, quia ad ipsas tamquam cardines aliae revocantur 1).

Virtutes theologicae sunt supra naturam hominis, et a Deo sunt nobis infusae. Virtutes morales secundum earum objectum non sunt supra naturam hominis; earum objectum enim sunt mores humani per virtutum actus perficiendi, qui humana ratione comprehendi possunt. Sed si non sunt supernaturales quod ad objectum, sunt supernaturales quod ad modum, quo exerceri debent, ut mereantur vitam aeternam; suam perfectionem enim accipiunt virtutes ex charitate, quae a Deo est nobis infusa.

Hinc virtutes morales, quando quis eas habeat in gradu perfecto, sunt semper omnes inter se connexae. D. Th. I.ª, 2.ª, q. 65, art. 1, Secus, quando non sunt perfectae.

Ex dictis etiam patet, quod in virtutibus theologicis, quia earum objectum immediatum est Deus, non potest dari vitium per excessum. In virtu-

1) Sic. ex. gr. diligentia, constantia, etc. revocantur ad virtutem cardinalem prudentiae; magnanimitas, magnificentia, patientia, perseverantia revocantur ad virtutem fortitudinis; oratio, devotio, gratitudo, obedientia revocantur ad virtutem justitiae; sobrietas, modestia revocantur ad virtutem temperantiae. Consule D. Th.

tibus autem moralibus potest dari vitium non solum per defectum, sed etiam per excessum ; et ideo de his dicitur, quod in medio consistant.

Cum de principalioribus virtutibus moralibus agendum sit in sequentibus tract. *De religione*, *De Contractibus*, *de Justitia*, *de Restitutione*, et passim in aliis alia delibanda, nunc *de Virtutibus Theologicis*, et primo.

De fide.

Q. *Quid est fides ?*

R. Est virtus divinitus infusa, qua veritates a Deo revelatas, et ab Ecclesia propositas firmiter credimus ob auctoritatem Dei revelantis 1).

Q. *Quotuplex est fides ?*

R. Habitualis, et actualis; explicita, et implicita : 1.ª est ipsa virtus supernaturalis inclinans intellectum ad firmiter assentiendum omnibus a Deo revelatis; 2.ª est ipse actus , seu *exercitium* fidei, quo nempe firmiter assentimur veritatibus a Deo revelatis ; 3.ª est quando aliqua veritas expresse creditur, puta *Deus est unus et trinus.*; 4.ª quando creditur aliqua veritas generaliter contenta in aliis veritatibus explicitis, uti *Credo quod credit Ecclesia.*

Q. *Quaenam fides est necessaria,, habitualis an actualis ?*

R. Omnibus etiam infantibus necessaria est necessitate medii fides habitualis. Adultis vero necessaria est etiam fides actualis, quae circa aliquas veritates debet necessitate medii esse explicita, circa alias necessitate praecepti.

Q. *Quaenam scire debemus necessitate medii, quaenam necessitate praecepti ?*

R. Necessitate medii semper necessarium fuit credere, quod Deus est, et inquirentibus se remunerator sit. Post promulgationem Evangelii credere debemus etiam mysterium SS. Trinitatis, et mysterium Incarnationis, Mortis, et Resurrectionis D. N. J. C. De necessitate praecepti tenemur credere et scire (saltem quoad substantiam) Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, praecepta Decalogi, et Ecclesiae, Sacramenta, et ex pia consuetudine Salutationem Angelicam 2).

---

1) Ex definitione patet, quod objectum materiale fidei sunt veritates a Deo revelatae, objectum formale est infallibilis auctoritas Dei. Patet etiam quod fidei certitudo non potest stare cum opinione probabili de ipsa fide, uti volebat propositio damnata ab Innoc. IX.

2) Unde qui ignorat scienda de necessitate medii, peccat graviter semper ac advertit suam obligationem, et instrui debet ante absolutionem; alias illicite et invalide absolveretur. Qui vero ignorat scienda de necessitate praecepti, si culpabiliter ea ignorat, quatenus poterat ea discere, et tamen contempsit Ecclesiae praeceptum, peccat graviter ; sed, facto proposito sese

Q. *Praeceptum credendi est affirmativum, an negativum ?*

R. Est negativum simul, et affirmativum. Est negativum, et ideo tenemur ad nunquam dubitandum de veritatibus revelatis. Est affirmativum, et ideo tenemur elicere actum fidei 1).

Q. *Quando tenemur elicere actum fidei ?*

R. Aliquando per se, aliquando per accidens. Tenemnr per se perveniendo ad usum rationis; in periculo mortis; quando urget gravis tentatio contra fidem, quae alias superari non possit ; et saepe in vita 2). Tenemur per accidens quando, urgente aliqua tentatione contra aliam virtutem, eam expellere censemus per actum fidei; et quando elicimus actum spei vel charitatis, tunc enim virtualiter elicimus etiam actum fidei.

Q. *Tenemur etiam exterius fidem profiteri ?*

R. Maxime : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. X, 10.

Q. *Qui est de fide interrogatus, si tacet, peccat ?*

R. Si est interrogatus a publica potestate, et tacet, peccat ; et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Si est interrogatus a persona privata, et tacet , non peccat ; dummodo non adsit scandalum proximi.

Q. *Licetne uti vestibus infidelium ad occultandam fidem ?,*

R. Si vestes sunt protestativae, non licet ; secus licet.

Q. *Peccatne in fidem catholicus, qui matrimonium contrahit coram magistratu civili ?*

R. Si firmiter tenet matrimonium civile esse verum sacramentum, non vero illud coram Ecclesia celebratum, est haereticus ; secus non.

---

instruendi quam citius, si se doleat, potest absolvi ; excipe si prius jam admonitus addiscere neglexerit. Quod si quis adeo sit rudi intellectu, ut mysteria fidei nullo modo percipere possit, hic ex D. Ligorio quoad hoc comparandus est cum infantibus et fatuis ; quare bene potest absolvi in necessitate, sed sub conditione.

Poenitentem vero ignorantem scienda necessitate medii ad salutem, si urgeat absolutionis necessitas, confessarius sic interrogando adjuvet : *Credisne Deum esse unum, tres esse divinas personas, nempe Patrem et Filium et Spiritum SS.* et poenitens respondet : *Credo* ; et sic de aliis mysteriis, quae necessitate medii sunt credenda, interroget. Dein : Credis quidquid credit S. Rom. Ecclesia ? Credo. Postremo excitet eum ad dolorem peccatorum cum proposito non peccandi de cetero, et absolvat. Scav.

1) Quatenus affirmativum praecipit confessionem externam ; quatenus negativum prohibet negationem fidei, id est tria prohibet, fidem negare falsam fidem profiteri, et falsam fidem simulare.

2) Saepe in vita aliqui intelligunt semel in anno ; alii melius intelligunt in festis principalibus ; nunquam tamen intelligendum est semel in vita , uti damnatum est ab Innoc. XI. Adverte, quod huic praecepto fit satis audiendo Missam, adorando Crucifixum, se signando, orando etc.. quamvis haec non fiant reflexe ex motivo fidei. Lig.

De vitiis fidei oppositis, et primo de infidelitate.

Q. *Quid est infidelitas ?*

R. Est carentia fidei. Potest esse triplex : negativa, privativa, et contraria. Prima est carentia fidei in eo, qui nunquam de fide audivit : secunda est carentia fidei in eo, qui de fide audivit, et non credidit; tertia est carentia fidei in eo, qui de fide audivit, non credidit, et contradicit. Prima non est peccatum, uti certum est ex prop. damn. ab. Urbano VIII. Secunda, et tertia sunt grave peccatum 1).

De haeresi.

Q. *Quid haeresis ?*

R. Est error intellectus contra fidem cum pertinacia voluntatis in eo qui fidem recepit.

Q. *Quotuplex est ?*

R. Materialis, et est quando quis ob ignorantiam credit aliquid, vel aliquid ob inadvertentiam profert contra fidem. Formalis, et est error voluntarius, et pertinax 2) Formalis potest esse interna, si mente tantum retinetur , et externa, si exterius manifestatur ; externa potest esse occulta, si externatur nemine audiente ; et manifesta, si coram aliis audientibus.

Q. *Quaenam sunt poenae contra haereticos ?*

R. Ex novo codice can. 2314. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici 1.° « Incurrunt ipso facto excommunicationem spec. modo Sedi Apostolicae reservatam ; 2.° Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur ; 3.° Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt, et clerici, monitione incassum praemissa, degradentur » 3).

---

1) Species infidelitatis contrariae ex D. Th. sunt tres, nempe *Paganismus*, qui fidem nondum suscepit ; *Judaismus*, qui fidem in figura tantum tenet ; et *Haeresis*, quae fidei susceptae contradicit ; ad quam reducitur apostasia a fide, et schisma non purum.

2) Ad constituendam haeresim formalem tria requiruntur ; 1. ut error in intellectu sit contra aliquam fidei veritatem ; 2. ut adsit pertinacia in voluntate, quae pertinacia non habetur solum, quando quis mordicus tuetur suum errorem, sed etiam quando quis scit, et advertit aliquod fide certum teneri ab Ecclesia, et ipse oppositum deliberate tenet, vel de eo deliberate dubitat ; dubius enim in fide infidelis est : hinc error contro fidem ortus ex ignorantia etiam culpabili non est haeresis, quia non adest pertinacia ; 3. requiritur, ut persona errans in fide sit fidelis.

3) Haeretici materiales in nullam poenam incidunt, quia non adest culpa. Haeretici formales interni nec etiam incidunt in poenas, quia Ecclesia

Q. *Adestne obligatio denuntiandi haereticos ?*

R. Si agitur de haeresiarchis et haereticis dogmatizantibus, semper est facienda denuntiatio ob bonum spirituale fidelium, nempe ut provideant Episcopi eo modo quo possunt. Quoad ceteros sive haereticos, sive de haeresi suspectos, non semper urget obligatio eos denuntiandi, nempe excusatur qui nequit denuntiare sine gravi incommodo, et qui cognoscit nullam esse spem punitionis vel emedationis, 1).

---

non judicat de internis judicio poenali. Ut autem haeretici formales externi in dictas poenas incidant tria requiruntur 1.° Ut haeresis sit externata sufficientibus verbis vel signis. 2.° Ut actio per quam externatur haeresis sit directe graviter mala ; unde si indirecte, id est in causa, poenae non incurruntur, et a quovis confessario absolvi possunt. 3.° Ut fiat causa profitendi errorem.

Insuper in can. praedicto 2314 dicitur : « Absolutio ab excom. in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abjuratione juridice peracta, aliisque servatis de jure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest ; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abjuratio vero habetur juridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel ejus delegato et saltem duobus testibus. »

1) Ratio est quia ad opus inutile nemo tenetur. At hoc non est admittendum pro ecclesiasticis, si aliqui ut haeretici vel de haeresi suspecti habeantur; istis enim facilius valent providere Episcopi, et damno occurrere spirituali populorum, ideo sunt denuntiandi — Denuntiatio vero facienda est Inquisitoribus, vel Ordinario loci, nulla praemissa correctione fraterna, et fieri debet etiamsi delictum probari non possit, uti patet ex propos. damnata ab Alex. VII. Item si haereticus jam ab alio sit denuntiatus, vel mortuus, vel emendatus, etiam facienda est denuntiatio ob bonum commune spirituale.

Responsa SS. Congregationum ;

1. Ad dubium : An liceat catholicis adire templa haereticorum ? Congr. S. Officii, die 14 Jan. 1718, respondit : « Licere, si adeant merae curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, (licet talis aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsae religionis) ; at *per se* sicuti profana aedificia, sic et templa haereticorum adire est actus per se indifferens, qui nonnisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus ».

Malus nimirum efficitur : 1. « Si quis ea adeat animo adsistendi sacris haereticorum functionibus; 2. vel etiam absque tali animo, si ingressus ipse in haereticorum ecclesias aliquam inferat, vel inferre videatur cum eisdem haereticis in divinis communicationem, hinc et scandali occasionem praebeat; 3. aut si talis aditus indictus sit ab haeretico gubernio, tamquam protestatio ejusdem fidei ac religionis catholicos inter et acatholicos; 4. vel utcumque communiter habeatur veluti *tessera* unius ejusdemque communionis inter catholicos et acatholicos. In his igitur casibus, nunquam licet catholicis adire templa haereticorum, quia numquam licet haereticorum sacris parti-

Q. *Quinam dicuntur suspecti de haeresi ?*

R. Qui contrahunt alterum matrimonium, vivente conjuge; clerici in cipare nec propriam simulare fidem. Ubi vero haec omnia absint et sola curiositate templa visendi moveantur, inculpate ea adire possunt ».

2. Eadem S. Congr. die 10 Maji 1776, decrevit : « Catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse ». Munus etiam patrini in haereticorum baptismate (ab haeretico administrato) suscipere eodem decreto districte prohibetur.

Quaesitum fuit ab Archiep. Smyrn. Cong.i S. Officii: An liceat catholicis comitari funera haereticorum aut schismaticorum usque ad januam coemeterii ? Respondit : Dummodo catholici comitantes funera haereticorum aut schismaticorum usque ad januam coemeterii meram praesentiam materialem exbibeant, civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant ritibus haereticorum, nec luminaria deferant, nec pro defuncti anima suffragia persolvant, tolerari posse. » Die 7 Julii 1864.

Instructio Emi Card. Vicarii pro Parochis et Confess. Romae.

1. Excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam inter speciales omnes illi, qui etiam sine voluntate adhaerendi haeresi, et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina haereticorum sectis denominationis cujuslibet ; 2). A fortiori poenam incurrunt eamdem, qui intersunt acatholicis functionibus aut servitiis, ceu dici solet, aut praedicantem audiunt eo consilio, ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt, ab eo persuaderi possint ; 3. Ita etiam eamdem incurrunt excommunicationem, qui alterius spiritualis ruinae fautores effecti inducunt quomodocumque, et curant, ut alii eant, aut veniant ad aulas vel templa haereticorum ad audiendas *collationes;* 4. Tandem eadem innodantur poena omnes, qui typis publicant invitationes ad praefatas *collationes*, et themata eorumdem propter favorem, quem tali actione praebent haeresis propagationi aut confirmationi.

Strictissime autem vetatur ingredi, mera curiositate et scienter, aulas et templa protestantium, tempore *collationum*; et graviter peccant omnes, qui mera curiositate *collationes* protestantium auscultant, et adsistunt, quamvis materialiter caeremoniis acatholicis ; et omnes artifices, qui etiam sola lucri ratione cantant, aut sonant in protestantium templis ; et typografi, etiam secundarii ministri, qui ne a superioribus ejciantur, litteras colligunt ad excudendos haereticorum libros ; quin imo, si de haereticorum libris agatur, quibus haeresis edocetur atque sustinetur, etiam ministri typographi secundarii majorem incurrunt excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam. Neque a peccato mortali eximuntur architecti, conduductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam, atque laborant ad extruendum aliquod protestantium templum. Quoad structores aliosque operarios inferiores a peccato eximi poterunt, dummodo in eorum facto absit scandalum, neque opus fiat in Religionis Catholicae contemptum. Ast Parochi et Confessarii sedulam navabunt operam, ut ejusmodi gentem moneant necesse esse a tali opere materiali abstinere, quando opus communiter habeatur ceu indicium protestans falsae religionis ; et quatenus opus idem aliquid praeseferat, quod solum et directe significet aut cultus catholici reprobationem, aut reprobati haereticalis cultus approbationem, aut cum certum sit eosdem ab haereticis cogi aut vocari ad laborandum in Religionis Catholicae contemptum ; nulloque in casu licitum esse cooperandi haereticali cultui. Die 12 Julii 1878, et 28 Sept. 1884.

sacris, vel religiosi professi matrimonium contrahentes ; non sacerdotes missam celebrantes, vel confessiones audientes ; abutentes in superstitionibus Hostia consecrata, vel Oleo Sancto ; defendentes propositiones ab Ecclesia damnatas ; sectis clandestinis nomen dantes ; et alii, qui dant fundatam suspicionem de sua fide. Isti sunt etiam denuntiandi.

De apostasia, et schismate.

Q. *Quotuplex est apostasia ?*

R. Triplex : *a fide*, et est recessus totalis a fide ; *a religione*, et est criminosus recessus ab ordine religioso cum animo non revertendi ; et *ab ordine*, et est quando clericus, dimisso habitu clericali, ad statum laicalem reducitur, 1).

Q. *In quam poenam incidunt ?*

R. Apostata a *fide* incidit in omnes poenas haereticorum. Apostata a *religione* ex novo codice ipso jure incurrit in excom., proprio Superiori majori, vel si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privi-

---

1) Juxta canonem 108 : Qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt, clerici dicuntur.

Clerici ad tramitem novi codicis fruuntur privilegio *canonis*, et *fori* Unde per can. 2343. Qui violentas manus in clericum injicit, incurrit excommunicationem Ordinario proprio reservatam. Insuper habent privilegium, *fori ;* ait enim novus codex, canone 120. « 1.° Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud judicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.— 2.° Praelati majores apud judicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinari loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine justa et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit. — 3.° Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda majora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit.

Can. 121 Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt.

Can. 123 Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit ; sed eadem amittit, si ad statum laicalem reducatur, aut privatione perpetua juris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur ; recuperat vero si haec poena remittatur, aut ipse rursus inter clericos admittatur ».

Clericus mortaliter peccat, si per notabile tempus sine rationabili causa clericalem habitum non deferat. Quantum autem temporis spatium requiratur ad peccatum mortale, non in genere, sed ex sola circumstantia potest determinari. Hinc si id rarissime fiat ad breve intervallum, nec sit ad malum finem et sine scandalo, peccatum erit leve. Nullum vero erit peccatum, si justa causa timoris exigat habitum transformari.

legiis omnibus suae religionis privatus ; et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum. can. 2385. Apostata ab *ordine* si sunt minores, transacto inutiliter mense a monitione Ordinarii, ipso jure e statu clericali decidunt. Clerici vero majores ab ordinibus susceptis suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur. Ita canon. 2379.

Q. *Quid et quotuplex est schisma ?*

R. Schisma est separatio ab unitate Ecclesiae. Si fit sine aliquo errore contra fidem, dicitur schisma purum ; si cum aliquo errore contra fidem, dicitur non purum 1).

Q. *In quam poenam incidunt schismatici ?*

R. Schismatici ex novo codice can. 2314. 1.° incurrunt ipso facto excom. sp. modo Sedi Apostolicae reservatam. 2.° Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici iterata monitione, deponantur. 3.° Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt, et clerici, monitione incassum praemissa, degradentur. Ita in Can. 2314. In eamdem excom. incurrunt omnes a legibus, decretis mandatis Rom. Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes. Universitates vero Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, interdictum spec. modo Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt. Can. 2332.

Q. *Sub qua poena prohibetur dare nomen sectis ?*

R. Vel loquimur de sectis haereticorum aut apostatarum a fide, et prohibetur sub excom. sp. modo Rom. Pontifici reservata, aliisque poenis haereticorum. Vel loquimur de secta massonica aliisve ejusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excom. Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. Can. 2336 2).

1) Vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus rejectis, Ecclesiae reconciliati fuerint. Can. 731.

2) Ad primam classem pertinent omnes sectae protestanticae, lutheranae etc., nec non illi, qui vulgo dicuntur ; *liberi pensatori, vecchi cattolici* etc. ; sicut etiam *la società cattolica italiana per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano*, ex decr. S. Poenit., 4. Aug. 1876. Del Vecchio.

Ad alteram omnes sectae Massonicae, uti secta Fenianorum, Mazziniana, et aliae quae vocitantur : *I carbonari, gl' Illuminati. la Società emancipatrice* etc. Et nota quod adscripti hujusmodi sectis ab habente facultatem non possunt absolvi, nisi prius a sectis se retraxerint, libros, statuta, ac ma-

De lectione librorum prohibitorum.

Q. *Quotuplicis generis sunt libri prohibiti?*

R. Ex novo codice sunt duplicis generis, nonnulli prohibentur sub censura sp. modo Rom. Pontifici reservata, alii sub culpa tantum. In can. 2318 dicitur: In exomm. Sedi Apostolicae spec. modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici juris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim schisma propugnant 1), itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes ; ceteri sunt prohibiti tantum sub culpa 2).

---

nuscripta harum sectarum Ordinario tradiderint, et complices eidem Ordinario denuntiaverint ob bonum spirituale fidelium.

Quaesitum fuit Congregationi S. Offi. — 1. An licitum sit nomen dare Societatibus quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera ? — 2. An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera conburantur ? Respondit: Ad 1.um *Negative, et si agatur de Societatibus massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra hanc latas.* Ad. 2.um *Negative.* Die 19 Maji 1886.

1) Adverte : 1. Haeresim propugnare non esse simpliciter haeresim continere, sed haeresis defensionem et patrocinium suscipere data opera, et quasi pro viribus, id est rationibus haereticam doctrinam demonstrare atque defendere, oppugnando veritatem contrariam ; quocirca excommunicatio eum non tenet, qui legit librum Apostatae aut haeretici, si haeresim non propugnet, etsi eam contineat, immo etiamsi eam defendat, sed obiter, paucis, et quasi aliud agens. Ita d' Annibale, Lehmkuhl etc. : 2. Per apostoli cas litteras intelliguntur Brevia, Bullae, Encyclicae, aliaeque, in quibus legitur : *De Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine*, vel *Apostolica auctoritate*, ita ex usu ; 3. In eamdem excommunicationem incidunt non modo hos libros, *scienter* legentes sine auctoritate S. Sedis. sed etiam retinentes, imprimentes et defendentes ; 4. Auctores vero et editores qui sine debita licentia Sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes vel commentarios imprimi curant, incidunr ipso facto in excom. nemini reservatam. Ex Can. 2318 : 5. Quicquid dictum est de libris typis impressis, utrum dici possit de manuscriptis, èt diariis olim quaestio erat. Quoad vero folia errantia nunc temporis lis finita est. Quaesitum fuit Supremae Universali Inquisitioni : *An scienter legentes ephemerides popugnantes haeresim incurrant excommunicationem articuli secundi Constiutionis. Ap. Sed. Summo Pontifici sp. modo reservatam?* Sacra Suprema Inquisitio respondit. *Negative. Die* 27 *Aprilis* 1880. Quoad vero diaria in fasciculos ligata etiam lis finita est. Nam interrogata Cong. S. Officii : *Utrum scienter legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas, habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes, excom. incurrunt spec. modo R. Pontifici reservatam, de qua Bulla Ap. Sedis* 12 *Octobris* 1869 *art.* 2.o *?* Respondit : *Affirmative.* Die 13 Januarii 1892.

2) Ex can. 1402. 1.o Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet, ipso jure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, concedere suis subditis valent pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus — 2.o Quod si generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis per-

Q. *Datur parvitas materiae in lectione horum librorum ?*

R. Maxime : quaenam autem dici debeat materia parva, discrepant DD. Verum etiam pauci versiculi possunt constituere materiam gravem, si totus error conprehendatur ; secus legere unam, aut alteram paginam erit veniale 1).

Q. *Qui tradit alteri librum legendum , ut ipse audiat, incidit in poenas ?*

R. Maxime : quicquid dicant alii ; qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur. Minime vero si non inducit alterum ad legendum, sed audit tantum, quia censura est contra legentem.

De spe.

Q. *Quid est spes ?*

R. Est virtus supernaturalis, qua certa cum fiducia aeternam beatitudinem expectamus Dei auxilio comparandam. Est autem duplex : habitualis, et actualis, scilicet ipsa virtus infusa, et actus quo speramus 2).

Q. *Quot sunt vitia opposita spei ?*

R. Desperatio, et praesumptio. Prima est, quando quis non vult in Deum confidere pro consequenda beatitudine, ac mediis necessariis ; secunda, quando quis putat se posse Deum consequi vel sine gratia, vel sine propriis operibus. Una opponitur spei per defectum, altera per excessum Utraque est grave peccatum in toto genere suo.

De charitate.

Q. *Quid est charitas ?*

R. Est virtus supernaturalis, qua diligimus Deum per se, et super

---

mittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu et justa ac rationabili causa concedant.

Can. 1403. 1.° Qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi ac retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet a suis Ordinariis proscriptos, nisi in Apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quisbuslibet damnatos — 2.° Insuper gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant.

Can. 1405. Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione juris naturalis legendi libros, qui ipsi proximum spirituale periculum praestant.

1) Peccatum leve erit librum vetitum retinere uno vel altero die, aut longiori tempore expectando opportunitatem tradendi Superiori, vel licentiam habendi ; ac proinde non incurritur censura. Lig.

2) Objectum materiale spei est ipse Deum, et omnia media, quae ad Deum assequendum perducunt. Objectum formale est fidelitas divinae promissionis.

Praeceptum spei est negativum, et affirmativum ; obligat aliquando per se, aliquando per accidens, uti dictum est de fide.

omnia, et proximum propter Deum sicut nos ipsos 1). Est habitualis, et actualis ; nempe ipsa virtus infusa, et actus quo Deum ac proximum diligimus.

Q. *Quotuplici modo potest Deus amari ?*

R. Vel amore summo appretiativo 2), vel amore summo sensibili. Ad satisfaciendum praecepto Deum diligendi sufficit amor appretiative summus.

Q. *Ex praecepto charitatis tenemur omnes nostras actiones ad Deum dirigere ?*

R. Maxime : saltem directione virtuali 3).

Q. *Praeceptum charitatis erga proximum quando obligat ad actum ?*

R. Semper ac adest occasio ; puta quando proximum versatur in aliqua necessitate, et nos possumus illum adjuvare, servato ordine charitatis.

Q. *Quinam est ordo servandus in charitate ?*

R. Servandus est tam ordo circa personas, quam ordo circa res. Circa personas ; 1. venit Deus, 2 nos ipsi, 3. proximus ; et inter proximos : 1 propinqui, 2. extranei. Circa res vero : 1. veniunt bona spiritualia animae nostrae, 2. bona spiritualia proximi ; 3. bona temporalia nostra, 4. bona temporalia proximi, etc.

Q. *Tenemur cum periculo vitae succurrere proximo in necessitate spirituali ?*

R. Si necessitas est extrema 4), et adest probabilis spes, quod opus nostrum sit proximo profuturum, tenemur; si necessitas est gravis, non tenemur ; excipe, si adsit obligatio justitiae, ut in pastoribus animarum.

Q. *Tenemur, praecepto charitatis facere eleemosynas ?*

R. Maxime : et quidem si proximus est in necessitate gravi, vel com-

---

1) Haec particula *sicut nos* importat similitudinem, non aequalitatem Objectum materiale charitatis primarium est Deus , secundarium nos ipsi, et proximus ; objectum formale est infinita Dei bonitas.—Praeceptum charitatis est etiam negativum et affirmativum ; obligat aliquando per se, aliquando per accidens, uti supra dictum est.

2) Amor appretiativus, quo nempe Deus omnibus creaturis praefertur, idem est ac amor intensivus. Perperam igitur aliqui distinguere volunt appretiativum ab intensivo.

3) Quando nempe directio perseverat virtute prioris actualis directionis, vel quando actio per se est ad Deum directa, uti oratio, Missa etc.

4) Necessitas spiritualis aut temporalis triplex est. *Extrema* et est quando quis sine alterius auxilio nequit se liberare a periculo damnationis, vel a morte, vel alio malo ferme aequali. *Gravis* et est quando proximo imminet periculum mali gravis v. g. peccati, vel gravis infirmitatis, vel infamiae, vel decidendi a proprio statu juste acquisito, et a quo periculo proximus sine magna difficultate se liberare non valet. *Communis* et est quando quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur *in ordine spirituali* ordinarii peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; *in ordine vero temporali* eam patiuntur generatim pauperes mendicantes, quibus vita pro eorum conditione non nimis molesta est S. Alph.

muni, tenemur de bonis superfluis statui 1). Si vero est in necessitate extrema, etiam de bonis superfluis vitae.

Q. *Tenemur ex praecepto charitatis ad correctionem fraternam?*

R. Maxime : dummodo peccatum proximi sit certum, adsit spes probabilis emendationis, non adsit grave incommodum, et concurrant omnes circumstantiae temporis, et loci, prout prudentia suggerit.

Q. *Tenemur ex praecepto charitatis diligere inimicos?*

R. Maxime : ideo tenemur non solum eos non odisse (odium enim vitii est secundum charitatem, sed odium personae directe opponitur charitati), sed etiam tenemur exhibere illis signa (communia, non particularia) nostrae dilectionis, et tenemur remittere eis injuriam 2).

De religione.

Q. *Quid est religio?*

R. Est virtus moralis, qua debitus cultus Deo tribuitur 3).

Q. *Quotuplicis generis sunt actus religionis?*

R. Alii interni, uti e. g. oratio, devotio, etc, ; alii externi, uti juramentum, adjuratio, votum, sacrificium, oblatio, laus Dei etc.

---

1) Somniabant aliqui vix dari bona superflua statui etiam in Regibus, et hoc damnatum fuit ab Innoc. XI. Dictum est vero *de bonis superfluis*, quia non totum superfluum dandum est, sed communius satis est erogare in pauperes communes quinquagesimam partem suorum reddituum, sive duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedant. Lig. II, 32. Idem dicendum de Clericis quoad bona *patrimonialia*, quae ex haereditate, donatione, vel industria proveniunt ; et *quasi-patrimonialia*, quae habentur per modum stipendii ex sacro ministerio. Nam de bonis *ecclesiasticis*. quae ex beneficio ecclesiastico oriuntur, quidquid superest propriae sustentationi, in pauperes aut alios pios usus erogandum est ex virtute charitatis et religionis ; an etiam ex justitia, quaestio est.

2) Non est tamen prohibitum contra inimicos instituere actionem civilem et etiam criminalem, dummodo fiat ad compensationem damni vel amore justitiae, quod in praxi valde periculosum est. — Signa dilectionis *communia* sunt illa, quae omnibus praestantur ; uti salutantem resalutare, interroganti respondere, in communibus orationibus aut eleemosynis includere etc. ; *particularia*, quae peculiaribus personis dantur, puta prius salutare, visitare, hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere etc.

Nota vero, quod excusatur a culpa, qui non ex odio, sed ex rationabili causa inimicis negat veniam aut signa communia, puta ad eorum emendationem vel correctionem, aut ad aliud grave incommodum sibi praecavendum, modo absit scandalum.

3) Dicitur virtus moralis, quia non habet Deum immediate pro obiecto sed ejus cultum ; et in hoc differt a virtutibus theologicis, quae Deum immediate respiciunt.

De juramento.

Q. *Quid est juramentum?*

R. Est invocatio Dei in testimonium alicujus veritatis 1). Haec potest fieri expresse, quando explicitis verbis invocatur Deus ; et tacite, quando invocatur aliqua creatura, in qua specialiter elucet aliquod Dei attributum 2).

Q. *Quotuplex est juramentum?*

R. Assertorium, promissorium, execratorium, et comminatorium, prout adnectitur assertioni, promissioni, imprecationi, et minis.

Q. *Est licitum jurare?*

R. Maxime : dummodo adsint istae conditiones, nempe veritas, judicium, et justitia, juxta illud Jeremiae , cap. IV, *Jurabis : vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

Q. *Jurare sine veritate estne semper peccatum grave?*

R. Maxime : et oppositum est damn. ab. Innoc. XI ; imo qui jurat verum putans esse falsum, etiam graviter peccat 3).

Q. *Estne licitum jurare cum restrictione mentali?*

R. Cum restrictione pure mentali nunquam. Cum restrictione mixte mentali, distinguo : si adest obligatio manifestandi veritatem, non licet : secus licet 4).

Q. *Estne licitum jurare sine animo jurandi?*

R. Minime - et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Taliter vero jurans, si jurat verum, peccat leviter ; si falsum, graviter 5).

---

1) Ait novus codex can. 1317. *Iusjurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest.* Juramentum in hoc differt ab adjuratione; in juramento Deus invocatur uti testis, in adjuratione invocatur uti objectum amoris, vel timoris ut illud Apostoli : *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec.* I. Thess. V. 27, .

2) Hinc si quis jurat per animam, per coelum, per terram, per Sanctos etc., est juramentum. Si vero jurat per aliquam creaturam, in qua non elucet specialiter aliquod Dei attributum, et addit nomen Dei, uti *per hanc aquam Dei*, est juramentum ; secus non. Dicere tantum *juro*, vel *juro in mea conscientia*, per se non est juramentum, quia nulla habetur Dei invocatio neque expressa, neque tacita. Juramentum vero fieri potest mente, ore, nutu, et facto, uti manus elevatione, tactu pectoris, Crucis, Evangelii, etc.

3) Adverte, quod in juramento promissorio defectu veritatis non datur parvitas materiae in intentione , in executione vero datur, e. g. qui jurat dare centum, si in jurando habeat intentionem reddere nonagintanovem, peccat graviter ; si vero habeat intentionem reddere centum, sed postea solvit nonagintanovem, peccat leviter.

4) Si quis manifestando proprium delictum judici laico gravissimum malum timeret, adsunt Doctores, qui docent posse uti restrictione mixte mentali. Ligor., lib. III, n. 156.

5) Adverte, quod juramentum factum sine animo jurandi nullam parit obligationem, quia non adest juramentum; sine animo se obligandi quaestio;

Q. *Quodnam dicitur juramentum incautum ?*

R. Dicitur illud, quod fit sine debita advertentia ad cognoscendum utrum sit verum, an falsum, quod juratur. Est peccatum grave, si negligentia est gravis, et aliqui Doctores hujusmodi juramentum vocant perjurium 1).

Q. *Defectus judicii in juramento estne peccatum ?*

R. Maxime : sed leve 2), quia est tantum vana usurpatio nominis Dei.

Q. *Defectus justitiae estne peccatum grave ?*

R. Maxime : etiamsi quis jurando promittat se facturum rem leviter malam, quicquid dicant alii 3).

Q *Juramentum comminatorium estne obligatorium ?*

R. Maxime : dummodo poena sit justa, non sit causa majoris mali, et causa punitionis perseveret.

Q. *Quomodo cessat obligatio juramenti ?*

R. Mutatione materiae ; condonatione obtenta ab eo, in cujus favorem erat : deficiente causa finali, aut conditione sub qua forte datum sit ; irritatione, dispensatione, commutatione. Ita novus codex 4).

De voto.

Q. *Quid est votum ?*

R. Est deliberata promissio facta Deo de bono meliori, et possibili 5).

---

sine animo exequendi obligat quidem, nam intentio executionis est accessoria obligationi.

1) Si quis habet consuetudinem mentiendi, et jurandi sive conjunctim sive divisim, regulariter loquendo peccat graviter ob periculum pejerandi. Et hoc intelligendum etiamsi quod juratur, sit verum, quia pro prava consuetudine se exponit periculo pejerandi.

2) Deficit judicium in juramento, quando juratur sine necessitate vel utilitate. Deficit justitia, quando res jurata non sit justa et honesta.

3) Juramentum semper observandum est ex virtute religionis, dummodo servari potest sine peccato, et sine damno tertii. Hinc juramentum de re mala nunquam servari debet. Imo si quis juret aliquid contra consilia evangelica, non tenetur ad juramentum : si vero volens, vel debens nubere promisit alicui cum juramento matrimonium, tenetur.

4) En textus : Can. 1319. « Obligatio jurejurando promissorio inducta desinit : 1.° Si remittatur ab eo in cujus commodum jusjurandum emissum fuerat. 2.° Si res jurata substantialiter mutetur, aut mutatis adjunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique majus bonum impediat. 3.° Deficiente causa finali aut conditione sub qua forte jusjurandum datum sit. 4.° Irritatione, dispensatione, commutatione. »

Can. 1320. Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa jusjurandum promissorium; sed si jurisjurandi dispensatio vergat in praejudicium aliorum, qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest jusjurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.

5) Dicitur : 1. *deliberata promissio*, quia requiritur voluntas cum per-

Q. *Quotuplex est votum ?*

R. Ex novo codice can. 1308. Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur ; secus *privatum. Sollemne*

fecta advertentia et pleno consensu se obligandi ad promissum. Hinc si quis emittit votum per errorem, vel per dolum circa substantiam, vel circa causam finalem, votum est nullum, quia non est deliberatum ; secus si dolus, vel error est circa qualitatem accidentalem, vel circa causam impulsivam ; 2. *facta Deo* sive immediate, sive mediate, nempe Sanctis relate ad Deum ; 3. *de meliori bono* indicat quod materia voti debet esse melior suo opposito. Hinc si quis emittit votum non vovendi, est nullum, quia non est de meliori bono. Si emittit votum non vovendi nisi de licentia confessarii, est validum, quia de meliori bono ; verum si postea sine dicta licentia vovet, valide vovet, sed peccat. Si quis vovet aliquid contra consilia evangelica vel undequaque indifferens votum est nullum, quia non de meliori bono ; hinc votum nubendi per se loquendo est nullum. An vero valeat, si quis vovet nubere ob expertam sui fragilitatem, quaestio est. Prima sententia negat, quia tale votum esset de se impeditivum majoris boni, nempe ingrediendi religionem, aut servandi coelibatum. Secunda sententia certe et longe probabilior dicit validum esse votum, supposito quod talis nolit uti aliis remediis, quia in tali casu matrimonium est majus bonum, cum ad concupiscentiam sedandam eis, qui alia remedia meliora suscipere nolunt, matrimonium a Deo concessum sit ; de his enim ait Apost. *Melius est nubere, quam uri.* S. Lig. III. 209. 4 ; *et possibili*, nam ad impossibile nemo tenetur ; hinc si quis emittit votum nunquam peccandi venialiter, si intendit de veniali committendo cum plena deliberatione, valet votum ; si vero de veniali cum imperfecta deliberatione, votum est nullum, quia de re moraliter impossibili. Si votum sit partim possibile et partim impossibile, videndum: si partes rei votae sunt sine dependentia inter se, votum obligat ad partem possibilem, puta vovisti jejunare per hebdomadam, si non potes per totam hebdomadam, sed tantum per duos dies, teneris ad duos dies ; si vero partes voti per modum unius sunt promissae, ad nihil teneris, puta vovisti peregrinari nudis pedibus, si non potes peregrinari, non teneris incedere nudis pedibus. Si quis emittit duo vota incompossibilia, ex gr. eadem die et hora adorandi S. Eucharistiam in Ecclesia, et inserviendi infirmos, tenetur ad dignius, quia melius, si autem sunt aequalia, tenetur ad primum, ad istud enim prius se obligavit et si nescit, quale prius emiserit, libera est electio. Ex his omnibus collige quod ad votum, ut obliget, tria requiruntur, nempe : 1. ut promissio sit deliberata ; 2.º ut sit de bono meliori ; 3. ut materia voti sit in potestate voventis. Et heic notandum neminem voto alieno ligari posse, quia votum est onus personale voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest. — Hinc vota parentum filios devoventium cuipiam Religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v.gr. certis diebus jejunandi etc. istos ligare nequeunt. Licet autem filii non teneantur observare vota parentum, qui illos Religioni, vel alicui obligationi devoverunt, parentes tamen votum obligat, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, hos moveant ad id, quod pro ipsis voverunt amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstent. Adverte denique, quod votum in hoc differt a juramento, quia in juramento Deus venit uti testis, ideoque sufficit, ut sit de re bona, et est strictae interpretationis ; in voto Deus venit uti pro-

si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus *simplex*. *Reservatum*, cujus dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest. *Personale*, quo actio voventis promittitur ; *reale*, quo promittitur res aliqua ; *mixtum* ; quod personalis et realis naturam participat.

Q. *Quomodo obligat votum ?*

R. Si materia voti est undequaque levis, obligat semper sub levi; si est gravis, obligat sub gravi, vel sub levi, prout fuit intentio voventis ; excipe vota sollemnia, quae obligant semper sub gravi 1).

Q. *Quando obligat votum ?*

R. Si tempus fuit praefixum, tempore praefixo ; secus quam citius 2).

Q. *Debetne anticipare adimpletionem voti, qui praevidet aliquod impedimentum adfuturum tempore pro adimpletione praefixo ?*

R. Si tempus fuit praefixum ad finiendam obligationem, non tenetur, quia votum istud non obligat nisi adveniente tempore ; secus tenetur, quia jam a principio contraxit obligationem 3).

---

missarius, ac proinde requiritur, ut sit de bono meliori, et est benignae interpretationis. Insuper propositum et promissio differunt a voto, nam in proposito deest animus se obligandi,in promissione adest animus se obligandi, in voto adest etiam animus se obligandi, sed de meliori bono. Demum ad distinguendum in rustico votum a proposito *satius erit* (sic Lig.) *eum interrogare, si tunc cum votum emisit , existimabat se graviter peccaturum fuisse, an non, si postea non satisfecisset.* In dubio nemo ligandus. Scavini.

1) Materia voti, ex Bened. XIV. reputatur levis, quando aequivalet quinque *Pater, Ave* et *Gloria ;* dummodo non fit gravis ratione finis, aut circumstantiarum ; hinc si quis voveret ad obtinendam castitatem, ratione finis materia evadit gravis. Materia gravis vero est illa, de qua dari potest praeceptum grave, quatenus notabiliter conducit ad honorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis ; uti votum jejunii, confitendi, Missam audiendi etc. Quod si materia est gravis, et vovens dubitat, an habuerit intentionem se obligandi sub gravi vel sub levi, intelligenda est obligatio sub levi, quia nemo praesumitur sibi velle imponere gravem obligationem.

2) Dilatio enim voti sine justa causa, et per tempus longum est peccatum ; unde peccat graviter, qui votum in obsequium Dei temporaneum v. gr. jejunii, rosarii, Missae transfert ultra duos vel tres annos ; aut votum in obsequium perpetuum, e. g. ingrediendi religionem trasnfert ad sex menses, nisi causa rationabilis excuset. Ita Scavini.

3) In dubio sic intellige : in votis realibus dies praesumitur appositus tantum ad sollicitandam obligationem, nisi tamen votum habuisset specialem connexionem ad diem ; in personalibus ad finiendam. Lig.

Nota, quod verba obligationis, quando non constat de mente voventis ; explicanda sunt juxta communem, et usitatam acceptionem ; sic vovens Rosarium satisfacit recitando tertiam partem, et etiam cum socio instar Officii divini ; vovens jejunium per mensem non tenetur in diebus Dominicis jejunare ; vovens per mensem audire Sacrum, non tenetur in festis audire duo ; vovens jejunare die veneris non tenetur, si ea die venerit Nativitas Domini, vovens jejunare in vigilia alicujus Sancti, si haec in diem dominicam incidat, ex novo codice can. 1252 non tenetur jejunium anticipare, sed cessat illa die obligatio.

Q. *Quando obligat votum sub conditione ?*

R. Si conditio est propria, obligat verificata conditione 1). Si est impropria, modo sit vera, obligat a principio.

Q. *Quando obligat votum poenale ?*

R. Obligat posito delicto ; hinc si quis immemor voti, vel post dispensationem obtentam non servat votum, non tenetur ad poenam.

Q. *Votum poenale obligatne toties ad poenam, quoties habetur transgressio ?*

R. Inspicienda est mens voventis.

Q. *Votum emissum ob pravum finem obligat ?*

R. Si votum fiat uti medium ad assequendum pravum finem , rejicitur a Deo, et non obligat ; secus obligat 2)..

Q. *Obligatio voti transitne ad haeredes ?*

R. Si votum est reale, transit, quia afficit bona ; si personale non transit, quia afficit personam ; si mixtum transit, qua parte est reale, dummodo pars realis sit separabilis 3)

Q. *Quibus ex causis cessat obligatio voti ?*

---

1) Ex voto conditionato oritur obligatio expectandi exitum conditionis, et interim non se reddendi impotentem. Hinc si quis vovet ingredi in religionem, si per annum non fornicetur, et postea fornicatur ad hoc, ut non teneatur ad votum, peccat contra castitatem, et etiam contra religionem, sed probabilius, juxta Ligorium III. 218, non tenetur ad votum, quia jam non impletur conditio, licet per culpam voventis. Si quis emittit votum sub conditione dependente ab alterius voluntate, et postea ne teneatur ad votum, impedit conditionem, si hoc facit bonis artibus, non peccat ; si vero malis artibus peccat, et probabilius non tenetur ad votum, ex Ligorio.

2) Hinc si quis emittit votum aliquod, ut occidat inimicum in duello, vel ut libere furetur, votum est nullum ; si, ne occidatur in duello, vel ne capiatur in furto, est validum.

3) En textus, can. 1510. « Voti realis obligatio transit ad haeredes , item obligatio voti *mixti* pro parte qua reale est. » — Hinc si quis vovit peregrinationem ad Beatam Virginem Lauretanam, ibique calicem offerre, haeres tenetur ad calicem. Adverte, quod ad vota realia haeres non tenetur ex virtute religionis, sed ex virtute justitiae, dummodo tamen vota non excedant vires haereditatis ; quare potest hic, solutis debitis justitiae, detrahere suam legitimam, et quod remanet, impendere ad adimplenda prius vota, et postea legata, quae sunt actus liberalitatis. Dictum est *dummodo pars sit separabilis ;* nam si votum factum fuit per modum unius, scilicet vovens non intendit se obligare ad partem realem sine personali , tunc haeres ne ad realem quidem tenetur partem, quia in casu pars realis non est separata in intentione a parte personali; et cum non sit haeres obligatus ad personalem, nec ad realem quidem adstringitur. In dubio autem utrum per modum unius, vel separatim sit votum emissum, tunc si pars realis est principalis, tenetur haeres ad istam ; etenim praesumitur voventem se obligasse ad principalem partem, etiam sine parte minus principali, quae est accessoria. Viceversa, si pars realis sit minus principalis, ob contrariam praesumptionem.

R. Cessante causa finali, mutatione substantiali materiae promissae, 1), deficiente conditione a qua votum pendet, irritatione, dispensatione commutatione. Ita can. 1311.

Q. *Quid est irritatio voti?*

R. Est annullatio voti, facta ab habente potestatem dominativam.

Q. *Quotuplex est irritatio voti?*

R. Duplex : directa, quando fit ab eo, cui subjecta est voluntas voventis; indirecta, quando fit ab eo, cui subjecta est materia voti.

Q. *Quinam possunt vota irritare?*

R. Ex novo cod. can. 1312 1.° Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest ejus vota valide et, ex justa causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat. 2.° Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praejudicium afferat, 2).

Q. *Quaenam differentia inter vota irritata per potestatem dominativam directam, et irritata per potestatem dominativam indirectam?*

---

1) Mutatur materia voti, quando evadit vel indifferens, vel illicita, vel impossibilis; aut quando supervenit notabilis circumstantia, quae si fuisset praevisa votum non fuisset emissum, e. g. si quis vovet jejunium die veneris, si hac die longum iter facere debet, non tenetur ad votum.

2) Pater potest directe irritare omnia vota filiorum impuberum sive *personalia* uti votum castitatis, religionis etc. sive *realia*, licet implenda essent post adeptam pubertatem, quia in illa aetate ob rationis, judicii et discretionis imbecillitatem de ipso jure naturae a voluntate et auctoritate patris regendi sunt, ideoque in omnibus eorum votis semper intelligenda est tacita haec conditio : *Si pater consentiat*, aut non *contradicat;* et hoc etiam in dubio utrum votum sit emissum ante aut post pubertatem, quia possidet potestas patris. Vota facta tempore subjectionis possunt adhuc irritari post illud, v. gr. quando filius jam est pubes. Quod verum est, etsi in pubertate ratificasset, putans ex errore esse firma; secus tamen, si infirma esse novisset, et independenter a prioribus ratificasset. Et haec est probabilior sententia, ait S. Lig. III. 238.—Filiorum autem puberum potest pater ea tantum vota indirecte irritare, quae patriae potestati praejudicium afferunt, id est quae liberam et expeditam familiae gubernationem impediunt, quia nemo potest alteri promittere aliquid in praejudicium tertii. S. Thom. Unde licet pater possit irritare vota filiorum de longis peregrinationibus, de multis jejuniis, de dando eleemosynam ex bonis paternis etc., ex quibus oriri potest praejudicium paternae potestati in familiae regimine, et rerum suarum administratione, non tamen irritare potest filiorum puberum vota religionis, castitatis, sacrorum ordinum, confessionis et communionis menstruae, nec vota de dando eleemosynam de suis bonis castrensibus, ac quasi castrensibus, si quae habeant, quia haec vota potestati et gubernationi paternae nullo modo praejudicant. Ita communiter. — An mater, praesente patre, possit filiorum vota irritare. Est duplex sententia probabilis. Prima negat. Secunda non minus probabilis affirmat, quia talis potestas, licet non civiliter, na-

R. Prima nunquam reviviscunt ; secunda reviviscunt, quando vovens exit a potestate irritantis, quia tunc non tollitur obligatio, sed suspenditur ob alterius praejudicium.

Q. *Quid est dispensatio voti ?*

R. Est relaxatio voti facta ab habente potestatem jurisdictionis spiritualis in foro externo, sive ordinariam, sive delegatam 1).

Q. *Vota a quonam possunt dispensari* L*?*

R. Ex novo cod. can. 1313. Vota non reservata possunt justa de causa dispensare , dummodo dispensatio ne laedat jus aliis quaesitum: 1.º Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos, 2.º Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad aegrotos professos, novitios, aliosve in religiosa domo die noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, uti in can. 514. 3.º li quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.

Q. *Quaenam sunt vota simplicia Romano Pontifici reservata ?*

R. Ex novo cod. can. 1309, Vota simplicia Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis, et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium , quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum.

Q. *Ut ista vota sint reservata quid requiritur ?*

---

turaliter tamen etiam est in matre,cui filii tenentur obedire,etsi cum subordinatione ad patrem ; ita ut potest pater irritare vota filiorum, contradicente matre : sed non sic mater, contradicente patre.

Probabilius vir potest directe omnia vota uxoris irritare, licet non praejudicent usui matrimonii, vel prolis educationi, vel gubernationi domesticae, et ratio est, quia expedit valde ad pacem familiae, ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat et sic impetus foeminarum retundatur. Lig. II I. 234. — At non potest vir directe irritare vota ab uxore emissa ante matrimonium, sed bene potest illorum suspendere executionem, quatenus praejudicant suae potestati. Lig. III. 536. — E converso uxor non potest directe irritare vota viri ; nullam enim in virum habet dominativam potestatem, sed tantum indirecte, quatenus praejudicant, uti supra dictum est, prout esset votum longae peregrinationis, magnae abstinentiae, vestiendi habitum Eremitae, et similia. Lig. 235. — Si conjuges mutuo consensu vovent castitatem, aut Religionem, nequeunt vota sibi invicem irritare, quia virtualiter uterque cedit juri suo. Est communis. Lig. III. 236.

1) In Ecclesia adest haec potestas, est de fide, et patet ex traditione. Cum autem pastores Ecclesiae dispensando in votis dispensent in lege Superioris,nempe Dei (vota enim obligant de jure divino), ut valide dispensent requiritur causa. Haec autem potest esse : 1. Necessitas spiritualis voventis e. g. periculum violandi votum ex fragilitate, vel quia votum emissum fuit immature , idest cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione ; 2 major utilitas spiritualis voventis ; 3. bonum Ecclesiae, communitatis, familiae, etc. At si causa non videatur omnino sufficiens, tunc admiscenda es liqua commutatio.

R. Pro voto castitatis requiritur ut sit votum perfectae ac perpetuae castitatis ; pro voto ingrediendi in religionem requiritur ut religio sit votorum sollemnium ; sed ambo dummodo fuerint absolute et post completum decimum octavum annum aetatis emissa 1).

Q. *Quid est commutatio voti ?*

R. Est substitutio unius voti pro alio. Potest fieri in melius, in aequale, et in minus 2).

---

1) Dictum est 1.° ut votum castitatis sit *perfectum*, unde non est reservatum, si emittitur sub levi obligatione, vel non sit completum in suo genere ; hinc votum castitatis, si non excludat omnem actum venereum, non est reservatum, ideoque non est reservatum votum non nubendi, non fornicandi, non adulterandi, non petendi debitum, nec votum servandae virginitatis, si per virginatatem intelligitur sola carnis integritas ; secus si abstinentia ab omni actu venereo. Dictum est 2.° ut sit *perpetuum*, unde si votum emittitur pro aliquo tempore, non est reservatum. Dictum est 3.° ut ambo sint *absolute* emissa, unde si votum castitatis est conditionatum, non est reservatum, etiam impleta conditione, quia tunc votum procedit magis ex affectu ad conditionem, quam ad rem promissam ; si est alternativum, ex. gr. aut perpetuam castitatem aut jejunium, post electionem materiae reservatae utrum votum evadet reservatum, quaestio est ; nonnulli affirmant, quia electa parte reservata, jam est votum reservatum. Alii non minus probabiliter negant, quia semper remanet in sua primaeva natura voti disjunctivi, cum adhuc electa una parte voti, nempe castitate, possit vovens voluntatem mutare, et aliam partem, nempe jejunium eligere, nec per determinationem peractam vovens se privavit libertate alteram eligendi partem. Vide S. Lig. III 224-258. Item dicendum de voto ingrediendi in religionem votorum sollemnium. Denique dictum est 4.° ut fuerint haec vota *emissa post completum decimum octavum annum aetatis*, unde si ambo fuerint emissa ante praedictam aetatem, non sunt reservata.

Adverte, quod praedicta vota sunt Rom. Pontifici reservata tantum quoad substantiam, unde in eorum circumstantiis potest Episcopus dispensare. Hinc si quis voveat ingressum in Religionem arctiorem, poterit ab Episcopo dispensari, ut benigniorem ingrediatur. Imo potest Episcopus dispensare in substantia, quando urget necessitas, nec adest facilis accessus ad Papam, et in mora sit periculum damni vel *spiritualis* prout violationis voti, scandali, aut alius peccati, vel *temporalis* proprii aut alieni, nimirum gravis infamiae mulieris et similium. S. Lig. III. 258.

2) En differentia inter irritationem, dispensationem, et commutationem ; prima fit per potestatem dominativam, et nulla requiritur causa ad valorem irritationis directae, quia ad validum usum juris sui non requiritur causa, sed illicite, quia in textu dicitur, *ex justa causa*. Sufficit vero quaevis causa rationabilis ad liceitatem. S. Lig. III. 228. Ad valorem autem irritationis indirectae, ait Ligorius, causam requiri, nempe irritantis praejudicium, nam sine tali praejudicio materia dici nequit subjecta irritanti ; secunda et tertia fiunt per potestatem jurisdictionis in foro externo, et requiritur causa, excepta commutatione in melius, et in aequale quae fieri potest ab ipso vovente, et sine causa. Adverte, quod ad commutandum votum in minus requiritur facultas non solum commuutandi, sed etiam dispensandi. Ex novo

Q. *Vota reservata a quo possunt commutari ?*

R. Vota reservata Rom. Pontifici ab eo possunt commutari. Si votum non est reservatum, potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari, in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi. Ita can. 1314.

Q. *Post commutationem potest vovens redire ad primum votum ?*

R. Maxime ex regula juris : *Quisque enim potest favori suo renuntiare.*

Q. *Qui votum substitutum servare non potest, tenetur ad primum ?*

R. Si commutatio facta est ab ipso vovente, tenetur ; si a Superiore, non tenetur, quia obligatio semel extincta non reviviscit 1).

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS

Q. *Quot sunt vitia religioni opposita ?*

R. Duo : irreligiositas, et superstitio.

Q. *Quaenam sunt species irreligiositatis ?*

R. Sunt simonia, blasphemia, perjurium, sacrilegium et tentatio Dei.

De Simonia.

Q. *Quid est simonia ?*

R. Est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum pretio temporali 3).

---

codice can. 1315. *Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit.*

Quilibet confessarius iis, qui fruuntur privilegiis Bullae Cruciatae, potest commutare in aequale omnia vota simplicia, non reservatu. Haec commutatio potest fieri in vita Bullae semper ac petitur. Insuper isthaec facultas commutandi vota vi Bullae Cruciatae extenditur etiam ad juramenta pia, ad illa scilicet, quae in solius Dei honorem cedunt, quia ista juramenta tamquam vota habentur, ex. gr. dicere per Deum feram calicem ecclesiae idem sonat, ac voveo ferre calicem ecclesiae. Ita Vella. — Ad rem permultum facit praeclarum Benedicti XIV. monitum in Bulla *Convocatis* n.° 32, circa usum facultatis commutandi vota simplicia, et poenalia Poenitentiariis Romanae Urbis occasione Jubilaei Anni Sancti, id est eis prohibet commutare vota simplicia a tertio acceptata, votum perseverantiae in aliqua Congregatione aut Communitate, et vota poenalia praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius, nisi forte circumstantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenent, quam prior voti materia. Quod sane illustre monitum a confessariis in commutandis votis vi Bullae Crucitae prae oculis habendum erit, licet in Bulla Cruciatae de hoc nulla mentio fiat.

1) Si votum reservatum commutatum est a R. Pontifice in aliud opus, hoc aliud opus est non censendum reservatum.

2) Tentatio Dei est dictum, vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum, ab eo temere expectatum. Haec ex genere suo est peccatum grave.

3) Dicitur *studiosa voluntas*, idest deliberata voluntatis actio *emendi, vel*

Q. *Quotuplex est simonia?*

R. Alia est de *jure divino*, et est prohibita, quia mala; alia est *de jure ecclesiastico*, et est mala, quia prohibita 1). Insuper simonia, sive de jure di-

vendendi, idest quodlibet pactum non gratuitum distrahendi; *pretio temporali*, idest qualibet re pretio temporali aestimabili. Hoc pretium est triplex: nempe *munus a manu*, *munus a lingua*, *munus ab obsequio*; munus a manu, idest pecunia, remissio debiti, cessio jurium etc.; munus a lingua, idest laudes, favores, intercessiones etc.; munus ab obsequio, idest famulatus, ministerium in rebus temporalibus etc. At tunc per *munus a lingua* vel *ab obsequio* committitur simonia, cum pro istis aliquid temporale esset solvendum, et pactum adest pro istis dare spirituale. Res spirituales vero possunt esse, quatruplicis generis: 1. *essentialiter* spirituales, uti gratia, virtutes: 2. *causaliter* spirituales, uti sacramenta; 3 effective spirituales, uti absolutio a censuris, dispensatio in voto; 4. et spirituales *per adnexionem*. Res spirituales per adnexionem theologi distinguunt in res *antecedenter* spirituales, quando temporale antecedit spirituale, et sic vocant vestes sacras, jus patronatus; *concomitanter* spirituales, quando simul habetur temporale et spirituale, et sic vocant laborem intrinsecum in sacramentis conficiendis vel administrandis; et *consequenter* spirituales, quando spirituale praecedit temporale, et sic vocant jus percipiendi fructus ex beneficio.

1) Prima est, qua res mere spiritualis temporali pretio permutatur: secunda est commutatio quaedam non sane spiritualis pro temporali, sed tamen ab Ecclesia prohibita ob rei sacrae reverentiam, aut ob simoniae quandam speciem, vel periculum. Unde vendere officium sacristae, oeconomi, procuratoris ecclesiae est simonia de jure ecclesiastico. In hac simonia de jure ecclesiastico potest dispensare Summus Pontifex, in simonia, de jure divino nequaquam, cum sit intrinsece mala.

Dare pecuniam mediatori cum pacto, ut intercedat ad rem spiritualem obtinendam, nempe beneficium, ordinationem est simonia, uti eruitur ex Extravag. *Cum detestabiles*, ubi decernitur: *Simoniam committi, cum pecunia datur pro collatione..... favore seu mediatione:* sic enim per temporale via sternitur ad spirituale obtinendum. Excipitur tamen: 1.° si temporale detur non pro ipsa mediatione, sed pro labore suscipiendo ab ipso mediatore; labor enim compensatione est dignus; 2.° ex eadem ratione excipitur, si temporale tribuatur Superioris familiari, ut facilem tribuat aditum, et, secundum aliquos, etiam licet, ut idem familiaris ita factus benevolus obstacula removeat; 3. ° si temporale alicui detur, ut notitiam tribuat de beneficiis vacantibus; id enim valde remote se tenet ad rei spiritualis consecutionem: 4.° si alicui temporale detur, ut merita eligendi simpliciter Superiori proponat; nam in casu praestatio temporalis non est immediatus finis rei spiritualis obtinendae. At in praedictis fere omnibus caute est agendum, cum sint valde periculosa. Lig.

Utrum sit simonia dare temporale intercessori mediato, ut ipse nempe intercedat apud alterum, qui beneficium a collatore obtineat? Aliqui negant, quia sic per temporale non proxime et immediate, sed remote tantum paratur via ad beneficium. Alii vero rectius contra sentiunt, semper enim in casu datur temporale ad spirituale consequendum.

Num sit simoniacum aliquid dare competitori, ut ad beneficium concurrere desistat? Negant aliqui, tum quia talis desistentia a concursu nihil est

vino, sive de jure ecclesiastico, potest esse *mentalis*, *conventionalis*, *realis* et *confidentialis*. *Mentalis* est, quando intra mentem sistit, nullo externo signo manifestata. *Conventionalis* dicitur, quando habetur pactum expressum vel tacitum, sed neutra parte completum. *Realis* dicitur, quando ex utraque parte pactum adimpletum est 1). *Confidentialis* tandem fieri potest solum in beneficiis, vel per accessum, vel per ingressum, vel per regressum vel per pensionem 2).

Q. *Quale peccatum est simonia ?*

R. Simonia prohibita est jure naturae, et jure positivo divino, et ecclesiastico. Qui eam committit, graviter peccat 3) contra religionem violando rem sacram, et etiam contra justitiam accipiendo pretium temporale sine ullo titulo 4).

Q. *Estne simonia vendere aliquid temporale, cui adnexum est spirituale ?*

R. Si temporale adnexum est spirituali concomitanter, est simonia ; secus non est simonia, dummodo temporale carius non vendatur, quia spiri-

---

spirituale, tum quia competitor desistendo nihil positive confert ad beneficii collationem, sed tantum negative se habet. Alii vero probabilius affirmant, quia concurrere ad beneficium non est injusta vexatio, quam licet per pecuniam redimere, sed est justa, quam non licet per pecuniam removere; insuper hoc modo semper paratur via ad beneficium. Ita S. Lig. cum. D. Thoma.

1) Si ab una parte tantum completum est pactum, nempe per traditionem solius pretii temporalis, vel solius rei spiritualis, tunc simonia dicitur *mixte conventionalis* vel *semirealis*.

2) Per *accessum* committitur simonia, quando quis volens conferre beneficium alicui inhabili per aetatem, illud confert alteri cum pacto, ut beneficium dimittat, statim ac inhabilis fiat habilis. Per *ingressum* committitur, quando quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignat, servato sibi jure beneficii possessionem ingrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per *regressum* committitur, quando quis post captam beneficii possessionem illud alteri resignat servato sibi jure in eamdem possessionem regrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per *pensionem* denique committitur, quando quis suum beneficium alteri resignat, reservans sibi, *juxta aliquos*, vel alteri ex privata auctoritate aliquam pensionem. Dixi *juxta aliquos*, quia nonnulli censent esse simoniam communem, si quis privata auctoritate reservet sibi pensionem.

3) In simonia de jure divino non datur parvitas materiae. In simonia de jure ecclesiastico datur.

4) Ex novo codice can. 729 habetur : 1.° *Ante quamlibet judicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax, nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti.* 2.° *Simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eos bona fide perceperit, prudentiae judicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare* ». — Ex communi sententia simoniacus non tenetur restituere fructus perceptos intuitu stolae, aliarumque ecclesiasticarum functionum, quia sunt fructus laboris, quem posuit.

tuali adnexum ; et dummodo non adsit aliqua Ecclesiae prohibitio, uti esset in venditione Olei Sancti, quatenus olei 1).

Q. *Estne simonia vendere fundos beneficii ?* 2)

---

1) Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali sed ejus occasione ex justo titulo a sacris canonibus, vel a legitima consuetudine recognito ; item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tanquam subjectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex.gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem. Ita Novus codex can. 730.

2) Beneficium ecclesiasticum juxta novum codicem can. 1409 *est ens juridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et jure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.*

Beneficium potest esse *saeculare*, si competit clericis saecularibus : *regulare*, si competit regularibus. Insuper potest esse *simplex* et *curatum ;* potest esse *electivum*, si a pluribus confertur per electionem confirmandam a superiore ecclesiastico ; *collativum*, si a superiore tantum confertur : *mixtum* si a superiore ecclesiastico confertur post patroni praesentationem.

Hinc uno ex his tribus modis acquiri solent beneficia : nempe 1. electione et confirmatione; 2. collatione libera; 3. praesentantione patroni, et institutione Superioris.

Beneficiarius habet jus ad honestam et decentem vitae suae sustentationem ex fructibus sui beneficii, etiamsi aliunde habeat unde vivere, et quod superest, applicare debet pauperibus, vel ecclesiae. De fructibus testari non debet in favorem suorum consanguineorum ; potest tamen hos alere, si sint pauperes.

Beneficiarii tenentur ad recitandas quotidie horas canonicas ; secus non faciunt suos fructus ; tenentur deferre habitum et tonsuram sub poena amissionis beneficii ; tenentur ad residentiam, si beneficium postulat. At Episcopi et canonici possunt per menses tres, et parochi per duos, quolibet anno, abesse ab eorum eccclesiis, sed rationabili de causa. Ultra hoc tempus absentes non faciunt suos fructus pro rata temporis absentiae, et illos applicare tenentur ecclesiae, vel pauperibus loci beneficii ; excipe, si adsit causa canonica. Causae canonicae sunt ex Trident : 1. *christiana charitas ;* 2. *urgens necessitas ;* 3. *debita obedientia ;* 4. *evidens Ecclesiae* vel *reipublicae utilitas*. Residentiae vero non satisfacit, qui corpore praesens, animo tamen absens, ovium vel Ecclesiae curam negligit.

In Officii recitatione peccat graviter : 1. qui officium permutat in aliud notabiliter brevius sine aliqua compensatione ; 2. qui mentaliter tantum illud recitat ; 3. qui integram parvam horam, aut aliud aequivalens omittit ; 4. qui ex praecipitantia notabiliter verba ita mutilat vel omittit, ut nullum reddant sensum ; 5. qui in gravi quantitate voluntarie se distrahit, et *plene* advertit se distrahi ab officio. Scrupulosus autem propter distractiones nunquam repetere tenetur. Lig. IV, 150. Causae excusantes sunt : *dispensatio, impotentia physica*, vel *moralis*, et *urgens charitas*, quando scilicet charitatis opera sine scandalo, aut gravi damno sui vel proximi omitti nequeunt.

Non est licitum habere plura simul beneficia, quorum unum sit sufficiens ad vitae sustentationem. Ita novus codex can. 1439.

Qualitates requisitae ad obtinendum beneficium habentur in novo co-

R. Maxime : utrum de jure divino vel ecclesiastico, quaestio.

Q. *Estne simonia, si collator beneficii vellet aliquid accipere, quia confert beneficiato emolumentum temporale, vel ob motivum dandi spirituale, vel ob gratuitam compensationem ?*

R. Maxime : sunt istae tres propositiones damnatae ab Innoc. XI 1).

Q. *Estne simonia dare aliquid temporale ad tollendam vexationem in beneficio ?*

R. Si vexatio est justa, est simonia ; si est injusta, distinguo : vel qui patitur vexationem injustam, habet jus in re, non est simonia ; vel habet jus ad rem, et subdistinguo : si dat ei, qui potest obesse et prodesse, est simonia ; si dat ei, qui potest obesse et non prodesse, non est simonia 2).

---

dice can. 459 ubi habetur : « Loci Ordinarius, graviter onerata ejus conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi, quem magis idoneum ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione. » — Electio digni in beneficiis curatis, omisso digniori, probabilius est valida, S. Alph. IV. 102, 103, sed omnino illcita : in beneficiis non curatis est valida, at probabilius illicita. Discrepant Doctores utrum eligens dignum, omisso digniori, restituere teneatur damnum illatum ipsi digniori, aut Ecclesiae, communius et probabilius tenetur, si adest concursus. S. Alph: IV, 109. Card. d' Annibale tom. III. pag. 35, Lehmkuhl tom. I. pag. 600. Quid de electione indigni ad beneficium ? Si indignitas respicit carentiam earum qualitatum, quae stricto jure requiruntur ad validam beneficii consecutionem, collatio est nulla, uti esset aetas praescripta, coelibatus, clericatus, immunitas ab impedimento canonico, puta ab excommunicatione. Si vero indignitas respicit ineptitudinem ad officia praestanda ipsi beneficio inhaerentia, collatio non est in foro saltem externo ipso jure irrita, quia in novo codice dicitur *per sententiam a legitimo Superiore irritari posse.* Electo indigno tam elector, quam electus tenentur ad damnum Ecclesiae, si aliquod damnum ei eveniat,uti solet evénire. Sic etiam tenentur ad damna eventa digno praetermisso, si iste aliquod habeat jus ad beneficium. Ad damna ista compensanda ante alios tenetur ipse indignus electus, qui beneficium sibi procuravit, cum ipse sit principalis causa, et participans in re, ejus defectu tenentur illi, qui injuste beneficium indigno contulerunt. Immo indignus iste tenetur in conscientia ante omnem judicis sententiam beneficium resignare, si talis sit indignitas, ut collationem nullam reddat. — Dignior vero judicandus est non qui simpliciter et absolute melior est, sed qui melior est quoad regimen Ecclesiae, ad quam est assumendus : quod clare patet ex verbis Trid. sess. XXIV De Reformat. cap. 1.

Ex novo codice can. 1435. Vacant beneficia, etiam curata, per obitum, promotionem, renuntiationem, vel per translationem — Vacatis beneficiis, si Ordinarius intra semestre ab habita certa vacationis notitia beneficium non contulerit, hujus collatio devolvitur ad Sedem Apostolicam. Ita novus codex can. 1432.

1) Dare aliquid collatori ex mera gratitudine non est simonia.

2) *Jus in re* est jus acquisitum, v. g. per collationem, institutionem. Jus *ad rem* est jus proxime acquirendum, v. g. per approbationem in concursu, per praesentationem. Ille dicitur posse *obesse*, et *prodesse*, qui potest vel

Q. *Estne simonia vendere jus patronatus ?* 1).

R. Maxime : at si jus patronatus adnexum est alicui fundo, vendi potest fundus, cui haeret ; dummodo fundus non vendatur pluris ratione juris patronatus, quod transfertur.

Q. *Estne simonia vendere pensionem* 2) *?*

R. Vendere pensionem clericalem, vel mixtam est simonia ; vendere laicalem non est simonia.

Q. *Estne simoniaca transactio in beneficiis* 3) *?*

R. Si fiat privata litigantium auctoritate, est simonia, cum sit a jure prohibita ; si fiat auctoritate Episcopi, non est simonia.

Q. *Estne simoniaca permutatio beneficii* 4) *?*

R. Maxime : de jure ecclesiastico, si fiat auctoritate privata.

Q. *Estne simoniaca renuntiatio beneficii* 5) *?*

---

impedire, vel juvare ad beneficium; ille dicitur posse tantum *obesse*, qui falsa accusatione aut denuntiatione potest solum impedire.

1) Ex novo codice can. 1449 : Jus patronatus est : 1.° Reale, *vel personale*, prout alicui rei cohaeret, vel directe ad personam spectat : — 2.° *Ecclesiasticum, laicale, mixtum*, prout titulus, quo quis jure patronatus potitur, est ecclesiasticus, vel laicalis, vel mixtus : — 3.° *Hereditarium, familiare, gentilitium, mixtum*, prout transit ad heredes, vel ad eos qui de familia aut gente sunt fundatoris, vel ad eos qui simul sunt heredes et de familia vel gente fundatoris. — Can. 1457. Praesentatio, nullo justo obstante impedimento, sive agatur de patronatu laicali, sive de ecclesiastico et mixto, fieri debet, nisi brevius tempus lege fundationis vel legitima consuetudine praescriptum fuerit, saltem intra quatuor menses a die quo is, cui jus est instituendi, patronum certiorem fecerit de vacatione beneficii et de sacerdotibus qui in concursu fuerunt probati, si agatur de beneficio quod per concursum conferri debet. — Can. 1458. 1.° Si intra praescriptum tempus praesentatio facta non fuerit, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit libere collationis. 2.° Si vero lis, quae intra utile tempus dirimi nequeat, exoriatur sive circa jus praesentandi inter Ordinarium et patronum, vel inter ipsos patronos, sive circa jus praelationis inter ipsos praesentatos, suspendatur collatio usque ad finem controversiae, et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat.

2) Pensio est jus percipiendi aliquam portionem fructuum ex beneficio alterius. Potest esse clericalis, si datur clerico ob spirituale ministerium ; laicalis, si datur laico ob temporalem causam ; et mixta si datur clerico ob impotentiam vel paupertatem.

3) Transactio est pactio non gratuita de re dubia, et de lite incerta, ad dirimendam litem.

4) Permutatio est reciproca beneficiorum renuntiatio inter beneficiatos.

5) Renuntiatio est spontanea proprii beneficii dimissio facta coram legitimo superiore eam acceptante. Potest renuntiatio fieri absolute, quando nulla conditio apponitur ; conditionate, quando apponitur conditio, ut solvatur, ex. gr. sibi annua pensio, vel ut beneficium renuntiatum alicui personae conferatur, et non alteri.

Ex novo codice can. 185. Renuntiatio ex metu gravi, injuste incusso,

R. Renuntiatio absoluta non est simoniaca : conditionata est simoniaca, quando fit sine auctoritate Superioris.

Q. *Estne simonia dare aliquid temporale pro omissione actus spiritualis ?*

R. Si omissio est actus jurisdictionis, uti negatio absolutionis, est simonia ; secus non, nam omissio operis spiritualis non est aliquid spirituale, uti esset omissio orandi, celebrandi, eleemosynam dandi etc.

Q. *Estne simonia dare aliquid temporale ministro nolenti gratis sacramenta ministrare?*

R. Quando non datur tanquam pretium rei sacrae, sed ad inflectendam iniqui ministri voluntatem, et adest rationabilis causa, non est simonia, sed tantum concursus materialis peccato ministri.

Q. *Adsunt poenae contra simoniacos ?*

R. Ex novo codice can. 2392. Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis 1.° Incurrunt in excom. latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. 2.° Ipso facto privati in perpetuum manent jure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant. 3.° si clerici sint, praeterea suspendantur 1).

---

dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, irrita est ipso jure — Can. 186. Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a renuntiante aut scripto aut oretenus coram duobus testibus, aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum ; et scriptum renuntiationis documentum in Curia deponatur — Can. 187. Renuntiatio generatim, ut valeat, ei fieri debet, a quo est acceptanda, vel, si acceptatione non egeat, a quo clericus officium accepit, vel qui ejusdem locum tenet — Can. 188. Ob tacitam renuntiationem ab ipso jure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus: 1.° Professionem religiosam emiserit; 2.° Intra tempus utile jure statutum vel, deficiente jure, ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexerit ; — 3.° Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit, et ejusdem pacificam possessionem obtinuerit : 4.° A fide catholica publice defecerit ; — 5.° Matrimonium, etiam civile tantum, ut ajunt, contraxerit ; 6.° Militiae saeculari nomen sponte dederit ; 7.° Habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine justa causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus intra mensem a monitione recepta resumpserit : 8.° Residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit, et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit, nec responderit.

Can. 189. 1.° Superiores sine justa et proportionata causa renuntiationes ne acceptent. 2.° Renuntiationem Ordinarius loci intra mensem vel admittat, vel rejiciat.

Can. 157. « Officium, et etiam beneficium juxta canonem 1413, vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit, aut sententiam tulit, valide conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis, vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive » Idque tenendum etiam pro beneficiis parochialibus per concursum providendis, uti declaravit S. Cong. Concilii.

1) Hoc intelligendum quando simonia est realis. Unde quando in hisce

Q. *Quaenam sunt causae a simoniae labe excusantes ?*

R. Sunt, quando datur temporale : 1. ex sola animi gratitudine tanquam merum donum, excepta tantum occasione examinis ad paroeciam vel ordinum collationis ex Trid. 1) ; 2. per modum stipendii ad honestam sustentationem, ut in Missis, aliisque sacris functionibus ; 3. ex consuetudine legitime introducta, uti emolumentum pro admissione in religionem ad professi indumenta, vel sustentationem tempore Novitiatus etsi coenobium sit dives ; 4. pro labore extrinseco, puta pro Missa celebranda tali loco, hora, cum cantu, etc. ; 5. denique ad tollendam injustam vexationem.

De superstitione.

Q. *Quid est superstitio ?*

R. Est cultus vitiosus veri Dei, vel cultus falsi numinis, ita D. Thomas.

---

casibus simonia est mentalis, vel conventionalis, vel mixte conventionalis, idest non ex utraque parte completa, non adsunt poenae, etiamsi juxta probabiliorem sententiam tradita sit res spiritualis. Ratio 1.ª quia non omnino perficitur venditio simul et emptio, nisi tradita re et pretio. Ratio 2.ª (quae mihi magis urget), quia in jure nullibi infliguntur poenae contra simoniam non utrinque completam, et in poenis stricta facienda est interpetratio. Et hunc esse Curiae stylum testantur Navar, et alii, nempe non judicandi poenas fuisse incursas, nisi simonia fuerit ex utraque parte consummata. Hinc inferunt DD. quod accipiens beneficium cum pacto praestandi pecuniam non teneris ante solutionem beneficium resignare, nec fructus restituere. Notandum tamen 1.º quod si pars tantum promissi solvatur, jam ex utraque parte intelligitur perfecta simonia. Notandum 2.º quod ex simonia utrinque completa, quantumvis occulta, incurruntur poenae. Notandum 3.º quod si simonia sit confidentialis, poenae incurruntur etiam per *simoniam* conventionalem mixtam, scilicet ex una parte completam, ex Bulla S. Pii V. *Intollerabilis*. S. Lig. III. 106. Notandum 4.º quod poenae incurruntur, si simonia sit pure conventionalis in electione R. Pontificis ex Const. Julii II. Quod adhuc viget ex Constitutione *Vacante Sede Apostolica* Pii Pp. X. in documentis novi codicis recensita.

Hic sub nomine beneficii non veniunt pensiones, vicariatus ad nutum amovibiles, capellaniae non collativae, nempe quae erectae et institutae non sunt Episcopi auctoritate. Lig., III, 112. — At ipso jure sunt invalidae simoniacae electiones praelaturarum, aliorumque officiorum spiritualium in Religione.

Ex novo codice can. 2371. Omnes etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint, aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi ; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam.

1) Heic non abs re erit advertere, quod examinatores beneficiorum parochialium, si quidquam prorsus occasione hujus examinis ante vel post accipiunt, simoniae vitium tam ipsi, quam dantes incurrunt, a quo absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque antea obtinuerant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur. Ita Trid. sess. XXIV cap. 18.

Hinc superstitio potest esse vel ex parte cultus indebiti, vel ex parte objecti 1).

Q. *Quid est cultus indebitus ?*

R. Est cultus, quo verus Deus colitur, sed modo inordinato.

Q. *Quotuplex est cultus indebitus ?*

R. Duplex : falsus, et superfluus. Falsus est, quando falsa miracula praedicantur, falsae reliquiae exponuntur etc. : et semper est peccatum grave, etiamsi haec fiant ad devotionem vel religionem augendam, nisi ignorantia vel simplicitas excuset. Superfluus, quando quis aliquas sibi ex arbitrio effingit caeremonias, praeter illas ab Ecclesia statutas, ex. gr. missam audiendo cum certo cereorum numero, et ordine ; hic potest esse peccatum veniale 2)

Q. *Quod sunt species superstitionis ex parte objecti ?*

R. Tres : idololatria, divinatio, et vana observantia, quae sunt ex genere suo mortalia. Ita D. Thomas.

Q. *Quid est idololatria ?*

R. Est cultus soli Deo debitus, qui creaturae exhibetur.

Q. *Quid est divinatio ?*

R. Est significatio occultorum ex pacto cum daemone sive expresso, sive tacito 3). Divinationis species principales sunt : necromantia, astrologia judiciaria, et sortilegium 4).

Q. *Quid est vana observantia ?*

R. Est quando ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, et improportionata. Hujus species sunt : ars notoria, observantia sanitatum, et observantia futurorum eventuum : ita D. Thomas 5).

1) Sicut irreligiositas dicitur vitium oppositum religioni per defectum, ita superstitio dicitur vitium religioni oppositum per excessum.

2) Ex novo Cod. can. 2326. Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit, vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit.

3) Pactum expressum habetur, quando quis expresse invocat daemonem ore, vel etiam mente ad occulta scienda. Si vero adhibet tantum media nullam vim habentia ad occulta scienda, dicitur pactum tacitum : uti qui ad furem divinandum utitur cribri circumductu.

4) Necromantia est responsio daemonis immediate invocati, quae fit per mortuos in speciem resuscitatos. Astrologia judiciaria est, quando quis ex situ vel motu siderum cognoscere velit eventus a libero arbitrio dependentes. Sortilegium est divinatio per sortes, quae possunt esse divisoriae, consultoriae et divinatoriae. Primae adhiberi solent quandoque in partitione bonorum, et sunt licitae ; istae in electionibus ecclesiasticis sunt semper prohibitae. Secundae, si conjunctae sint cum reverentia et fiducia in Deum, stante rationabili causa, sunt licitae ; secus essent tentatio Dei. Tertiae sunt superstitiosae, et semper illicitae.

5) Ars notoria est illa, qua quis ad scientiam obtinendam media adhibet, quae nullam habent virtutem illam causandi. Observantia sanitatum dicitur illa, qua ad curandos morbos adhibentur media, quae nullam habent virtu-

Q. *Quid est magia, et maleficium?*

R. Possunt ista revocari ad quamdam speciem vanae observantiae. Magia est, cum quis ex pacto, et cooperatione daemonis intendit mira facere. Maleficium est, cum quis ex pacto, et cooperatione daemonis intendit alteri nocere 1).

De mesmerismo et spiritismo.

Q. *Quid est mesmerismus?*

R. Mesmerismus, dictus a Mesmer, est quidam fluidus nerveus manans a corpore magnetizantis in corpus magnetizati, ope gestuum, vel solius praesentiae, imo et solius voluntatis magnetizatoris. Ex quo nascitur: 1. Status somni seu soporis in magnetizato, ita ut nulla vis excitare eum valeat; et hic servatis a S. Sede praescriptis non est moraliter vetitus. 2) Status somnambulismi, in quo quis, licet usu sensuum destitutus, tamen audit, res dissitas videt, interrogationibus respondet, miram sui status cognitionem habet, et remedia suo morbo convenientia praebet etc. 2).

Q. *Quid spiritismus?*

R. Sunt quaedam responsa, quibus daemones per personas intermedias homines illudunt, et eis insidiantur.

Q. *Quid de mesmerismo* 3) *et spiritismo est dicendum?*

R. Sunt omnino illicita; effectus enim excedunt vires naturae, et ut superstitiosa haberi debent 4).

---

tem id efficiendi. Observantia futurorum eventuum est praedictio prosperae, vel adversae fortunae ex signis prorsus ineptis.

1) Si maleficium dirigitur ad carnalem amorem vel odium excitandum dicitur *philtrum*; si ad damna in salute, vel in bonis inferenda, dicitur *veneficium*. Adverte, quod nunquam licitum est tollere maleficium mediis superstitiosis, cum sint intrinsece mala.

2) De 1.° effectu interrogata S. Offic. Congregatione die 23 Iun. 1840, respondit: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum.* In Encyclica vero S. R. Inquisitionis ad totius orbis Episcopos 4 Aug. 1856, de recensitis effectibus secundi generis legitur: *In hisce omnibus quacumque demum* (homines) *utantur arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum.* Scav. IV, app. 37, edit. XII.

3) Intellige de secundo effectu; nam primus non est moraliter vetitus

4) Idem dicendum de spiritismo, cujus consultatio prorsus diabolica est, et veram divinationem, in sacris litteris tam severe prohibitam, constituit. Quapropter, etiam remoto scandalo, peccat graviter, tum qui hujusmodi consultationes adhibet, tum qui passive tantum, idest ex simplici curiositate eis adsistit, quippe ex Apostolo *non solum rei habendi sunt, qui opera mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Consentit vero qui sciens praedictis experimentis interest. Nec sufficit ratio, quod passive se habeat

DE CONTRACTIBUS

De contractibus in genere.

Q. *Quid est contractus ?*

R. Est duorum vel plurium in idem placitum consensus obligationem pariens 1).

Q. *Quotuplex est ?*

R. Unilateralis, quando obligat unam partem ; bilateralis, quando obligat utramque partem 2. Gratuitus, et onerosus. 3. Explicitus, et implicitus. Primus quando contrahentes expresse conveniunt de aliquo; secundus quando tacite 2). 4. Nominatus, et innominatus ; primus habet proprium nomen, uti venditio, donatio, etc. secundus non habet. Innominatorum contractuum quatuor sunt species, scilicet : *do ut des ; facio ut facias ; do ut facias ; facio ut des.* 5. Purus, et non purus ; primus est ille, cui nulla est adnexa qualitas ; secundus est ille, qui habet adnexam aliquam qualitatem 3).

De qualitatibus contractuum.

Q. *Quot sunt qualitates contractuum ?*

R. Istae : 1.° adjectio diei, 2.° conditio, 3.° modus, 4.° demonstratio, 5.° causa.

Q. *Contractus celebratus adjectione diei quando obligat ?*

R. Vel dies est certa (puta dabo tibi centum die Paschatis), et obligat

---

et in mente sua diabolicum interventum excludat, quia semper honor daemoni tribuitur, quod prohibitum est. Hujusmodi enim protestatio non assentiendi ulli operi diabolico non valet, quia certo constat esse superstitiosum, et protestatio non mutat naturam actus. Tunc valet protestatio, quando agitur de re indifferenti, et dubitatur, an sit naturalis, vel superstitiosa.

De jure communi contra spiritismum adest excommunicatio ferendae sent. ex cap. *Si quis ariolos*, ob commercium cum daemone.

1) Quae jus civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem jure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi juri divino contraria sint, aut aliud jure canonico caveatur. Ita novus codex can. 1529.

2) Contractus implicitus habetur ex. gr. in aditione haereditatis, in susceptione alicujus officii, etc.

3) Olim ex jure romano dividebantur etiam in contractus *stricti juris*, et *bonae fidei* ;primi erant illi, in quibus judex stare debebat omnino verbis contrahentium, puta census, emphyteusis ; secundi illi, in quibus judex potestatem habebat arbitrandi. Insuper theologi distinguunt etiam contractus in nudos, et vestitos ; nudos vocant illos, qui carent firmamento exteriori legis civilis, puta scriptura, juramento, testibus, etc. ; vestitos, qui habent hoc firmamentum.

a principio 1) ; vel dies est incerta (puta dabo tibi centum, quando navis venerit), et obligat adveniente die 2). Si vero dies est certo futura, licet sit incertum quando (puta dabo tibi centum, quando obierit pater tuus) ; vel dies incerta apposita sit in gratiam solius promissarii (puta dabo tibi centum, quamcumque die velis ingredi in religionem) tunc contractus etiam obligat a principio.

Q. *Quid est conditio ?*

R Est qualitas, quae suspendit consensum in contractu 3).

Q. *Quotuplex est ?*

R. 1.° Propria, et impropria: prima est illa, quae respicit futurum liberum, vel contingens; secunda illa, quae respicit praeteritum, vel praesens, vel futurum necessarium. 2.° Possibilis, et impossibilis. 3.° Honesta, et turpis. 4.° Suspensiva, et resolutiva 4).

Q. *Contractus celebratus sub conditione estne validus ?*

R. Distinguo : si sub conditione impropria, est validus, dummodo conditio sit vera, idest existens ; nam pendet a re certa ; si sub conditione propria, subdistinguo : vel conditio est honesta et possibilis, et contractus est validus, verificata conditione 5) ; si est turpis vel impossibilis, contractus est nullus, quia ad turpia, et impossibilia nulla obligatio : excipe si conditio turpis, vel impossibilis apponatur in donatione inter vivos, in ultimis voluntatibus 6),

---

1) Quia haec dies apponitur ad differendam obligationem.

2) Quia dies apponitur ad suspendendam obligationem, et habetur tanquam conditio.

3) Conditio exprimitur per particulas, *si*, *nisi*, *dummodo*.

4) *Suspensiva* est illa, a cujus existentia dependet obligationis valor. *Resolutiva* est illa, a cujus existentia obligatio cessat, uti si nunquam fuisset contracta, idest, non verificata conditione, contractus, qui a principio effectum suum produxerat, solvitur.

5) In contractibus conditionatis oritur obligatio expectandi exitum conditionis, et interim non reddendi se impotentem. Verificata conditione, non requiritur novus consensus ; nam idem, qui prius erat suspensus, evadit absolutus.

6) Hinc si quis promittit centum Titio, si occidat inimicum, contractus est nullus. Si legat centum, si occidat, centum debentur, et inimicus non debet occidi ; contractus enim est validus, utpote ultimae voluntatis, unde conditio turpis habetur tamquam non apposita. Idem dic, si legat centum puellae nubili, ne nubat, vel ne ingrediatur in religionem, debentur etiamsi nubat, vel ingrediatur in religionem. Idem dic de viduis, ne iterum nubant. Ex cod. It. art. 850 « È contrario alla legge la condizione che impedisce tanto le prime nozze, quanto le ulteriori. » Sed ex eodem articulo secus dicendum est, si legatum relictum fuerit conjugi superstiti *tempore viduitatis*, quia hoc in casu non impeditur matrimonium, sed per legatum conceditur favor, cui quis potest renuntiare, et convolare ad matrimonium. Advertе, quod si quis in legato alicui ecclesiae facto pro nonnullis piis operibus exequendis, expresse declaravit, quod, piis operibus non adimpletis, lega-

vel in matrimonio, quia in his contractibus haec conditio rejicitur a jure, et habetur tanquam non apposita, et ideo contractus est validus 1). In matrimonio autem, si conditio turpis opponitur uni ex tribus bonis substantialibus matrimonii, matrimonium est nullum.

Q. *Quid est modus ?*

R. Est clausula, qua adjicitur aliquod onus contrahenti, sed non suspendit consensum 2).

Q. *Contractus celebratus sub modo estne validus ?*

R. Semper est validus, sive modus sit honestus et possibilis, sive non ; si enim est honestus et possibilis, inducit ex justitia obligationem adimplendi modum ; secus non.

Q. *Quid est demonstratio ?*

R. Est appositio signi ad ostendendam rem de qua contrahitur, vel personam cum qua contrahitur.

Q. *Si demonstratio est falsa circa personam, contractus estne validus ?*

R. In contractibus gratuitis contractus est nullus; in his enim contractibus persona est subjectum substantiale 3). In contractibus onerosis contractus est validus, quia persona est accidentalis ; excipe matrimonium.

Q. *Si demonstratio est falsa circa rem, contractus estne validus ?*

R. Si demonstratio falsa est circa substantiam, contractus est nullus ; si circa qualitatem, subdistinguo; si qualitas est deducta in pactum, est etiam nullus ; secus validus.

Q. *Si demonsiratio est falsa circa numerum, vel quantitatem rei, excessus potest retineri ?*

R. Si demonstratio est taxativa, non potest ; si ostensiva, potest 4).

tum sit nullum, in hoc casu, postquam legatum acceptatum est, si, culpa Praelati, vel rectoris opera non adimplentur, legatum revocari non potest, quia Praelatus potest tantum ecclesiae nocere pro jure acquirendo, non pro jure acquisito. Ita exprimitur novus codex can. 1536. *Donatio Ecclesiae facta et ab eadem legitime acceptata propter ingratum Praelati vel rectoris animum revocari nequit.* Adverte etiam, quod si quis relinquat legatum ad determinatas puellas in matrimonio collocandas, istis debetur, etiamsi velint ingredi in religionem ; si vero puellae non sunt determinatae, illis debetur legatum, quae in matrimonio collocantur.

1) Ratio est, quia in istis contractibus praesumitur contrahentes non cognovisse talem conditionem esse turpem vel impossibilem, aut si eam talem cognoverint, eam non serio apposuisse censetur. Nihilominus legis praesumptio veritati cedit, hinc si contrahentes ita comparati sint, ut conditionem turpem, uti talem cognitam, pro vera conditione *sine qua non* apposuerint, tunc contractus seu dispositio est nulla, quia deficit consensus.

2) Solet exprimi modus per particulas *ut, ad, ne.* Sic ex gr. dono tibi centum *ad emendum, ut emas* equum.

3) Hinc si quis donat centum Titio putans esse Cajum, donatio est nulla, deest enim consensus.

4) Demonstratio taxativa est illa, quae incipit a mensura, et desinit

Q. *Quid est causa ?*

R. Est ratio expressa, propter quam contrahitur 1).

Q. *Quotuplex est ?*

R. Potest esse finalis, seu motiva, et est illa, sine qua contractus non fuisset celebratus ; impulsiva, et est illa, sine qua contractus etiam fuisset celebratus, sed non tam de facili.

Q. *Estne validus contractus celebratus sub causa non subsistente ?*

R. Si causa est finalis, contractus est nullus ; si impulsiva est validus, quia non deficit consensus.

De iis, quae essentialiter requiruntur ad valorem contractus.

Q. *Quaenam requiruntur essentialiter ad valorem contractus ?*

R. Requiritur : 1.º consensus, 2.º habilitas contrahentium, 3.º forma substantialis, si qua sit a jure praescripta, 4.º capacitas rei.

Q. *Quinam consensus requiritur ad contractum ?*

R. Verus, liber, mutuus, et expressus 2).

Q. *Quid est error, quid dolus ?*

R. Error est acceptio unius rei pro alia. Dolus est machinatio adhibita ad alterum decipiendum.

Q. *Quotuplex potest esse error, vel dolus ?*

R. Potest esse vel circa substantiam, vel circa qualitatem. Insuper antecedens, et est ille, sine quo contractus non fieret ; concomitans, et est ille, sine quo contractus etiam fieret, sed non tam de facili. Tandem error, vel dolus potest procedere vel ab alio contrahente, vel a tertia persona vel ab ipso decepto, qui ob suam ignorantiam erravit sine alterius malitia.

Q. *Contractus celebratus per errorem, vel dolum estne validus ?*

R. Si error vel dolus est circa substantiam, sive sit antecedens sive concomitans, nullus est contractus defectu consensus. Si error vel dolus est circa qualitatem, est validus, sed rescindibilis 3). Excipe si qualitas sit deducta in pactum, quia tunc transit in substantiam contractus.

Q. *Contractus celebratus per vim estne validus ?*

---

in rem, puta centum, qui sunt in illo saeculo. Demonstratio ostensiva est illa, quae incipit a re, et desinit in mensuram, puta illum sacculum, in quo sunt centum.

1) Exprimitur per particulas, *quia*, propter, *quoniam*.

2) Consensus potest impediri ex parte intellectus per errorem, vel per dolum ;ex parte voluntatis per vim, vel per metum.

3) Ut possit in conscientia rescindi hic contractus, requiritur. 1. ut error vel dolus sit antecedens ; 2. ut procedat non a tertia persona, sed ab alio contrahente, quia requiritur injuria ex parte istius; 3. ut deceptus velit rescindere contractum ; 4. ut contractus sit rescindibilis de sua natura ; aliter enim res se habet in matrimonio, quod est indissolubile.

R. Est nullus de jure naturae ?

Q. *Contractus celebratus per metum estne validus ?*

R. Si metus est levis, contractus est validus. Si metus est gravis, quaestio est, utrum de jure naturae tales contractus sint validi. De jure civili novo sunt nulli, dummodo metus gravis sit injuste incussus a causa libera, et ad extorquendum consensum 1).

Q. *Quinam possunt contrahere ?*

R. Omnes, qui habent usum rationis, et non sunt a jure impediti. Impediti a jure dicuntur minores, mulieres uxoratae, et interdicti 2).

Q. *Quinam dicitur minor ?*

R. Qui nondum complevit annum XXI. Minor potest esse vel sub patria potestate, vel sub tutore, vel emancipatus.

Q. *Quid est patria potestas ?*

R. Est quaedam auctoritas, quam habent parentes in filios legitimos, et adoptivos, quod ad aliquos effectus 3).

1) De jure veteri erant validi, sed rescindibiles. Nulli erant autem contractus, qui in hoc versiculo continentur :

Tutor, Judicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum.

Nempe auctoritas tutoris vel curatoris metu extorta in contractibus ; absolutio a censuris et earum revocatio ; promissio et solutio dotis ; promissio et traditio rerum ecclesiae ; matrimonium , et sponsalia ; professio religiosa ; electio Praelati ; beneficiorum renuntiatio, et quodlibet votum.

2) Unde si minores contrahunt, in foro externo contractus sunt nulli. Dubium est, an filiifamilias liberi sint a restitutione mutui, non solum in foro externo, sed etiam interno. Negant Bonac. Dic. Covar. et Rebel, quia Jus Civile non tollit obligationem naturalem. At satis probabilius affirmant Less. Sanch. Laym. Pal. Salm., quia lex bene potest cum justa causa naturalem obligationem auferre, et sic fecisse judicatur in hoc casu ad providendum damno parentum et nequitiam foeneratorum avertendam. Non videtur autem posse negari, quod Potestas suprema ob altum dominium quod habet, bene potest propter bonum commune transferre dominium rerum ab uno in alterum; ut patet in lege praescriptionis. S. Alp. III. 757. Excipe si creditor ostendat mutuum in filiifamilias utilitatem cessisse. Idem dic de uxoribus et interdictis.

3) Effectus patriae potestatis alii proveniunt a jure naturae, et sunt quod parentes curare debent educationem, instructionem, et filiorum correctionem ; ideoque filii semper eis amorem, honorem, ac reverentiam exhibere tenentur. Alii a jure civili, et praecipui sunt ex Cod. ital. 1.° quod pater, et defectu patris, mater potest petere a civili tribunali, ut filii incorrigibiles collocentur in aliquo educationis vel correctionis instituto ; 2.° repraesentat filios in omnibus actibus civilibus, eorumque bona administrat ; 3.° pro filiis acceptat haereditates cum beneficio inventarii ; habet usufructum bonorum filiorum (modo secundas nuptias non contraxerit) usquedum filii emancipantur, aut matrimonium contrahunt, aut fiunt aetate majores. Excipe si bona sint filiis collata hoc pacto ut aliquam artem aut professionem

Q. *Potestne contrahere filius, qui est sub patria potestate ?*

R. Si est minor, non potest. Si major potest, exceptis tantum aliquibus contractibus, ut in codice 1).

Q. *Potestne contrahere filius, qui est sub tutore ?* 2).

R. Non potest. Potest tantum sine tutore et sine judice donare in contractu matrimonii, et si habet annos XVI. (ex C. It. XVIII) testari. Imo nec etiam tutor nomine minoris potest aliquos contractus celebrare, uti vendere immobilia, hypothecare. In his omnibus, praeter consilium familiae, requiritur auctoritas judicis.

Q. *Si filius est emancipatus potestne contrahere ?*

R. Si est major, potest. Si minor, potest tantum ea facere, quae pertinent ad simplicem administrationem ; uti bona sua locare, redditus exigere etc. ; quoad alia vero indiget consensu patris, vel si mortuus est pater, consensu curatoris.

Q. *Mulier uxorata potestne contrahere ?*

R. Si loquimur de illis bonis, quorum mulier habet proprietatem, et administrationem, uti sunt bona paraphernalia, vel particularia , potest ; excipe, si velit ista donare, alienare, hypothecare, quia tunc indiget auctoritate mariti. Si vero loquimur de illis bonis, quorum maritus habet usufructum et administrationem, uti sunt bona dotalia, vel communia 3), non potest sine consensu mariti, vel judicis.

Q. *Quinam dicuntur interdicti ?*

R. Illi, quibus ob imbecillitatem, vel dementiam prohibetur administratio bonorum suorum 4). Isti non possunt contrahere, datur ideo istis

---

acquirant, vel ut parentes usufructum non habeant ; et excipe bona, quae filii ex militia, officio, aut propria industria acquirunt.

Desinit patria potestas : 1.° quando filius expleverit annum XXI; 2.° emancipatione, quae fieri nequit ante annum XVIII. filii completum ; 3.° contractione matrimonii, qua minor ipso jure emancipatus evadit.

1) Sic ex cod. it. requiritur consensus patris, matris vel conjugis viventis in casu adoptionis art. 208 ; sic etiam si filius ante annum XXV. et filia ante XXI completum velint contrahere matrimonium, art. 63.

2) In jure Rom. filio impuberi, nempe qui nondum expleverat annum XIV. vel XII. si foemina, dabatur tutor post mortem patris ; filio dabatur curator. Nunc ablata distinctione puberum et impuberum (omnes enim sunt vel minores, vel majores) filio minori, non emancipatio, datur tutor post mortem patris, ut curam habeat primario personae minoris, secundario bonorum.

3) Matrimonium potest celebrari vel sub regimine dotali, vel sub communione bonorum.

Ad bona paraphernalia spectant ea etiam, quae uxor sibi comparat singulari sua industria, vel labore omnino extraordinario, adhibita rei familiaris sufficienti cura. Item ea, quae accumulat aliquid subtrahendo de sibi concessis ad vestitum, recreationem etc.

4) Huc referri possunt etiam damnati ad poenam juribus civilibus privantem, qui si non judicialiter, ut supra, certe legaliter sunt interdicti.

tutor. Item non possunt contrahere alii, ex g. prodigi sine adsistentia consulentis, qui a judice assignatur.

Q. *Quaenam dicitur forma substantialis contractus ?*

R. Illa, sine qua ex dispositione juris contractus est nullus, uti praesentia parochi, et duorum testium in matrimonio ; praesentia notarii in donatione, etc.

Q. *Quaenam res possunt esse materia contractus ?*

R. Illae tantum, quae sunt in commercio, seu ea omnia, quae sub hominis dominio cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam habent administrationem. Hinc vendi non possunt res sacrae, via publica, et alia usui publico destinata, mobilia pretiosa Ecclesiae, ejusque immobilia, quae nec etiam possunt permutari, donari, pignorari, aut hypothecae subjici, ultra triennium locari (1) inconsulto Pontifice, sub poena excom. nem. seser. juxta can. 2347 2).

---

1) *Ultra triennium* intellige *fructificationis*, ita ut si bona fructificent annuatim, locari nequeunt ultra triennium, si alternis annis, ultra sexennium; si ternis annis ultra novennium etc.

2) En textus novi codicis Can. 1530 quoad alienationem bonorum ecclesiae. Ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt requiritur : 1.° Aestimatio rei a probis peritis scripto facta : — 2.° Justa causa, idest urgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas : — 3.° Licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est : § 2.° Aliae quoque opportunae cautelae, ab ipsomet Superiore pro diversis adjunctis praescribendae, ne omittantur, ut Ecclesiae damnum vitetur.

Can. 1531. 1.° Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione indicatur. 2.° Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur, qui, omnibus perpensis, plus obtulerit. 3.° Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur.

Can. 1532. § 1.° Legitimus Superior est Sedes Apostolica, si agatur: 1.° De rebus pretiosis :—2.° De rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum. § 3.° Si vero agatur de rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, audito administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et cum eorum consensu quorum interest.— § 4.° Si denique de rebus quarum pretium continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, dummodo accesserit consensus tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest.

Can. 1533. Sollemnitates requiruntur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae pejor fieri possit.

Excipiuntur res exigui valoris, quae si alienantur absque venia Pontificis, effugitur censura, sed adest peccatum, si fit absque venia Ordinarii S. Alph. IV 187. In nostra Dioecesi ex consuetudine concedi potest ab Archiepiscopo, vel ejus Vicario facultas alienandi usque ad 100 aureos.

De juramento contractui addito.

Q. *Quodnam juramentum apponi potest contractibus ?*

R. Juramentum promissorium ; et potest esse per se stans ; vel confirmans contractum. Juramentum per se stans est illud, quod apponitur in contractu nullo de jure naturae 1), vel etiam nullo de jure positivo, quando nullitas inducta fuit ob bonum commune, vel quando apponitur in contractu, qui nullum jus transfert creditori, puta quando promittitur latroni ob metum. Juramentum confirmans contractum est illud, quod apponitur in contractu valido, vel etiam nullo, quando nullitas inducta fuit a jure positivo in gratiam contrahentis, quisque enim potest cedere juri suo 2).

Q. *Estne servandum juramentum per se stans ?*

R. Maxime : quando servari potest sine peccato, et sine praejudicio tertii 3), quia juramentum non est vinculum iniquitatis.

Q. *Adsunt casus, in quibus juramentum per se stans non obligat, licet servari possit sine peccato, et sine praejudicio tertii ?*

R. Maxime: 1. Quando novitius disponit cum juramento de bonis suis in novitiatus decursu. Ita novus codex can. 568. 4.) 2. Quando promissio facta in favorem tertii, nondum acceptata, habeat juramentum; nam in hoc casu, qui jurat, intendit se obligare ad non revocandam promissionem, sed postquam fuerit acceptata.

De restitutione in integrum

Q. *Quid est restitutio in integrum ?*

R. Est reintegratio prioris status. Haec habet locum in contractibus validis, sed rescindibilibus.

Q. *Quinam gaudent hoc privilegio ?*

---

1) Etenim contractus nullus de jure naturae (puta per vim, per errorem, aut cum ebrio, furioso amente), non firmatur juramento, quia juramentum non mutat naturam actus.

2) Quando juramentum firmat contractum, adsunt duae obligationes, una ex virtute religionis orta ex juramento, et alia ex justitia ratione contractus; ista secunda est obligatio realis, et transit ad haeredes. Quando vero juramentum est per se stans, producit tantum obligationem religionis, quae est obligatio personalis, nec transit ad haeredes.

3) Hinc si promisisti solvere usuras, vel dare crumenam latroni, et jurasti, debes adimplere promissionem ob sanctitatem juramenti. Potes autem postea te compensare adhibendo momentaneam solutionem, solvendo nempe, et statim repetendo ; potes etiam petere a superiore ecclesiastico relaxationem juramenti, vel a judice, ut compellat creditorem ad relaxandam obligationem tuam.

4) En textus N. Cod. *In noviatiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit, eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso jure irrita est.*

R. Minores, mulieres uxoratae, interdicti, majores in casibus a codice expressis ; et de jure can. Ecclesiae, ac proinde etiam omnia loca pia 1).

Q. *Quanti temporis spatium conceditur ad petendam restitutionem in integrum ?*

R. In contractu emptionis et venditionis biennium, in aliis contractibus decennium.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

De emptione, et venditione.

Q. *Quid est emptio, quid venditio ?*

R. Emptio est pactio pretii determinati dandi pro merce. Venditio est pactio mercis determinatae dandae pro pretio.

Q. *Quomodo perficitur hic contractus ?*

R. Consensu, determinatione mercis, et determinatione pretii 2).

Q. *Quid est merx ?*

R. Est quidquid pecunia aestimari potest, uti sunt mobilia, immobilia, jura, actiones.

Q. *Quotuplici modo merx potest determinari ?*

R. Vel *in spe*, puta vendo tibi jactum retis pro capiendis piscibus : vel *in re*, puta vendo tibi pisces jam captos. In re potest merx determinari vel *in genere*, vel *in specie*, vel *in individuo;* in genere, puta vendo tibi decem oves : in specie, puta vendo tibi decem oves albas ; in individuo, puta vendo tibi has decem oves : vel *quoad corpus*, puta vendo tibi totum acervum tritici centum aureis; vel *quoad pondus, numerum, aut mensuram*, puta vendo tibi totum acervum tritici decem libellis pro qualibet mensura.

Q. *Si res vendita perit, cui perit ?*

R. Perit emptori, quia ipse est dominus etiam ante traditionem. Excipe si res vendita sit in genere, vel in specie, quia tunc perit venditori ; genus enim et species nunquam pereunt ; vel si vendita sit quoad pondus, numerum, aut mensuram, quia venditio haec est semper conditionata, nempe si mensuretur, numeretur etc., et per consequens, conditione non verificata, perit etiam venditori 3).

---

1) Minores privantur hoc privilegio in aliquibus casibus in codice notatis, puta si laesio orta fuit ex casu fortuito ; si facti majores ratum habuerunt contractum etc.

2) In jure Rom. per traditionem mercis perficiebatur hic contractus, et tunc emptor acquirebat dominium. Jure novo non requiritur traditio, ut emptor acquirat dominium.

3) Idem dic de venditione illarum rerum, quae ex usu praegustari solent, uti vinum, oleum , et de venditione facta pacto degustationis, aut sub alia conditione propria, quia periculum penes venditorem remanet, quousque

Q. *Si res vendita est duobus, cui debetur ?*

R. Si res est immobilis, debetur illi, cui prius vendita est 1) ; si est mobilis, debetur illi, cui prius tradita est 2).

Q. *Si fortasse aliquod vitium adest in merce, estne aperiendum ?*

R. Praemitto: vitium potest esse vel circa substantiam, vel circa qualitatem ; occultum vel manifestum ; damnosum vel non damnosum. Hoc posito, si vitium est manifestum, non est aperiendum, modo emptor non sit ignarus. Si est occultum subdistinguo : vel est circa substantiam, et est aperiendum ; vel circa qualitatem, et iterum distinguo : vel est damnosum, et est aperiendum 3), vel non damnosum, et non est aperiendum ; excipe si venditor sit interrogatus.

Q. *Quid est pretium ?*

R. Est aequa mensura pecuniae pro rei alicujus valore.

Q. *Quotuplex potest esse pretium ?*

R. Duplex : legale, et vulgare. Legale est illud, quod a publica auctoritate taxatum est, et consistit in indivisibili, ita ut non possit minui, nec augeri. Vulgare est illud, quod taxatur a communi existimatione, et potest esse supremum, supra quod vendi non potest ; infimum, infra quod emi non potest ; medium, supra quod vel infra quod vendi, vel emi potest 4).

---

non adimpletur degustatio, aut conditio ; hinc si pereunt ante degustationem, vel conditionem non verificatam, pereunt venditori.

Si vero venditio facta sit alternativa, puta vendo tibi hoc vel illud, et una res perit, perit venditori. Si ambae pereunt casu fortuito, una perit venditori altera emptori; si pereunt culpa venditoris, iste debet solvere emptori pretium rei, quae ultimo perit.

1) Secus dispositum erat jure Rom. ; semper enim debebatur illi, cui prius tradita erat.

2) An autem secundus emptor, qui mala fide se gessit, teneatur ad damna fortasse causata primo emptori, distinguendum ; si ipse induxit venditorem ad vendendam et tradendam sibi rem alteri venditam, tenetur ; secus non tenetur.

3) Venditor si non aperit vitium damnosum, illud sciens, tenetur ad restitutionem pretii, et ad damna erga emptorem ; si vero illud ignorabat, tenetur ad restitutionem pretii, et ad expensas solutas ab emptore causa venditionis, En articula cod. Italici vigentis. Art. 1502. Se il venditore conosce i vizii della cosa venduta, è tenuto, oltre alla restituzione del prezzo ricevuto al risarcimento dei danni verso il compratore. Art. 1503. Se il venditore ignorava i vizii della cosa, non è tenuto che alla restituzione del prezzo, e a rimborsare il compratore delle spese fatte per causa della vendita.

4) Licitum est cuique emere pretio infimo, nec infra ; vel vendere pretio supremo, nec ultra, aliter peccatum committitur contra justitiam commutativam. Si quis tamen petitus de pecunia negaret dare mutuum, sed offerret merces emendas pecunia credita, et pretio supremo, sed cum pacto sibi ipsi retrovendendi pecunia numerata, et pretio infimo, hic contractus voce hispana vocaretur *Mohatra*, est illicitus, quia usurarius. et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Si vero ex parte mercatoris adesset vera intentio vendendi, et prorsus abesset omne pactum sibi retrovendendi, esset licitus.

Q. *Potestne augeri vel minui pretium vulgare ?*

R. Potest augeri : 1. ex multitudine emptorum, 2. ex paucitate venditorum, 3. ex abundantia pecuniae, 4. ex carentia mercis. Ex oppositis vero rationibus pretium minuitur 1).

Q. *Potestne augeri pretium vulgare praecise ob dilationem solutionis aut minui ob anticipationem ?*

R. Minime : esset enim usura. Si vero adesset titulus justus, puta lucri cessantis, vel damni emergentis etc., potest.

Q. *Licetne emptori emere infra infimum pretium, quia venditor est in necessitate vendendi ; vel venditori vendere ultra supremum, quia emptor necessitatem habet emendi ?*

R. Minime : quia necessitas peculiaris non est titulus justus.

Q. *Potest minui pretium, si emptor emat in gratiam venditoris rem sibi non necessariam ?*

R. Maxime : res enim ultronea vilescit pro tertia parte juxta aliquos Doctores.

Q. *Potest quis minori pretio emere credita ?*

R. Si sunt litigiosa, potest. Si sunt certa, distinguo : si adest justus titulus, potest ; secus non potest.

Q. *Potestne quis mercem suam vendere currenti pretio, si sciat brevi tempore pretium esse diminuendum ?*

R. Potest, dummodo nulla fraus adhibeatur; eo enim tempore tale est pretium rei.

Q. *Si quis dicit : vendo tibi hanc rem pretio justo, estne valida venditio ?*

R. Distinguo : si pretium rei est legale, est valida venditio ; si est vulgare, est nulla, quia non est determinatum pretium.

Q. *Si determinatio pretii remittitur emptori, estne valida venditio ?*

R. Minime : secus si remittitur tertiae personae.

Q. *Potestne minui vel augeri pretium rei, quae venditur sub hasta ?*

R. Maxime : modo non adsit fraus vel dolus, tunc enim res incerto et fortuito pretio subjicitur.

Q. *Quibus modis potest dissolvi contractus emptionis et venditionis ?*

R. 1. Per mutuum consensum ; 2. per pactum retrovenditionis 2) ; 3.

---

1) Pretium vulgare potest etiam augeri vel minui ratione modi, quo res venditur. Sic qui minutim vendunt, possunt majori pretio vendere pro majori labore, expensis, et periculo in rei conservatione. Qui vero emunt in magna quantitate,possunt emere minori pretio pro majori utilitate venditorum.

2) Pactum retrovenditionis posset apponi vel in favorem venditoris et tunc res valeret minoris ; vel in favorem emptoris, et tunc valeret pluris ; vel in favorem utriusque, et tunc valeret aequo pretio. Jure novo potest apponi pactum retrovenditionis tantum in favorem venditoris, sed non ultra quinquennium. Conditiones requisitae in hoc pacto retrovenditionis sunt 1. ut non apponatur ad palliandam usuram; 2. ut emptor vere fiat dominus

per pactum legis commissoriae 1) ; 4. per pactum adjectionis in diem 2) ; 5. per conditionem non adimpletam 3).

Q. *Dissoluto contractu emptionis et venditionis uno ex his modis, cui debentur fructus interea percepti ?*

R. Si contractus dissolvitur per mutuum consensum,vel per pactum retrovenditionis, fructus spectant ad emptorem.Si vero dissolvitur uno ex aliis tribus modis, videndum : si contractus celebratus est verbis directis, fructus spectant ad venditorem ; si verbis obliquis spectant ad emptorem 4).

De evictione.

Q. *Quid est evictio in hoc contractu emptionis et venditionis ?*

R. Est actio emptoris contra venditorem, vel e contra, ad servandum se indemnem 5).

Q. *Adsunt casus, in quibus venditor non tenetur ad evictionem ?*

R. Maxime : 1. quando pactum est de non praestanda evictione ; 2. quando emptor sciens esse rem litigiosam, vel periculo obnoxiam emit se subjiciendo illius periculo ; 3. quando emptor non denuntiat venditori litem motam, ut eam defendat.

De negotiatione, et monopolio.

Q. *Quid et quotuplex est negotiatio ?*

R. Est emptio rei animo postea vendendi causa lucrandi. Si res empta immutata venditur, dicitur negotiatio propria ; si vero res empta aliquo modo vel forma mutata venditur, dicitur negotiatio impropria.

---

rei ; 3. ut pretium sit justum; 4. ut redimatur eodem pretio, quo res vendita fuit, dummodo non adsint meliorationes.

1) Hoc pactum habetur, quando quis ex. gr. vendit hoc modo : vendo tibi hanc rem cum pacto, quod si infra annum pretium non solvas, res erit inempta.

2) Pactum hoc habetur, quando exprimitur in contractu, quod res non habeatur, ut vendita, si intra aliquod determinatum tempus venditor majus invenerit pretium.

3) Alii, ex codice Ital., aliam addunt causam, qua dissolvi potest contractus emptionis et venditionis, nempe per vilitatem pretii, idest quando venditor non emptor alicujus rei immobilis laesus fuit ultra dimidium pretii. In hoc casu infra biennium venditor potest aut rescindere contractum, aut petere supplementum pretii; sed hoc pertinet ad restitutionem in integrum, de qua superius. Art. 1529.

4) Celebratur contractus verbis directis, quando dicitur ex. g. res sit inempta *nunc pro tunc*. Celebratur verbis obliquis, quando dicitur *tunc pro nunc*. In primo casu venditio est nulla a principio ; in secundo casu est valida, sed rescindibilis.

5) Evictio habet locum non solum in contractu emptionis et venditionis, sed in aliis contractibus onerosis, et etiam in aliquibus contractibus gratuitis, quando nempe habent pactum de evictione,vel quando donator mala fide se gessit, donando nempe rem furtivam, unde damna donatario ob venerunt.

Q. *Estne licita omnibus ?*

R. Negotiatio impropria omnibus est licita ; propria vero est illicita clericis, et monachis de jure canonico 1).

1) Hic nomine clericorum veniunt clerici in sacris constituti, et etiam in minoribus, si sint beneficiati, et monachi professi ; sumus enim in poenis ideo stricte accipiendi sunt. Prohibetur etiam istis aliena praedia conducere, ut fructus inde perceptos vendant ; emere jumenta, et ea aliis locare. Possunt tamen sua praedia vel jumenta locare. — Nota, quod negotiatio propria est istis sub gravi porhibita, sive per se, sive per alios, sive etiam alieno laici nomine eam exercent. En verba Novi Codicis can. 142. *Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem.* Impropria vero est ipsis tantum licita, quando proprio manuum labore rem mutent, non quando operarios ad rem mutandam conducunt, ex Const. Bened. XIV., *Apostolicae servitutis*, et Clem. XIII, *Cum primum* etc.

An clericis interdictum sit pecuniam sive gubernio sive societatibus jam constitutis tradere, ut receptis actionibus, quae in commercio versantur, fixum aliquod lucrum, aut etiam indeterminatum et incertum reperiant, quaestio est ; nonnulli affirmant in societatibus omnibus privatis sive industrialibus, sive commercialibus, sive operariis id esse prohibitum; alii e contrario permissum esse contendunt. Illi, qui negant licitum esse clerico recipere actiones in omnibus privatis societatibus, asserunt in hac re agi de vera et proprie dicta negotiatione per interpositam personam peracta, unde clerici, acceptis actionibus, socii fiunt, et indirecte cum aliis negotium exercere videntur , et in hujus sententiae confirmationem adducunt decisionem S. C. Episcoporum, 30 Jan. 1846, ubi dicitur non licere clericis in sacris, vel beneficia ecclesiastica retinentibus, actiones cujusdam societatis, vulgo *banca o società d' accomandita* acquirere. En decretum : *An liceat clericis promotis ad sacros Ordines, vel beneficia possidentibus, acquirere actiones societatis accomandatariae Civitatis Castelli, quae pecuniae commercium exercebat ? Resp. Non licere.* Adducunt insuper responsum S. Officii, 1. Apr. 1857 : *Utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere ?* Responsum fuit : *Sanctitas Sua concedit facultates Episcopis, communicandas per organum S. C. EE. et RR. permittendi ecclesiasticis, ut accipiant actiones* delle strade ferrate *de propria pecunia tantum :* atqui exceptio firmat regulam : ergo si concessum est ecclesiasticis, ut accipiant actiones *delle strade ferrate*, ipsis prohibetur pro aliis privatis societatibus. Alii e contrario auctores asserunt clericos non secus ac laicos actiones societatum quarumcumque emere licite posse, easque eodem jure vendere et permutare, cum sibi opportunum duxerint, quin nullum commercium reapse peragant, nec agere intendant. Nec officit, isti dicunt, responsum S. Officii, quia quaestionem juris saltem directe et generatim quoad omnes actiones non attingit, nec decisio S. C. Episcoporum, quia in ea non agitur de societate jam constituta, sed de societate vulgo *d' accomandita* constituenda, in cujus constitutione fundator ad fiduciam et nomen sibi conciliandum valde cupiebat, ut ecclesiastici viri inter socios ejusdem cooptarentur. Quaestio igitur est. Ex qua exposita quaestione colligitur omnes consentire pecuniam gubernio dari posse, ut acceptis actionibus, lucrum reportent, quia Auctores quaestionem pertractant tantum de privatis societatibus. Sed hoc intelligendum, dummodo schedulas non emant animo po-

Q. *Clerici negotiationem exercentes in quam poenam incidunt ?*

R. Ex novo codice can. 2380. Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur.

Q *Debentne restituere lucrum perceptum ?*

R. Minime : peccant enim contra praeceptum Ecclesiae, non contra justitiam.

Q. *Estne aliquando licita clericis negotiatio propria ?*

R. Maxime : 1. quando, secluso scandalo, raro et non in magna quantitate fiat 1): 2. quando urget gravis necessitas, puta ad familiam sustentandam, obtenta tamen dispensatione S. Sedis (vel Ordinarii extra Italiam).

Q. *Quid et quotuplex est monopolium ?*

R. Monopolium est, quando unus vel plures id efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant. Potest fieri quatuor modis: 1. quando unus vel plures emunt omnes merces, ut ipsi soli vendant, quo pretio voluerint; 2. quando conspirant de non emendo vel vendendo, nisi tali pretio; 3. quando impediunt, ne aliae merces advehantur, ut ipsi vendant merces suas majori pretio; 4. obtinendo privilegium a principe, ut soli vendant aliquam mercem. Primum et secundum sunt semper illicita; et si pretium est ultra supremum, certum est apud omnes, quod peccatur contra justitiam commutativam. Tertium, si fiat malis artibus, puta fraude vel minis, est illicitum, et contra justitiam commutativam; si fiat bonis artibus, puta precibus, est licitum, quando adest justa causa, quae si deest, peccatur tantum contra charitatem, dummodo tamen pretium nunquam sit ultra supremum. Quartum est licitum, si servetur justum pretium 2).

De societate.

Q. *Quid est contractus societatis ?*

R. Est quando duo vel plures aliquid contribuunt ad commune lucrum vel damnum 3).

---

stea vendendi causa lucrandi, sed intendant tantum percipiendi fructus, uti haberent ex quolibet alio fundo, si emerent. Sed hoc non vetat, quod possint eas vendere, si occasio praebeatur faciendi lucrum ; hoc enim non esset negotiatio; nam negotiatio est emptio rei animo postea vendendi causa lucrandi, si igitur defuit hic animus, dici nequit negotiatio. Eo vel magis quod raro id fieret, cum nempe occasio praebetur, quod negotiationem non constituit.

1) Quia jura loquuntur contra exercentes.

2) Utrum licite possint emptores aliud monopolium instituere de non emendo, nisi tali pretio ; vel artifices conspirare de non praestanda opera sua nisi tali pretio, quaestio. Nonnulli dicunt non licere, quia non licet facere malum pro malo. Alii censent licere, dummodo justum pretium servant, quia vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt ; et haec est probabilior sententia.

3) Potest fieri dupliciter, aut enim ambo contribuunt sortem et industriam ; aut unus sortem, et alter industriam ponit.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, societas sit licita ?*

R. 1. Ut sit de re licita ; 2. ut servetur aequalitas 1) : 3. ut pecunia vel industria si pereat, pereat apponenti.

Q. *Potest in societate apponi pactum de casu fortuito ?*

R. Minime : est usurarium, et vocatur *contractus leoninus* seu ad *caput salvum* 2).

Q. *Quinam tenetur ad damna, quae fortasse obveniunt uni ex sociis ?*

R. Si obveniunt ex societate, tanquam a causa proxima, tenetur societas; si obveniunt a societate, tanquam a causa remota, non tenetur societas 3).

Q. *Expensae faciendae in societate, vel munera accepta, cui cedunt ?*

R. Ad expensas ordinarias tenetur societas ; munera vero, si accepta sunt intuitu societatis, sunt dividenda : secus non.

Q. *Quomodo finitur societas ?*

R. 1. Elapso tempore statuto : 2. mutuo consensu; 3. peracto negotio; 4. morte alicujus socii, etiam civili, puta si damnatus fuit ad perpetuam poenam.

Q. *Quid est contractus trinus ?*

R. Est ille, in quo habetur simul contractus societatis, contractus assecurationis sortis, et contractus assecurationis lucri 4).

Q. *Estne licitus ?*

R. Cum diversis personis est licitus ; cum eadem persona, quaestio.

---

1) Hinc qui plus ponit pecuniae, vel operis, debet etiam plus accipere de lucro ; et qui plus accipit lucri, plus sentiat damnum.

2) Esset si quis daret sortem alteri cum pacto dividendi lucrum,et nulli subjiciendi damno, idest sorte seu *capite* semper salvo, etiamsi sors fortuito casu pereat. Hoc pactum est prorsus illicitum, quia non servaretur aequalitas, nam lucrum esset dividendum, sors vero si periret, apponenti industriam periret, non alteri, qui integram sortem semper vult. Ecquis non videt inaequalitatem ?

3) A causa proxima,uti esset, si socius pro defendendis societatis rebus a latronibus vulneraretur ; vel si socius pro negotiis societatis in longinquum pergens, a latronibus aggressus, furaretur. A causa remota, uti si negotiationem exercens, non assuetus, aegrotaret.

4) Initur trinus contractus sequenti modo : *Lucius* confert mille aureos in societatem cum *Titio*, ut in negotiatione impendantur: en primus contractus societatis, ex quo lucrum speratur, v. g. quindecim pro singulis centenis. Cum vero spes lucri non sit absque periculo sortis, *Lucius* quinque ex quindecim speratis cedit *Titio*, ut sortem sibi assecuret ; en secundus contractus, quo assecuratur sors — Praeterea ratus, melius esse modicum certum, quam majus incertum, iterum ex decem speratis quinque cedit eidem *Titio*, ut certe, quidquid eveniat, quinque certe sibi solvat; en tertius contractus, quo assecuratur lucrum.

De locatione, et conductione.

Q. *Quid est locatio, quid conductio ?*

R. Locatio est, quando quis dat rem vel operam suam alteri quod ad usum, statuto tempore et pretio. Conductio viceversa 1).

Q. *Quaenam sunt obligationes locatoris ?*

R. 1. Manifestare vitium rei, si adsit ; 2. servare conductorem in re locata usque ad statutum tempus ; 3. facere expensas ordinarias.

Q. *Quaenam sunt obligationes conductoris ?*

R. Solvere pensionem, et non abuti re locata 2).

De censu, et emphyteusi.

Q. *Quid est census ?*

R. Est contractus, quo constituitur jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius frugifera. Qui habet jus percipiendi pensionem dicitur *censualista ;* qui habet obligationem solvendi eam, dicitur *censuarius.*

Q. *Quotuplex est ?*

R. Reservativus, et consignativus. Si censuarius accepit a censualista dominium alicujus sui fundi, unde se obligavit ad pensionem ei solvendam, census dicitur reservativus. Si censuarius accepit a censualista aliquam pecuniae summam, et hinc se obligavit ad solvendam ei annuam pensionem, census dicitur consignativus 3). Insuper potest esse perpetuus, temporalis, et vitalitius.

Q. *Estne licitus ?*

R. Census reservativus est licitus ; dominus enim potest rem suam alienare, qua conditione voluerit. Census consignativus est etiam licitus, quando habentur istae conditiones requisitae in Bulla Nicolai V : 1. ut censualista habeat veram intentionem non mutuandi, sed emendi annuam pensionem ex alterius fundo ; 2. ut fundetur in re immobili et frugifera; 3. ut pensio non excedat decem pro quolibet centenario; 4. ut apponatur pactum de redimendo quandocumque placuerit censuario eodem pretio 4).

---

1) Possunt locari omnia, quae possunt vendi ; prohibetur tamen jure canonico : 1. locati bonorum Ecclesiae ultra triennium ; si vero fructificant alternis annis, ultra sexennium ; si ternis, ultra novennium ; 2. clericis conductio praedii causa lucrandi. Et in contractibus addantur semper conditiones de limitibus custodiendis, de bona cultione, de rite solvendo canone, de opportuna cautela pro conditionibus implendis. Can. 1541 Ita Novus Cod.

2) Si conductor patiatur aliquo anno sterilitatem notabilem, puta vel totius, vel saltem medietatis fructus, est aliquid ei remittendum ; excipe si assumpsit periculum. Cod. noviss.

3) Si in censu consignativo pensio solvenda sit tantum ex industria censuarii, census dicitur personalis ; si ex aliquo fundo, dicitur realis ; si ex fundo simul et industria personae, dicitur mixtus.

4) Census consignativus, utpote directus in suis conditionibus a Pontificum Bullis, vocatur etiam *census bullaris*, quia in eo censualista emit annuam

Q. *Quid est emphyteusis ?*

R. Est contractus, quo quis dat alteri dominium utile alicujus fundi ad meliorandum, retinendo sibi dominium directum, et cum onere solvendi sibi annuam pensionem 1).

Q. *Qui non solvit hanc annuam pensionem, in quam poenam incidit ?*

R. Si per triennium (ex cod. civ. biennium) non solvit, contractus dissolvitur retenta melioratione 2).

Q. *Potest emphyteuta vendere suum dominium utile ?*

R. Maxime: monito tamen ante duos menses domino directo, qui si velit emere dominium utile, est aliis praeferendus. Emptor autem dominii utilis debet solvere domino directo *laudemium*,si ita est statutum in contractu. Laudemium excedere non potest quinquagesimam partem pretii.

De cambio.

Q. *Quid est cambium ?*

R. Est permutatio pecuniae pro alia pecunia. Potest esse *siccum* et *reale*. Cambium siccum est mutuum palliatum sub nomine cambii; cambium autem reale est, quando revera adest legitima permuta tio pecuniae. Cambium reale subdividitur in manuale, et locale. Manuale est permutatio pecuniae alicujus speciei pro pecunia alterius speciei, puta argentea pro aurea ; locale est permutatio pecuniae unius loci pro alterius loci pecunia,et hoc fit per literas vulgo *cambiali*.

Q. *Estne licitum ?*

R. Reale est licitum, clericis tamen prohibitum 3). Siccum vero, quum sit verum mutuum, si non adsunt tituli, est illicitum.

Q. *Quinam sunt tituli lucrum percipiendi in cambio ?*

R. Pro cambio manuali: 1. conductio officinae; 2. officium cambiendi; 3. lucrum cessans; 4. labor in conquirenda et custodienda pecunia. Pro locali: 1. translatio, et assecuratio pecuniae ; 2. multa pericula, quae semper adsunt in hoc cambio etc.

---

pensionem pecuniariam, vel fructuariam a fundo censuarii ; vocatur etiam *emptio et venditio annui redditus*, quia in eo apponitur pactum redimendi quandocumque, vulgo dicitur etiam *Capitale a quandocumque*.

1) Emphyteusis potest dici quaedam species census reservativi. Praecipua differentia inter hunc et illam est, quod in emphyteusi fundus datur ed meliorandum. Hinc in emphyteusi tria habentur: dominus directus, emphyteuta, et canon ;primus est ille, qui tradit fundum; secundus, qui recipit; canon est pensio solvenda domino directo.

2) Si res tota perit, emphyteuta non tenetur solvere pensionem; si vero in parte, tenetur, dummodo pars, quae remanet, dederit sufficientem redditum ad pensionem solvendam. Secus potest emphyteuta domino directo restituere fundum.

3) In encycl. Clem. XIII. an. 1759, dicitur cambium reale sua natura

De fideiussione.

Q. *Quid est fidejussio ?*

R. Est contractus, quo quis suscipit in se alienam obligationem, si debitor principalis non solverit 1).

Q. *Quinam possunt fidejubere ?*

R. Omnes, qui habent liberam bonorum administrationem.

Q. *Fidejussor tenetur in conscientia solvere ?*

R. Maxime : sed habet beneficium ordinis, nempe ut prius excutiatur debitor principalis.

De assecuratione.

Q. *Quid est assecuratio ?*

R. Est contractus, quo quis suscipit in se periculum rei alienae, se obligando ad illius compensationem, si res perierit.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ?*

R. 1. Ut res revera sit periculo exposita ; 2. ut pretium sit justum, habita ratone periculi.

De ludo.

Q. *Quid est ludus ?*

R. Est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit 2).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ?*

R. Conditiones, quae requiruntur, ut ludus sit validus, sunt : 1. ut non adsint fraudes ; 2. ut ludens sit dominus pecuniae, quam ludo exponit 3) ; 3. ut aequalis sit colludentium conditio. Ut ludus sit licitus, requiritur: 1. ut non ludatur unice pro lucro ; 2. ut non consumetur multum temporis ; 3. ut non exponatur ludo multa pecunia ; 4. ut non sit causa peccati, vel scandali 4).

---

esse actum verae ac propriae negotiationis, proindeque Clericos (maxime Religiosos) illud exercentes obnoxios esse omnibus poenis contra Clericos negotiatores latis. Can. 2380.

1) Hinc potest fidejussor aliquid exigere pro fidejussione ob periculum, cui se exponit. Fidejussio est obligatio realis, et per consequens transit ad haeredes.

2) Tres sunt ludorum species ; nempe vel solius industriae, vel solius sortis, vel industriae et sortis simul.

3) Hinc si quis ludit pecunia aliena, et perdit, collusor non potest facere suum lucrum. Si vero vincit, videndum, si collusor nesciebat pecuniam esse alienam, non potest facere suum, quod vincit ; si vero collusor sciebat, potest facere suum, quia collusor videtur cessisse juri suo.

4) Ludi alearum, seu purae sortis, ex Trid. prohibentur clericis, qui si frequenter, et in notabili quantitate ludunt, peccant graviter, sed non tenentur ad restitutionem lucri, quia peccatum non est contra justitiam. Si

De sponsione.

Q. *Quid est sponsio ?*

R. Est contractus, quo duo de veritate vel eventu alicujus rei contendentes sibi vicissim aliquid promittunt, ut sit ejus, qui veritatem fuerit assecutus.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ?*

R. 1. Incertitudo ex utraque parte; 2. aequalitas rei sponsae; 3. ut verba eodem sensu intelligantur ab utroque spondentium; 4. ut sit de re licita 1).

De deposito.

Q. *Quid est depositum ?*

R. Est contractus, quo quis dat alteri rem suam custodiendam.

Q. *De qua culpa tenetur depositarius ?*

R. Regulariter loquendo tenetur de culpa lata.Si vero accipit stipendium, tenetur etiam de culpa levi. Si autem sponte se obtulit ad rem custodiendam, tenetur etiam de culpa levissima, quia videtur ad hanc se velle obligare sponte se exhibendo. Si tandem est nauta, caupo, vel stabularius, etiam tenetur de culpa levissima, ex jure positivo ob paesumptionem malae fidei.

Q. *Potestne depositarius uti re deposita ?*

R. Minime : nisi de expressa, vel tacita licentia domini 2).

---

vero raro, moderate, et privatim sine scandalo, leviter peccant ; imo probabiliter etiam a veniali excusantur, si ita ludant recreationis causa, ubi talis prohibitio non rigide observatur. Lig. III. 899.

1) Sponsio de vita, vel morte, vel futura electione Summi Pontificis, vel de promotione Cardinalium prohibita est sub poena nullitatis, ex Bulla *Cogit nos*, Gregorii XIV.

2)Tacita licentia habetur, si e. g. quis dat alteri depositum pecuniae numeratae, sed non clausae et obsignatae.

Depositarius tenetur indemnem servare deponentem, si res sua culpa perit, aut deterior fit, vel etiam si fuerit in mora culpabili, et res casu fortuito perit ; at si nulla adfuit mora aut pactum, ad casum fortuitum non tenetur.

At quid dicendum, si depositum casu perit, et non potuit depositarius (idem est de commodatario) simul cum rebus suis servare depositum ? Sic pro regula generali distinguendum est cum Viva. Quando res perit in incendio naufragio etc., si contractus fuit in favorem dantis, et res est minoris, vel aequalis valoris, quam res tua, tunc poteris rem tuam praeferre, et salvare. At si res alterius sit longe pretiosior, haec est praeferenda et salvanda, sed potes petere compensationem pro re tua deperdita. Si vero contractus fuit in commodum tui, tunc teneris rem domini praeferre, nec potes petere compensationem. Less. n. 27, et Viva art. 2 n.2 q. IX. Ita apud S. Alph. III, 752

Depositarius tenetur depositum restituere cum fructibus perceptis (nisi sint fructus industriae) statim ac a deponente petitur, et etiamsi iste non sit dominus rei.

De commodato.

Q. *Quid est commodatum?*

R. Est contractus, quo quis dat alteri rem suam gratis, quoad solum usum cum onere restituendi eam praefinito tempore 1).

Q *De qua culpa tenetur commodatarius?*

R. De omni culpa, quia contractus est prorsus in gratiam sui 2).

Q. *Quaenam sunt obligationes commodatarii?*

R. 1. Non excedere fines usus 3); 2. restituere rem tempore statuto, vel post usum, ad quem res fuit concessa; 3. non repetere expensas ordinarias factas pro usu rei.

Q. *Quaenam sunt obligationes commodantis?*

R. 1. Facere expensas extraordinarias; 2. monere de vitio rei; 3. non repetere rem ante tempus, excepto casu urgentis, et non praevisae necessitatis.

De promissione.

Q. *Quid est promissio?*

R. Est deliberata datio fidei de aliqua re honesta, et possibili. Potest esse onerosa, vel gratuita, prout imponitur, vel non imponitur aliquod onus promissario.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur?*

R. Praecipuae sunt: 1. ut adsit animus se obligandi; 2. ut sit externata, et acceptata 4).

Q. *Mortuo promissario ante acceptationem, possunt ejus haeredes promissionem acceptare?*

---

1) Haec est differentia inter *commodatum*, et *precarium*; in commodato definitur tempus, et usus, minime vero in precario, quod dabatur ad nutum tradentis, et ideo obligabat tantum de culpa lata. In jure novis. non adhuc viget *precarium*.

2) Quandoque potest teneri etiam de casu fortuito, quando nempe: 1. ad id expresse se obligavit in contractu; 2. si excedit fines usus sibi concessi, et ideo res fortuito perit; 3. si fuit in mora culpabili; 4. si poterat servare rem commodatam, exponendo rem suam.

3) Non potest dici, quod excedat fines usus, si dum nulla extet prohibitio commodantis, rem sibi commodatam alteri ad eundem usum commodet, jus suum cedendo.

4) Hinc si quis ficte promittit, illicite promittit, et aliquando etiam invalide. Si enim promittit sine animo promittendi, nulla est promissio; si sine animo se obligandi, quaestio utrum nulla vel valida sit promissio, semper tamen illicita; si sine animo exequendi, est illicita, sed valida, quia animus exequendi est accessorius.

Obligatio non contrahitur sine consensu alterius partis. Hinc promissio ante acceptationem, etiamsi jurata, non obligat, et potest revocari; utrum vero facta Ecclesiae vel ad pias causas, nondum acceptata, possit revocari, quaestio. Excipe, si principaliter facta sit Deo. ex. gr. promitto Deo dare calicem tali ecclesiae, quia tunc induit rationem voti.

R. Minime : facultas acceptandi est personalis 1).

Q. *Mortuo promittente ante acceptationem, possunt ejus haeredes revocare promissionem ?*

R. Quaestio 2).

Q. *Quomodo obligat promissio ?*

R. Si promittens intendit se obligare ex fidelitate, obligat sub levi. Si ntendit se obligare ex justitia, videndum ; si materia est gravis, obligat sub gravi ; si levis, sub levi 3).

Q. *Quomodo cessat obligatio promissionis ?*

R. 1. Condonatione promissarii ; 2. ingratitudine promissarii ; 3. compensatione; 4. mutatione materiae, puta si res evadat illicita, vel impossibilis.

De Donatione.

Q. *Quid est donatio ?*

R. Est collatio rei licitae, nullo jure cogente, facta. Potest esse *gratuita* vel *remuneratoria ;* insuper *inter vivos*, si donans actualiter et irrevocabiliter transfert donatario dominium rei; vel *per testamentum*, quando post mortem suam vult dominium transferre, et haec est revocabilis 4).

Q. *Quinam possunt donare ?*

R. Omnes, qui habent dominium,et administrationem rerum suarum 5).

Q. *Quantum potest quis donare ?*

R. Donatione inter vivos, distinguo : si habet haeredes necessarios, nempe descendentes vel ascendentes, potest tantum donare suam partem disponibilem 6) ; si non habet haeredes necessarios, potest donare omnia bona praesentia 7). Donatione vero per testamentum potest donare etiam futura salvis semper juribus descendentium vel ascendentium.

---

1) Haeres succedit in juribus realibus defuncti, non autem personalibus, ut est jus acceptandi promissionem.

2) Nonnulli negant, quia revocare promissionem est jus personale, et jus personale expirat cum persona, ideoque, mortuo promittente, haeredes non possunt eam revocare. Alii affirmant, quia post mortem promittentis nequit voluntas ejus uniri cum promissarii consensu, quod ad acceptationem requiritur, ideoque si promissarius non potest eam acceptare, haeredes possunt eam revocare.

3) Si quis vero dubitat, an se obligaverit ex fidelitate, an ex justitia, censendum est se obligari ex fidelitate, quia possessio stat pro libertate.

4) Tunc per donationem acquiritur jus ad res donatas, cum acceptatur a donatario.

5) Hinc possunt donare omnes, qui non sunt a jure impediti ; et similiter possunt illi acceptare, qui a jure non sunt declarati incapaces.

6) Si donat ultra partem disponibilem, donatio est nulla quod ad excessum. Haeredes vero necessarii non possunt renuntiare parti, quae a lege illis assignatur.

7) La donazione non può comprendere che i beni presenti del donante, se comprende beni futuri, è nulla riguardo a questi. C. It. art. 1064.

Q. *Donatio inter vivos legitime facta et acceptata potestne aliquando revocari ?*

R. In tribus casibus : 1. per conditionem non adimpletam ; 2. ob prolem postea susceptam ; 3. ob ingratitudinem donatarii 1).

Q. *Statimne revocatur donatio in hisce tribus casibus ?*

R. Per conditionem non adimpletam, vel per prolem postea susceptam ipso jure revocatur ; 2) per ingratitudinem vero datur actio donatori petendi infra annum revocationem donationis 3).

Q. *Donationes inter conjuges factae suntne validae ?*

R. Maxime : sed revocabiles. At ex cod. civ. durante matrimonio sunt nullae, nisi actu ultimae voluntatis.

Q. *Quaenam solemnitates requiruntur in donatione ?*

R. Si donatio fit inter vivos, requiruntur illae solemnitates, quae requiruntur pro quolibet instrumento. Si fit per testamentum, illae solemnitates quae requiruntur in testamentis.

De mutuo et usura.

Q. Quid est mutuum ?

R. Est contractus, quo quis dat alteri rem suam usu consumptibilem quod ad plenum dominium, cum onere postmodum restituendi similem in specie, qualitate, et quantitate.

Q. *Quotuplex est ?*

R. Expressum, quando aperte fiat ; et tacitum, quando includitur in alio contractu, puta quando venditur aliquid pecunia credita.

Q. *Ad quid tenetur mutuator ?*

R. 1. Tenetur dare mutuum gratis ; 2. monere de vitio rei ; 3. et non repetere ante tempus 4).

Q. *Ad quid tenetur mutuatarius ?*

R. Tenetur restituere tempore debito, et in eadem specie, qualitate, et quantitate 5).

---

1) Habetur ingratitudo donatarii ; 1. si attentat mortem donantis ; 2. si ei denegat alimenta ; 3. si saevitias, vel alia delicta contra eum committit.

2) Si filius naturalis post donationem sit natus,et per subsequens matrimonium legitimatus, dat etiam jus revocandi donationem.

3) Ex cod. novis. It. in omnibus tribus casibus datur tantum actio petendi revocationem donationis.

4) Datur praeceptum concedendi mutuum iis, qui in necessitate versantur, et habituri sunt, unde restituant, quia si stante proximo in vera necessitate nos tenemur ad eleemosynam, a fortiori tenemur ad mutuum. Huc faciunt verba Domini, Matth. V, 42 : *Volenti mutuare a te, ne avertaris.* Attamen adverte praefatum praeceptum procedere ex charitate ; cum autem charitas non obliget cum gravi incommodo, sequitur praeceptum praestandi mutuum raro urgere ob gravissimas molestias recuperandi quod fuit mutuo concessum.

5) Si mutuum acceptum est in pecunia, restituendum est in eadem spe-

Q. *Quid est usura ?*

R. Est lucrum proveniens ex mutuo immediate, seu vi mutui 1).

Q. *Quotuplex est ?*

R. *Mentalis*, nempe quando nullo praevio pacto aliquid accipitur mente usuraria. *Realis*, nempe quando aliquid accipitur praevio pacto expresso vel tacito. Et *palliata*, nempe quando lucrum in mutuo accipitur, sed sub veste alterius contractus, uti si quis venderet aliquam rem ultra pretium supremum, unice ob dilatam solutionem.

Q. *Quo jure est prohibita ?*

R. Jure naturali, et jure positivo divino, et humano 2).

Q. *Estne licitum mutuare cum pacto, ut mutuatarius tibi etiam postea remutuet* 3) ; *vel cum pacto remittendi inimico injuriam in foro externo; vel cum pacto solvendi alteri debitum litigiosum ; vel cum pacto frequentandi tuam officinam ?*

R. Minime : imponere onus, ad quod non tenetur mutuatarius, est semper usurarium.

Q. *Estne licitum exigere aliquid in mutuo, tamquam debitum ex gratitudine ; vel obligationem non repetendi mutuum ante tempus praefixum ;*

---

cie morali. Hinc si centum accepisti in aliqua specie monetae, et postea augetur valor monetae ejusdem speciei, sufficit, ut reddas valorem centum, licet in monetis paucioribus. Excipe, si aliter juste conventum sit, puta si mutuator eas monetas conservaturus erat usque ad tempus incrementi.

Hic adverte, quod ex jure civili non habent obligationem restituendi mutuum minores, filiifamilias, aliique incapaces ad contrahendum ; excipe tantum aliquem casum, puta si creditor ostendat mutuum in filiifamilias utilitatem cessisse. Idem etiam cautum erat jure rom. ex Senatusconsulto Macedoniano. At in conscientia tenentur, juxta aliquos.

1) Nota, quod usura esse potest *lucratoria, compensatoria,* et *punitoria :* prima est, quando aliquid ultra sortem exigitur praecise ratione lucri faciendi ex mutuo : altera est, quando aliquid exigitur ratione compensationis, puta lucri cessantis. damni emergentis et periculi sortis : tertia est, quando aliquid exigitur ratione justae poenae ob moram culpabilem debitoris. Prima de qua loquimur, est prohibita, non alterae. — Insuper nota, quod si quis aliquid accipiat ex mera liberalitate mutuatarii, non est usura ; deficit enim pactum.

2) In mutuo transfertur dominium rei in mutuatarium: injustum est ideo lucrum exigere ex re aliena. Idcirco habetur Luc. XI, 35 ; *Mutuum date nihil inde sperantes.* Etsi in veteri lege Deuteronomii XXIII 19, permittebatur usuras exigere ab alienis,hoc erat in compensationem, quod Hebraei licite facere poterant contra populos finitimos, sibi inimicos ; eo vel magis quia id eis permittebatur a Deo, qui omnium rerum habet altum dominium.

3) Adverte, quod si mutues cum pacto, ut mutuatarius tibi eodem tempore aliquid aliud remutuet, non est illicitum ; esset enim permutationis quaedam species. Esset autem illicitum, si apponeres pactum, ut remutuet tibi postea, seu alio quovis tempore, quando tu fortasse indigebis, quia in hoc casu imponeres onus mutuatario.

vel quia pecunia praesens pretiosior est pecunia futura ; vel ob lucrum, quod ex pecunia mutuata faciet mutuatarius ?

R. Minime : omnes istae propositiones sunt ab Ecclesia damnatae.

Q. *Adsunt tituli, ob quos sit licitum in mutuo exigere ultra sortem sine labe usurae ?*

R. Maxime : et sunt lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis et lex civilis 1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut possit aliquid accipi ratione lucri cessantis ?*

R. Istae : 1. ut lucrum revera vel probabiliter cesset ratione mutui; 2. ut tantum accipiatur, quanta sit spes lucri ; 3. ut lucrum non accipiatur tempore, quo mutuum datur ; 4. ut moneatur mutuatarius de lucro cessante 2).

1) Quoniam multi proprium aerem absconditum habuissent cum gravi damno societatis, si aliis tradendo nullum lucrum percepissent, ita Summi Imperantes in eorum Statutis ad fovendum commercium, et industriam excitandam statuunt lucrum in mutuo, idest quatuor in materia civili, et quinque in materia commercii pro quolibet centenario, ex lege civili die 22 Junii 1905. Haec lex civilis est titulus aliquid percipiendi in mutuo. Enimvero Cong[i] S. Officii quaesitum fuit : 1. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque ullo titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis. 2. Utrum debeat. Resp. ad utrumque: *Non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere ; adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.* Die 18 Aug. 1830.

At nunquam vero hoc intelligendum est de interesse conventionali, quod excedit taxam legalem sine justo titulo, hoc enim fuit a S. Sede prohibitum. Die 18 Aug. 1858.

2) Requiritur, ut mutuatarius saltem tacite et implicite moneatur de lucro cessante, ut libere consentiat ad lucrum solvendum, nec postea credat competere sibi jus compensationis.

Hic adverte, quod si quis bona fide iniit contractum mutui cum aliquo lucro moderato, dum poterat alium licitum contractum celebrare, et sic eodem modo lucrari, potest secundum aliquos retinere lucrum acceptum, quia revera ratione mutui cessat ei lucrum, quod ex alio contractu licite percipere potuisset. Adverte etiam, quod si quis mense Augusti vendat frumentum pecunia credita, sed eo majori pretio, quod valebit mense Januarii, non est usura, si conservaturus esset illud usque ad tempus incrementi ; adest enim titulus lucri cessantis. Usura vero esset, si conservaturus non erat usque ad illud tempus.

Il Vescovo di Marsico e Potenza, sollecitato da confessori e da fedeli suoi diocesani, umilmente sottopone all' autorevole giudizio di V. E. R.ma il caso pur troppo frequente di usura del dieci e dell' otto per cento, che riscuotesi anche dai buoni cristiani, in vista del lucro quasi eguale che sempre con maggiore puntualità si trarrebbe dagli stessi capitali, se fossero sulle nuove Banche impiegati. Aggiungasi che il citato per cento si vuol percepire il più delle volte anche netto di ricchezza mobile, stante il timore di una gravosa multa, cui an-

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut possit aliquid accipi ratione damni emergentis ?*

R. Istae : 1. ut damnum revera vel probabiliter eveniat ; 2. ut eveniat ratione mutui ; 3. ut tantum exigatur, quantum est damnum : 4. ut de hoc moneatur mutuatarius.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut possit aliquid accipi ratione periculi sortis ?*

R. Istae : 1. ut periculum sit extrinsecum, proximum, et probabile ; 2. ut exigatur quantum daretur alteri pro assecuratione : 3. ut mutuatarius possit, si velit, alio modo assecurare sortem mutuanti 1).

Q. *Potest in mutuo apponi poena conventionalis, puta ut mutuatarius aliquid ultra sortem solvat, si mutuum non restituat tempore statuto ?*

R. Maxime : dummodo haec poena sit justa, et moderata ; non sit apposita ad palliandam usuram ; et mutuatarius sit in mora culpabili.

Q. *In quam poenam incidunt usurarii ?*

R. Ex novo codice can 2354 § 1º Laicus qui fuerit legitime dammatus ob delictum.... usurae ipso facto exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis, et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna, § 2º Clericus vero a tribunali ecclesiastico puniatur pro reatus gravitate, Insuper utpote peccatores publici et manifesti privantur sepultura ecclesiastica 2): et non possunt condere testamentum ex jure canonico.

Q. *Licetne judici compellere mutuatarium ad solvendas usuras, vel non impedire, dum potest, earum solutionem ?*

R. Minime : quia cooperatur peccato proximi 3).

---

dar dovrebbe soggetto il creditore, nella facile ipotesi di necessria pubblicazione del titolo creditorio per rimborsare le mutuate somme. Ed è per assicurare la pace di coscienza che il sottoscritto implora l' oracolo di cotesto Sacro Tribunale.

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, ad praemissa respondet : *Cum fructus pecuniae taxare per modum regulae pericolosum sit, Venerabilis in Chto Pater Episcopus orator in singulis casibus rem decernat juxta praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus.* Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 18 Aprilis 1889.

1) Nec officit quod Gregorius IX, in cap. *Naviganti de usuris, ait : Naviganti, vel eunti ad nundinas mutuans pecuniae quantitatem, eo quod in se suscipit periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius censendus est:* ex toto enim contextu eruitur, quod amanuensium incuria deest particula *non* ; unde legendum est : *usurarius non censendus est.*

2) Nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa. Ita N. Cod. can. 1240.

3) Adverte, quod notarius condens instrumentum usurarium, si condit ad instantiam mutuantis, peccat contra charitatem, contra justitiam, et contra religionem ratione juramenti, si fiat, de non condendo talia instrumenta, et in defectu mutuantis tenetur ad restitutionem. Si condit ad instantiam mutuatarii, videndum:: si mutuatarius habet justam causam petendi mutuum, non peccat ; si non habet justam causam, peccat contra charitatem, et contra religionem,

De pignore, et hypotheca.

Q. *Quid est pignus, quid hypotheca?*

R. Pignus est contractus, quo quis dat suo creditori rem mobilem ob securitatem debiti. Si res est immobilis, vocatur hypotheca?

Q. *Estne licitum apponere in pignore pactum legis commissoriae, nempe ut pignus cedat creditori, si debitor non solvat?*

R. Minime: pignus enim valet pluris, quam est debitum. Si vero apponatur pactum restituendi excessum debitori, est licitum.

Q. *Potestne creditor uti fructibus pignoris?*

R. Minime: iste contractus vocaretur *antichrisis*, et esset usurarius; fructus enim spectant ad debitorem, qui est dominus.

Q. *Adsunt casus, in quibus potest?*

R. Maxime: 1. quando pignus datum fuit pro dote promissa; 2. vel quando habetur justus titulus exigendi aliquid ultra sortem in mutuo.

De testamentis.

Q. *Quid est testamentum?*

R. Est voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

Q. *Quotuplex esse potest?*

R. Triplex: holographum, in forma mystica, et per actum publicum 1).

et non tenetur ad restitutionem. — Qui adjuvat usurarium tantum in numerandis pecuniis, scribendis rationibus, aut in deferendo pignore, potest excusari a peccato sola ratione famulatus. Secus vero si exigat usuras, quia exactio est cooperatio proximior ad peccatum usurarii, etiamsi amicabiliter exigat. Quod si exigeret per vim aut minas, non solum peccaret, sed insuper teneretur ad restitutionem. Lig.

1) Holographum dicitur illud, quod a testatore propria manu scribitur, et subscribitur cum appositione diei, mensis, et anni, in quo fuit exaratum.

In forma mystica dicitur illud, quod fit scriptura vel propria manu, vel aliena manu, et traditur notario coram quatuor testibus. Hoc autem testamentum si propria manu scribitur, in fine tantum subscribi debet, si vero aliena manu scribitur, unicuique paginae subsignandum erit. Tandem si testator scribere nescit, coram Notario id declarabit. Notarius accipiendo testamentum interrogat, utrum legerit, an non, si propria manu an aliena scriptum fuerit, et haec omnia super testamentum adnotabit. Qui nescit legere, testamentum in forma mystica conficere non potest.

Publicum est illud, quo testator coram notario et quatuor testibus, vel duobus notariis et duobus testibus declarat, quod fieri vult post mortem suam. Testamento confecto debet audire et subscribere, vel si nescit scribere, debet omissionem subscriptionis declarare, et Notarius hujus rei mentionem faciet; quod si est surdus praeter praedictas solemnitates debet coram testibus legere testamentum, et subscribere, quod si legere nescit, alius testis adhibendus est, et Notarius hoc significet. Ex cod. novissimo.

Istae sunt solemnitates substantiales, quae requiruntur respective in testamento, ut sit validum.

Q. *Quinam possunt testari?*

R. Omnes, qui a jure non prohibentur 1).

Q. *Quinam possunt esse haeredes?*

R. Alii sunt haeredes necessarii, nempe descendentes, et his deficientibus, ascendentes: isti sine justa causa exhaeredationis 2) in testamento praeteriri non possunt quoad legitimam. Alii sunt haeredes voluntarii, quibus testator, si vult, totam vel partem haereditatis relinquere potest, dummodo a jure non sint impediti 3).

---

1) Prohibentur a jure *naturali*, qui ex vitio animi vel corporis suam voluntatem declarare nequeunt: a *jure canonico* Clerici de bonis ecclesiasticis superfluis, ut infra declaratur, Religiosi professi, et usurarii publici; a jure *civili* minores aetate XXIII. art. 763 annorum, interdicti ob mentis imbecillitatem, damnati ad poenam juribus civilibus privantem.

Clericorum bona quatruplicis sunt generis: 1.° Patrimonialia, quae ipsis proveniunt ex paterna haereditate, aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione etc.; 2.° Quasi patrimonialia, quae acquiruntur per modum stipendii ex functionibus et officiis ecclesiasticis, uti ex concionibus, sacramentorum administratione, Missis, funeribus etc.; 3.° Ecclesiastica, quae ex redditibus beneficii percipiuntur; 4.° Parsimonialia, quae Clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quae honeste vivendo consumere posset. Hoc posito Clericus de bonis patrimonialibus testari potest, quia eorum plenum habet dominium; de quasi patrimonialibus idem est dicendum, quia bona haec non sunt fructus beneficii, sed quoddam veluti stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur Clericus; de bonis mere ecclesiasticis, quae propriae sustentationi supersunt, ex jure canonico testari non potest; nam beneficiarii tenentur sub mortali redditus superfluos suae sustentationi in usus pios, aut in pauperes elargiri. An vero ad id teneantur virtute justitiae aut charitatis, quaestio est; unde certum est clericos de istis illicite testari, utrum valide disputatur. Denique de parsimonialibus valide et licite testatur, quia Clericus jus strictum habet ad honestam sustentationem; ergo quidquid ex ea tollit parcius vivendo, ad ipsum pertinet, et in libera ejusdem potestate manet. S. Alph. III. 490-92.

2) Causae, ob quas filius exhaeredari potest, sunt: 1. si filius patri alimenta negaverit; 2. si patrem furiosum neglexerit; 3. si captivum neglexerit; 4. si filia, patre contradicente, meretricium exercuerit; 5. si parentes gravi culpa offenderit. Potest pater a filio exhaeredari non solum ob tres priores supradictas causas, sed etiam si vitae filii insidias struxerit; vel si pater matri venenum praebuerit, vel vicissim, seu alias graves injurias fecerit. At ex cod. civ. exhaeredatio non amplius locum obtinet; tamen indigni sunt ad succedendum, qui injuriose se habuerint erga testatorem, uti ex art. 725.

3) Sunt impediti a jure civ. novissimo notarii, aliive officiales testamentum recipientes, testes, tutores, filii illegitimi etc. art. 767, et seq. At si pater instituit haeredem amicum cum pacto, ut bona reddat spurio, et haeres acceptat, teneturne iste in conscientia ea tradere spurio? Tres adsunt sententiae probabiles. Prima dicit talem haeredem posse ea retinere, et pro suo arbitrio potest dare spurio ex sua gratuita donatione; et contra potest negare, si velit, quia ex una parte promissio illa contra leges eum non obligat, et viceversa vere est haeres, et dominium acquirit haereditatis. Secunda sententia, mihi probabilior,

Q. *Quid est legitima ?*

R. Est certa portio haereditatis, quae ex jure quibusdam personis, quae ex officio pietatis excludi non possunt, relinqui debet. Haec, ex cod. vigenti, est pro descendentibus medietas haereditatis ; pro ascendentibus vero est tertia pars haereditatis ; art. 805, 807 1).

Q. *Quomodo revocatur testamentum ?*

R. Multis modis ; praecipue per aliud testamentum quod expresse prius revocat ; per alienationem rei legatae ; per ingratitudinem haeredis, vel legatarii.

Q. *An testamentum, cui desunt solemnitates sub poena nullitatis a lege civili praescriptae, obliget in conscientia ?*

R. Quaestio : sed ex D. Lig. sententia probabilior, et in praxi omnino tenenda, docet praeferendum esse possessorem, quia in dubiis melior est conditio possidentis ; secus vero est dicendum, si adfuerit judicis sententia, cui pro bono communi est parendum.

Q. *Testamentum quoad legata pia* 2) *obligat in conscientia, si desunt solemnitates ?*

---

ait S. Alph. ; dicit haeredem teneri bona restituere haeredi ab intestato, quia ex una parte non tenetur illa tradere spurio, cum non teneatur gravamen illud observare, utpote appositum contra legem ; ex altera non potest haereditatem retinere contra voluntatem testatoris, qui nunquam intentionem habuit, ut apud eum bona remancant, Tertia sententia tenet haeredem bene acquirere haereditatem, sed ex justitia pacti initi teneri eam tradere spurio. S. Alph. III. 952.

1) Filii naturales a patre legaliter recogniti habent jus ad mediam partem illius quotae, quam integram habuissent, si legitimi essent.

Si vero deficiunt descendentes et ascendentes habent jus ad duas tertias partes quotae, quae ipsis contigisset, si essent legitimi, C. It. art. 816. v. g. Titius habet unum filium naturalem, rite agnitum, et possidet sexaginta millia libellarum : si filius fuisset legitimus, sua legitima esset triginta millia libellarum, at quoniam est naturalis, erit viginti millia libellarum.

Conjux superstes, si adsunt descendentes legitimi, habet jus ad usufructum illius partis, quam habent filii. Si vero succedit cum ascendentibus, ad eum spectat quarta pars haereditatis. Si desunt descendentes et ascendentes, habet jus ad tertiam partem haereditatis, ex cod. vig. art. 753, 754.

Adverte, quod ex charitate, et pietate tenemur sub gravi fratribus et sororibus in necessitate gravi constitutis aliquid relinquere ad indigentiam sublevandam, ex probabiliori sententia. Si vero parentes sunt remotiores, probabilius tenemur sub levi.

Si quis moritur nullo confecto testamento, ad ejus bona, si forte relinquat, succedunt ab intestato prout jus civile disponit, primo haeredes necessarii, nempe descendentes vel ascendentes, et in eorum defectu alii consanguinei, primo qui sunt propinquiores, postea remotiores, uti in cod.

2) Legatum est donatio quaedam alicui directe a defuncto relicta, et ab haerede praestanda. Potest esse pium, aut profanum ; absolutum, aut conditionatum ; universale v. g. lego omnia mobilia, aut particulare v. g. lego talem summam. — Legata pia sunt illa, quae intuitu Religionis et impulsu pietatis facta aestimantur, uti sunt legata relicta Ecclesiae, locis piis, vel pauperibus, pro

R. Maxime : si nullum dubium occurrit de voluntate testatoris 1); secus non ; nam dispositiones civiles causis piis non debent praejudicium afferre.

Monitum.

Circa multa alia de jure civili scienda de testamentis et successionibus, prudens confessarius semper consulere debet Doctores, qui juris peritiam et exercitium habent ; ne fortasse male consulens, vel temere decernens in materia praecise non sua, obnoxius inveniatur oneri restitutionis.

Idem dic de aliquibus aliis contractibus, quorum valor a juris civilis dispositionibus pro tempore vigentibus maximopere pendet.

---

puellis nupturis, vel Religionem ingressuris ; item eleemosynae pro anniversariis, pro cereis,luminaribus et ceteris ad cultum divinum, et multo magis stipendia missarum (unde huc revocantur etiam capellaniae laicales et similia). Cetera vero legata habentur uti profana, prout sunt ea, quae testator relinquit alicui communitati seculari simpliciter, vel alicui particulari ob affinitatem, amicitiam etc.

Nulli dubium quod Papa potest cum causa pias dispositiones commutare. Sed an possit sine causa, quaestio est. Sed verior et communior sententia id omnino negat. An Episcopi cum justa causa possint commutare pias dispositiones, quaestio est. Nonnulli id affirmant ; alii probabilius negant, quia ex novo codice can. 1515 imponitur Episcopis exequi exacte ultimas voluntates ex textus : 1.° *Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa, quam inter vivos executores sunt.* 2.° *Hoc ex jure Ordinarii vigilare possunt,ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii executores delegati debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.* 3.° *Clausulae huic Ordinariorum juri contrariae, ultimis voluntatibus adjectae, tanquam non appositae habeantur.* Valde tamen probabiliter dicendum est, quod si aliqua causa superveniat, vel si fuerit testatori ignota, quam si ille cognovisset, aliter disposuisset, tunc Episcopus cum haerede potest ex epikeja interpretari voluntatem testatoris, et legatum in alium usum convertere. At quaenam sunt hujusmodi causae, ob quas Episcopus ultimas voluntates commutare valet ? Causa 1.ª est, quando pecunia legata ad aliquem usum non sufficit ; 2.ª quando usus legati non potest adimpleri; 3.ª si legatum est factum ad usum non ita necessarium; tunc enim poterit Episcopus commutare in alium pium usum magis eidem Ecclesiae necessarium. Lig. III, 931.

In commutationibus ab Episcopo faciendis requiritur consensus haeredis vel Ecclesiae, cui legatum factum est ; tamen si isti nolunt consentire, et ratio existit, poterit nihilominus Episcopus solus eo in casu commutare. Lig. III. n. 931.

1) Quia piae causae ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni : porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quae jurisdictioni suae directe subsunt. — Potest cognosci voluntas testatoris, vel per nutum, vel per verba, vel per scripta, vel per testes fide dignos ; sed non sufficit unus testis etiam probatissimus, quia nemo tenetur credere uni testi in damnum sui, juxta illud juris ; *unus testis nullus testis.* Lig.

DE RESTITUTIONE

Q. *Quid est justitia ?*

R. Est constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.

Q. *Quotuplex est justitia ?*

R. Triplex : commutativa, distributiva', et legalis. Commutativa est, quae inclinat hominem privatum ad reddendum alteri privato, quod ei debetur ; et haec servat aequalitatem arithmeticam. Distributiva est, quae inclinat superiorem ad distribuenda praemia juxta merita : et haec servat proportionem geometricam. Legalis est, quae inclinat subditum ad praestanda ea omnia, quae communitati debita sunt in ordine ad bonum commune 1).

Q. *Ex cujus justitiae laesione oritur obligatio restitutionis ?*

R. Ex laesione justitiae commutativae 2)

Q. *Ex laesione justitiae distributivae vel legalis oriturne aliquando obligatio restitutionis ?*

R. Maxime : quando est conjuncta cum justitia commutativa puta si adsit pactum, promissio etc. 3).

Q. *Quid igitur restitutio ?*

R. Est actus justitiae commutativae, quo ad aequalitatem reparatur damnum proximo illatum per injuriam 4).

Q. *Quid est injuria ?*

R. Est violatio juris alieni.

Q. *Quotuplex est ?*

---

1) Justitia vindicativa est quaedam species justitiae legalis, quatenus ad leges pertinet, ut delicta puniantur.

2) Restitutio enim intendit ponere aequalitatem, quod est proprium justitiae commutativae.

3) Episcopus tenetur ex justitia distributiva conferre beneficia dignioribus ; si istis non confert, laedit justitiam distributivam. Si tamen instituit concursum, et non confert digniori, tunc laedit etiam justitiam commutativam, juxta communiorem et probabiliorem sententiam. Ita Lig. IV, 109, Card. d' Annibale, Lehmkuhl. Si vero sine concursu confert beneficium indigno, et iste damnum affert temporale suo beneficio, tunc etiam laedit justitiam commutativam ratione quasi-contractus, quem iniit cum sua ecclesia suscipiendo Episcopatum, et per consequens tenetur ad damna illata ecclesiae, seu beneficio.

Judex tenetur ex justitia legali, seu vindicativa punire reum ; si absolvit, laedit hanc justitiam. Si tamen iste reus indebite absolutus pergit adhuc committere furta, homicidia, et alia delicta, tunc judex laedit etiam justitiam commutativam constituendo se concausam damni privatorum, et per consequens tenetur ad restitutionem.

4) Restitutio differt a satisfactione ; restitutio enim fit solum hominibus, satisfactio fit Deo et hominibus. Differt etiam a solutione ; restitutio enim fieri solet de eadem re, solutio de re diversa.

R. Materialis, et est, quando res detinetur illaesa conscientia, uti est apud possessorem bonae fidei. Formalis, et est, quando detinetur res laesa conscientia, uti est apud possessorem malae fidei.

R. *Quaedam injuria requiritur ad restitutionem?*

Q. Sufficit injuria materialis.

Q. *Quid, et quotuplex est culpa?*

R. Est factum inconsultum, quo alteri nocetur, et duplex est: theologica, et est peccatum sive mortale, sive veniale: juridica, et est omissio debitae diligentiae, quae potest esse lata, levis, et levissima: 1.ª est quando omittitur diligentia, quam adhibere solent homines diligentes; 2.ª quando omittitur diligentia, quam adhibere solent homines diligentiores; 3.ª quando omittiur diligentia, quam adhibere solent diligentissimi 1).

Q. *Ex qua culpa oritur obligatio restitutionis?*

R. Distinguo: vel sermo est de contractibus, et oritur ex culpa juridica, vel sermo est de damnificatione, et oritur ex culpa theologica.

Q. *Ex qua culpa juridica oritur obligatio restitutionis?*

R. Videndum in cujus favorem fuit celebratus contractus; si in favorem dantis, uti est depositum gratuitum, et obligatio restitutionis oritur ex culpa lata; si in favorem recipientis, uti est commodatum, et oritur ex culpa levissima; si in favorem utriusque, uti locatio, venditio, et oritur ex culpa levi 2).

Q. *Ex culpa theologica levi in damnificatione oriturne obligatio restitutionis?*

R. Si culpa est levis ob parvitatem materiae, uti si quis furatur parvam quantitatem, oritur obligatio restitutionis; si vero culpa est levis ex imperfecta advertentia, vel imperfecto consensu, quaestio 3). At communius et probabilius negatur.

---

1) E. g. si quis rem apud se depositam relinquit in loco publico, etsi inadvertenter, en culpa lata. Si vero relinquit in suo cubiculo, sed negligit ostium claudere, en culpa levis. Si tandem ostium clauserit, sed neglexerit tentare manu, et certiorari, an esset bene clausum, en culpa levissima.

2) Multi auctores cum Ligor. in contractibus praeter culpam juridicam requirunt etiam culpam theologicam ad inducendam obligationem restitutionis in oro conscientiae, nempe requirunt, ut agens advertat omissionem diligentiae, et tamen eam adhibere negligit. Idem dicunt in quasi-contractibus; hinc si nullum dubium occurrit medico, advocato, confessario, theologo de majori diligentia adhibenda, et errant, non tenetur ad restitutionem, quia nulla adest culpa.

3) Plures sunt sententiae. Alii affirmant, et docent damnificatorem ad totum teneri. — Alii obligant ad totum sub levi. — Alii asserunt satis esse, si resarciat partem damni pro quantitate culpae judicio viri prudentis. Sed communius et probabilius uti S. Lig. III. 552., Lessius, Sanchez, Lugo, Gury, Scavini, et alii plures docent nullam oriri restitutionis obligationem, neque sub gravi, neque sub levi. Non *sub gravi*, quia gravis obligatio non habet proportionem cum culpa levi. Non sub *levi*, quia obligatio levis non habet proportionem cum materia gravi.

Q. *In damnificatione quaenam requiruntur ad inducendam obligationem restitutionis?*

R. Tria: culpa theologica, damnum secutum, et causa efficax 1).

Q. *Adsunt casus, in quibus occasio sufficit?*

R. Maxime: quando inspectis circumstantiis occasio aequivalet causae; uti si dux, dum progreditur per agrum, accipit fructus, quod videntes milites ipsi etiam accipiunt cum gravi damno olitoris.

Q. *Adsunt casus, in quibus sine culpa theologica aliquis tenetur ad restitutionem in damnificatione?*

R. Maxime: ex dispositione juris. Sic 1. parentes vel praeceptores, seu artium magistri, vel domini tenentur ad damma illata a filiis minoribus, vel ab alumnis, vel a servis, qui sunt sub eorum vigilantia; 2. si animal alicujus infert damnum alteri; 3. proprietarius aedificii tenetur ad damna causata ex defectu reparationis, vel vitio constructionis. Hi tamen tenentur post sententiam judicis.

Q. *Fur tenetur ad damna causata per furtum?*

R. Maxime: etiamsi haec damna sint ignorata, modo sint praevisa saltem confuse. Ligor. III, 618.

Q. *Quot sunt radices restitutionis?*

R. Quinque: res accepta, injusta acceptio, contractus vel quasi contractus, damnum illatum, et legis auctoritas 2).

1) Qui ponit causam efficacem damni, et per poenitentiam eam retractat, si damnum ex posita causa proximo evenit, qui causam posuit, tenetur ad damnum, quia per poenitentiam moraliter tantum, non vero realiter et physice, ut ita dicam, aufertur causa; quare talis retractatio impedire valet solummodo effectus morales, minime autem reales et physicos; in casu damnum est in causa volitum, et poenitentia efficit, ut sequens transgressio non amplius ad culpam imputetur, at non impedit damnum ex posita causa secutum.

Probabilius urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno illato, et dubium est dumtaxat, quisnam fuerit damnificator inter plures, qui eodem modo actionem damnificantem posuerunt: repugnat enim innocentem debere certo pati, eo quod non constet, cuinam damnum sit imputandum. Sic duo homines simul in tertium glandem explodentes videntur obligandi pro rata ad compensanda damna ex mutilatione vel occisione provenientia, modo compertum sit hunc ab alterutro tantum laesum fuisse. Nonnulli tamen eos a restitutione omnino excusant, quia nemo obligatur ad restitutionem, nisi omnino de tali obligatione constet, nempe quod ipse fuerit vera causa damni. Licet prima sententia sit communis, haec secunda est etiam satis probabilis. Lig. III, 562, 547, 575 etc.

2) Ex re accepta tenetur possessor bonae fidei; ex injusta acceptione possessor malae fidei, et possessor dubiae fidei antecedentis, iste tamen tenetur pro rata dubii; ex contractu vel quasi-contractu contrahentes; ex damno illato delinquentes; ex legis auctoritate tenentur illi, qui notantur in codice, idest illi, qui etiam sine proprio facto ex lege ad restitutionem obligantur.

Q. *Quot sunt circumstantiae restitutionis ?*

R. Praecipuae hoc versu continentur. Quis, quid restituat, cui, quo ordine, quomodo, quando 1).

1) *Quis.* Si damnum ab uno illatum fuerit, ipse solus ad restitutionem tenetur. — Si damnum a pluribus illatum fuerit, sed non ex communi consensu, et unusquisque partialiter in damnum influit, unusquisque tenetur ad partem damni, quam intulit. Si vero damnum illatum fuerit ex conspiratione, ita ut, singulis non concurrentibus, damnum non evenisset, omnes tenentur in solidum. — Si autem plures, sine communi conspiratione, posuerint actionem quidem sufficientem ad totum damnum inferendum, sed non necessariam, puta si ignem domui alienae simul apposuerint, an omnes teneantur in solidum, quaestio. S. Lig. III. 579 — *Quid restituat.* Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptae, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in injuriam proximi. — *Cui.* Si dominus est certus et notus, ipsi restituendum est. Qui subduxit rem apud alium depositam, vel locatam, aut commodatam, non domino, sed ipsi possessori restituere debet. — Qui vero dubitat, utrum possessor justo titulo rem possidebat, ipsi quoque restituere debet, quia melior est conditio possidentis. — Si dominus est incognitus, et res restituenda est ex delicto, juxta communiorem sententiam restitui debet pauperibus, vel causis piis ; si vero res fuit inventa, et, sufficienti adhibita diligentia, nulla adest spes ipsum inveniendi, juxta probabiliorem et veriorem sententiam retineri potest. S. Lig. III. 603. — *Quo ordine* Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum, qui restituere debent, tum ex parte eorum quibus restituendum est. *Quoad primum.* — Si restituendum est *ex furto*, primo tenetur ille, apud quem res extat, postea alii ; si *ex damno*, primo causae magis principales postea minus principales. *Quoad alterum.* — Si debitor omnibus debita satisfacere potest, nullus ordo, necessario servandus est ; si vero bona non sufficiunt, prius solvenda sunt debita certa, id est quorum cognoscitur creditor, postea incerta, id est quorum ignoratur. Inter debita certa prius solvenda sunt debita ex titulo oneroso, postea ex titulo gratuito. Inter debita ex titulo oneroso prius solvenda sunt debita privilegiata, postea hypothecaria, denique chirographaria pro rata crediti ; uti invenitur in textu. *Quomodo.* — Restitutio eo modo fieri debet, quo justitia violata ad aequalitatem possit reparari. Hinc si debitum proventi *ex delicto*, debitor non tenetur restitutionem palam facere ; imo nec potest, si adsit periculum suae infamiae, aut alterius gravis damni, sed debet restituere secreto. Nec necesse est, ut restitutio fiat per ipsum debitorem, sed fieri per alium potest, modo res domino reddatur. Neque necesse est, ut dominus admoneatur, sed sufficit, ut indemnis fiat. Unde debitor restituere potest v. gr. augendo pondus vel mensuram in vendendo. — Quod si debitum provenit ex *contractu*, tunc debitor in solutione debet servare qualitatem materiae debitae. Nec potest debitum solvere per partes, quando totum simul solvendum est, nisi creditor expresse vel tacite id concedat, vel justa causa excuset. Quoad *tempus locum et expensas* quibus facienda est restitutio, ut dominus vere et plene indemnis reddatur, invenitur in textu. *Quando.* — Restitutio fieri debet quam primum potest sine gravi incommodo. Hinc qui culpabiliter et notabiliter differt restitutionem, peccat, et absolvi nequit ; et si ex dilatione solutionis damna domino obveniunt, ea compensare tenetur. Quod si quis habet propositum restituendi, et aliquo brevi tempore differt citra grave domini incommo-

De possessore bonae, et malae fidei rei alienae.

Q. *Quinam est possessor bonae, et quinam malae fidei?*

R. Qui retinet rem alienam illaesa conscientia, dicitur possessor bonae fidei; qui vero laesa conscientia, dicitur possessor malae fidei 1).

Q. *Quinam ex his tenetur ad restitutionem?*

R. Ambo, sed cum hoc discrimine; possessor bonae fidei tenetur ad rem, si extat, et si non extat, tenetur ad id, in quo factus est ditior 2), et si in nihilo factus est ditior, ad nihil tenetur; non tenetur ad damna, potest praescribere, et servat se indemnem. Possessor malae fidei tenetur ad rem,si extat,et si non extat, tenetur ad aequivalentem; tenetur ad damna, non potest praescribere, et tenetur servare dominum indemnem 3).

Q. *Si res perit, cui perit?*

R. Si perit apud possessorem bonae fidei, domino perit; si apud possessorem malae fidei, ipsi perit; excipe si eodem modo res periisset apud dominum. Idem dic, si res deterioratur.

Q. *Si res melioratur, cui melioratur?*

R. Tam si est apud possessorem malae fidei, quam bonae fidei, semper domino melioratur, deductis tamen laboribus, industria, et expensis, quae ab utroque possunt retineri.

De restitutione fructuum.

Q. *Quotuplicis generis sunt fructus?*

R. Naturales, quos ipsa natura sine ullo vel cum parvo labore produciit; ndustriales, qui proveniunt ex industria hominum, ut fructus pecuniae negotiationi expositae; mixti, qui nascuntur ex re et industria,

---

dum, lzviter peccat; immo nec etiam leviter, si aliqua sit causa differendi, v. g. spes occasionis commodioris. De nonnullis antea dictis, in textu fusius agitur.

1) Illaesa conscientia, idest sine peccato, quia prudenter credit rem esse suam. Laesa conscientia, idest cum peccato, quia scit rem esse alienam.

Possessor vero dubiae fidei est ille, qui incipit possidere cum dubio, aut post possessum incipit dubitare, an res aliena sit. In 1.° casu dicitur possessor dubiae fidei antecedentis; in 2.° dubiae fidei consequentis.

2) Dicitur factus ditior, quando quis pepercit bonis suis, vel quando reperitur plus possidere ex re aliena. Hinc si Titius donavit Cajo vas aureum alienum a se bona fide possessum (quod nisi habuisset, nihil donasset) ad nihil tenetur, quia in nihilo factus est ditior; Cajus tamen tenetur, si nondum praescripsit, quia res clamat ad dominum, et quia ipse factus est ditior. Si Maevius sumpsit prandium furtivum bona fide, tenetur ad id, quod consumpsisset in domo sua; si mala fide, tenetur ad esum; si autem participavit in actione furti, tenetur in solidum.

3) Id est tenetur ad damna domino eventa, et ad lucra cessata, ad quae tenetur etiam possessor bonae fidei, 1. quando veniendo in malam fidem culpabiliter non restituit: 2. quando est haeres universalis possessoris malae fidei, quia tunc defuncti personam repraesentat.

uti vinum, oleum ; civiles, qui proveniunt ex occasione alicujus rei, puta pensiones, pretium locationis.

Q. *Quinam tenentur ad restitutionem fructuum ?*

R. Ad fructus industriales nemo tenetur. Ad fructus mixtos, qua parte sunt industriales, tam possessor bonae, quam malae fidei non tenetur ; qua parte vero sunt naturales, sicut etiam ad totos fructus naturales et civiles ambo tenentur, servato tamen discrimine, quod semper intercedit inter possessorem bonae et malae fidei, prout supra dictum est.

Q. *Possessor malae fidei tenetur ad fructus non perceptos, quos dominus percepisset, si res fuisset apud se ?*

R. Maxime : dummodo dominus non percepisset ex peccato, puta per usuram, per locationem factam meretrici etc. 1).

De expensis factis a possessore bonae vel malae fidei.

Q. *Quotuplicis generis sunt expensae ?*

R. Aliae sunt necessariae, sine quibus res periret ; aliae utiles, quibus res redditur fructuosior ; aliae voluptuosae , quae serviunt tantum ad ornatum.

Q. *Possuntne retineri expensae tam a possessore bonae, quam malae fidei ?*

R. Necessarias, et utiles ambo possunt retinere. Voluptuosas, quando non sunt separabiles, et in nullam cedunt utilitatem domini, non possunt 2).

Q. *Quid si dominus sine expensis meliorasset rem suam, si apud se fuisset ?*

R. Possessor bonae fidei habet jus illas exigendi, quia potest servare se indemnem ; secus possessor malae fidei, quia servare debet dominum indemnem.

De tempore loco et expensis, quibus facienda est restitutio.

Q. *Quo tempore facienda est restitutio ?*

R. A possessore bonae fidei, quando venit in malam fidem, a possessore malae fidei a principio 3). De restitutione vero facienda ex contractu,

1) Ex peccato intelligitur, quando peccatum est causa lucri, uti esset contractus usurarius ; cum peccato intelligitur, quando lucrum percipitur cum peccato, puta si quis licite negotiaret, sed blasphemando, sine necessitate jurando, turpia verba proferendo.

2) Hinc si expensae utiles excedunt aestimationem et valorem utilitatis, qua parte excedunt, censendae sunt uti voluptuosae, et dominus non tenetur ad illas.

3) Cum possessor bonae fidei in malam fidem venit, si absque suo incom-

videndum ; si tempus fuit statutum in contractu, tempore statuto; si non fuit statutum, quando dominus petit; si vero dominus ob timorem vel oblivionem non petit, quamprimum 1).

Q. *Quo loco facienda est restitutio ?*

R. A possessore bonae fidei, ubi res extat ; a posssessore malae fidei ubi dominus extat. De restltutione facienda ex contractu , videndum ; si locus fuit definitus in contractu, loco definito ; secus loco contractus.

Q. *Cujus expensis facienda est restitutio ?*

R. A possessore bonae fidei fieri debet expensis domini, a possessore malae fidei expensis suis, ex supradicta ratione 2). Si loquimur de restutione facienda ex contractu, videndum in cujus favorem est factus contractus; si in favorem dantis, ut in deposito gratuito , expensis dantis; si in favorem recipientis, uti in commodato, expensis recipientis ; si in favorem utriusque, expensis utriusque.

Q. *Facta restitutione, estne denuo facienda , si res non pervenerit in manus domini ?*

R. A possessore bonae, fidei, si adhibuit diligentiam, non est denuo facienda : secus a possessore malae fidei 3). Si vero loquimur de contractu videndum : vel sermo est de contractu transferente dominium, uti est mutuum, et denuo facienda est restitutio, quia usquedum res non perveniat in manus domini, mutuatarius est dominus; vel loquimur de contractu non transferente dominium, uti depositum, commodatum, et adhibita diligentia, si res non pervenit in manus domini, non est denuo facienda restitutio.

De concausis restitutionis.

Q. *Quot sunt concausae restitutionis ?*

R. Novem, quarum primae sex sunt positivae, ultimae tres negativae et continentur in his versiculis :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

modo restituere potest, et non restituit, uti possessor malae fidei hadendus est ; ideoque non potest absolvi, nisi prius restituat. Secus vero dicendum, si confessarius haud dubitat de promissione poenitentis restituendi quam primum.

1) Regulariter loquendo non est absolvendus debitor, nisi prius restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis ; nam satis est experientia compertum debitores rarissime post absolutionem restituere. Excipe si confessarius prudens cognoscat debitorem sincere paratum esse restituere, cum primum poterit.

2) Si expensae faciendae ad aliquid restituendum excederent valorem rei, puta quia locus esset valde distans, possessor malae fidei potest differre hanc restitutionem.

3) Si tamen possessor malae fidei dedit rem personae electae a judice, vel ab ipso domino, nec etiam ipse tenetur.

Q. *Quid venit per verbum* jussio ?

R. Venit mandatum. Mandatum est contractus, quo quis gratis, vel pretio in se suscipit onus aliquid faciendi in gratiam alterius 1).

Q. *Mandans ad damnificandum teneturne, secuto damno ?*

R. Si revocavit mandatum, et revocatio innotuit mandatario ante damnum illatum, non tenetur ad restitutionem 2); secus tenetur, et oppositum fuit damn. ab Innoc XI.

Q. *Qui ratum habet damnum alteri illatum, teneturne ad restitutionem*

R. Minime : quia ratihabitio non influit in actionem.

Q. *Mandans tenetur ad damna causata mandatario ?*

R. Si mandans est superior mandatario, tenetur 3). Si non est superior, distinguo : si mandans dedit mercedem mandatario ad exequendum mandatum, non tenetur ; secus quaestio 4).

Q. *Quinam veniunt per verbum consilium ?*

R. Veniunt omnes, qui consulunt, hortantur, instruunt ad damnum inferendum.

Q. *Revocato consilio, tenetur consulens, an solus consultus ad damna secuta* 5) *?*

R. Tenetur etiam consulens, quia intellectus semel instructus difficile dimovetur. Excipe si consulens validis rationibus revocavit suum consilium 6).

---

1) Mandatum potest esse expressum, quod fit expressis verbis : et tacitum, quod habetur signis, vel factis. Insuper generale, et est quod ad omnia negotia; particulare, et est quod ad aliquid. Cessat vero mandatum vel revocatione mandatis vel renuntiatione mandatarii, vel morte alterutrius.

2) Si mandatarius excedit fines mandati, tunc si excessus non potuit praevideri, sed accidit ex malitia mandatarii, mandans non tenetur ad excessum, quia quoad excessum nulla adest culpa.

Si mandans sufficientibus et claris signis revocavit mandatum, et mandatarius existimavit fictam revocationem, mandans non tenetur, quia, tunc sola malitia mandatarii videtur esse causa damni.

Si mandans revocavit mandatum, et revocatio innotuit mandadario, qui tamen oblitus revocationis exequitur mandatum, mandans adhuc tenetur, quia vi mandati damnum infertur.

3) Quia inferior sub potestate superioris coacte, non libere agit.

4) Nonnulli affirmant, quia mandans damnum jubendo, censetur suscipere in se obligationem mandatarium indemnem servandi. Sed alii probabilius id negant, quia non coactus, sed libere accepit mandatum, idest totum onus, illius consectaria, et volenti et consentienti nulla fit injuria.

5) Apud latinos per ly *consulens* venit qui petit consilium ; per ly *consultus* ille, a quo petitur consilium. Apud morales theologos passim, minus latine per ly *Consulens* venit, qui dat consilium ; et per ly *consultus*, qui petit, et accipit consilium. Ne a consueto hujus facultatis dicendi modo discrepemus, hoc sensu et a nobis usurpantur. Advertat, et ignoscat lector.

6) Revocato mandato, mandans liberatur ab onere restitutionis, quia

Q. *Qui dedit pravum consilium ad damnificandum alteri, teneturne ad damna causata ipsi consulto in executione pravi consilii ?*

R. Minime : quia consilium datur in gratiam consulti, et per consequens consultus sibi imputet talia damna.

Q. *Qui suadet minus malum parato ad inferendum majus, teneturne ad restitutionem ?*

R. Minime : quia potius dissuadet, quam suadet ; dummodo non sit contra aliam personam.

Q. *Qui dat consilium non in damnum tertii, sed vergens in malum ipsius consulti, teneturne ad damna isti obvenientia ?*

R. Si est persona privata, tenetur tantum, si hoc consilium dederit ex dolo ; si vero est persona publica 1), tenetur de culpa lata ; si autem accepit stipendium, tenetur etiam de culpa levi.

Q. *Quinam veniunt per verbum consensus ?*

R. Veniunt omnes, qui efficaciter approbant, vel dant suffragium ad damnum inferendum 2).

Q. *Teneturne ad restitutionem, qui subscribit iniquae sententiae , postquam major pars suffragiorum jam data est ?*

R. Distinguo : si suum suffragium erat necessarium ad confirmandam iniquam sententiam, tenetur ; si non erat necessarium subdistinguo: vel ipse egit ex conspiratione cum prioribus judicibus, et tenetur; 3) secus non tenetur. Advertendum tamen est, quod judex, qui potest alios dissuadere a dandis iniquis suffragiis, et hoc omittit, tenetur tamquam concausa negativa.

Q. *Quinam venit per verbum palpo ?*

R. Venit, qui adulatione, vel vituperatione alium inducit ad inferendum alteri damnum. Iste si praevidit, vel praevidere poterat hoc damnum, utique tenetur ad restitutionem.

Q. *Quinam veniunt per verbum recursus ?*

R. Veniunt omnes, qui favent 4), vel receptant furem vel furtum ; isti quidem tenentur ad restitutionem. Si tamen aliquis receptat furem. non ut fur evadat animosior, sed ut effugiat periculum mortis, vel aliud

---

cessat tunc tota ratio agendi, nam mandatum adimpletur in gratiam mandantis ; secus in consilio.

1) Persona publica dicitur illa, quae profitetur peritiam in illa re, de qua consulitur, puta medicus, advocatus.

2) Hinc tenentur ad restitutionem illi, qui eligunt ad officium Superioris illum, quem cognoscunt furari ; vel cum aliis condunt leges injustas, nam eorum suffragium est tota causa damni.

3) Quia jam posita est causa damni.

4) Hinc magnates, quid vident suos subditos, famulos etc. patrare delicta ob suam protectionem, et eos non impediunt, ad restitutionem tenentur, quia protectione sua sunt causa efficax damni.

damnum, non peccat, nec tenetur ad restitutionem. Verum si potest, debet furtum restituere domino.

Q. *Quinam venit per verbum* participans ?

R. Venit ille, qui participat in re injuste accepta, vel in actione causante damnum.

Q. *Ad quid tenetur participans ?*

R. Si participavit in re, tenetur ad rem, velut possessor bonae, vel malae fidei. Si participavit in actione, tenetur in solidum 1).

Q. *Quinam veniunt per* mutus, non obastans, non manifestans ?

R. Veniunt illi, qui ex officio, seu ex justitia tenentur clamare, impedire, et non clamant, non impediunt ; isti utique tenentur ad restitutionem 2).

Q. *Quid de servo, qui videt furari bona domini sui, et non clamat ?*

R. Vel fur est extraneus, et servus non clamat, tenetur, quia ad id se obligavit per famulatum. Si fur est domesticus, videndum : si furatur bona servo peculiariter concredita, iste debet impedire, et non impediendo tenetur ad restitutionem ; si non sunt bona ei peculiariter concredita, non tenetur.

Q. *Custodes saltuum, et vectigalium si injustas fraudes non impediunt, tenentur ad restitutionem ?*

---

1) Quia moraliter totus effectus a singulis procedit. — Hic adverte, quod duplici modo potest quis participare in actione damnificativa : vel per concursum materialem, vel per concursum formalem. Si participavit per concursum materialem, non tenetur ad restitutionem ; si per concursum formalem, tenetur. Hinc si Titius praeberet instrumenta latroni ad furandum, ne occidatur, vel ne vulneretur, non tenetur ad restitutionem. Si famulus, ne torvis oculis aspiciatur, vel ne expellatur a domino, sustinet scalam domino ad stuprandam virginem, peccat, et tenetur ad restitutionem, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. ; si vero ne occidatur, non peccat, et non tenetur ad restitutionem, quia vita famuli praevalet virginis honori. Ita S. Alph. III, 571.

Verbum *in solidum* significat, quod omnes simul tenentur ad totum damnum, ita ut si aliquis restituere negligit, alii ad ejus partem etiam tenentur, et sic deinceps. Attamen D. Lig. III, 579 docet, quod rudes etsi teneantur in solidum, raro expedit in praxi eos obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant teneri ad restituendum etiam partem a sociis ablatam : quo in casu sunt bona fide relinquendi, ut nempe restituant, quantum illis conscientia dictat. Quinimo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam ; cum aliter valde sit timendum, quod nihil restituant, si obligentur ad totum.

2) Hinc si quis non obligatus ex officio potest clamare, et impedire damnum tertii, et non clamat ex odio, peccat contra charitatem, sed non tenetur ad restitutionem. Si quis vero non clamat, quia accepit decem a fure, videndum : si accipiendo decem ipse reddidit furem animosiorem, tenetur ad id quod fur non rapuisset, sed rapuit, quia factus est animosior ; si non reddidit animosiorem, iterum videndum : si decem sunt pars furti, tenetur ad acceptum; secus potest retinere.

R. Maxime : ad mulctam tamen a fraudatoribus debitam non tenentur, quia dominus vel princeps ad hanc acquirit jus post judicis sententiam.

Q. *Quid de confessario, qui non obligat poenitentem ad restitutionem faciendam ?*

R. Videndum : vel habet se negative, nempe tacendo, et non tenetur, quia non est obligatus ex justitia commutativa monere ; si vero positive se habet, nempe deobligando, iterum distinguo : vel facit ex inadvertentia, vel ignorantia inculpabili, et non tenetur, quia non adest culpa requisita ad inducendam obligationem restitutionis in damnificatione ; secus tenetur. Idem dic, si obligavit ad restitutionem eum, qui restituere non debeat.

De ordine servando in restitutione quod ad concausas.

Q. *Quinam ordo est servandus in restitutione quod ad concausas ?*

R. Distinguo : vel loquimur de actione lucrativa, nempe de furto, et primo tenetur ille, apud quem res extat, secundo loco alii ; vel loquimur de actione damnificativa, et primo tenentur concausae positivae, postea concausae negativae. Et inter concausas positivas, primo tenetur mandans, in defectu mandantis, mandatarius. In consilio tenetur primo consultus in defectu consulti consulens ; et sic de ceteris concausis, primo tenentur concausae magis principales, in defectu earum concausae minus principales 1).

De obligatione restitutionis ob injustum impedimentum boni alieni.

Q. *Quotuplici modo potest quis consequi aliquod bonum ?*

R. Vel ex justitia, vel ex liberalitate collatoris.

Q. *Quotuplici modo potest quis impediri a consecutione alicujus boni ?*

R. Juste, vel injuste 2).

---

1) Praedictae concausae si sunt ejusdem ordinis, et tunc si egerunt ex conspiratione, aut singulae in totum damnum concurrerunt, tenentur in solidum, secus tenentur ad partem tantum pro rata influxus. Hinc si clavicularius, quin conspiraverit cum aliis furibus, qui totam domum expoliarunt, fecit tantum clavem ad aperiendum scrinium, tenetur tantum ad id, quod in eo erat, et fuit furatum. Attamen si concausa tenetur ad partem , in quam influxit, et eam restituit, aliae concausae ad ceterum tenentur, dempta parte restituta ab ista concausa.

2) Juste, quando est inhabilis , aut indignus ad illud bonum. Jnjuste, quando sine justa causa impeditur, puta per mendacium, per dolum, per infamiam.

Q. *Qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, tenetur ad restitutionem?*

R. Distinguo: vel illi debebatur ex justitia, et tenetur ad restitutionem, sive impediat bonis, sive malis artibus; vel debebatur ex liberalitate collatoris, et subdistinguo: si impedit bonis artibus, non tenetur, quia in hoc casu bonae artes non laedunt voluntatem collatoris, neque jus alienum; si vero malis artibus, tenetur ad restitutionem, quia quisque habet jus, ne malis artibus ab alio laedatur 1).

De restitutione rei acceptae ob turpem causam.

Q. *Acceptum ob turpem causam, seu peccatum estne restituendum?*

R. Vel loquimur de iis, in quibus lex inhabilitat, uti est simonia, usura etc., et semper est restituendum. Vel loquimur de iis, in quibus lex non inhabilitat, et subdistinguo: si est ante factum, est restituendum; si post factum, quaestio; sed ex Lig. probabilius non est restituendum 2).

Q. *Acceptum a judice est restituendum?*

R. Distinguo: vel accepit pro sententia injusta, et nondum protulit sententiam, debet restituere; si vero jam protulit sententiam injustam, potest retinere, sed tenetur ad damna. Vel accepit pro sententia justa, et videndum: si quod accepit, est taxatum a lege, potest retinere; secus non potest, quia deest titulus.

Q. *Meretrix potest retinere pretium, quod accepit fortasse a religioso?*

R. Minime: etiamsi religiosus alienandi licentiam habeat a superiore, quia in tali re non datur licentia; debet ideo restituere monasterio. 3).

1) Malae artes sunt vis, fraus, calumnia, mendacium. Bonae artes sunt preces, mediationes amicorum. Hinc si quis impedit adimpletionem promissionis factae alicui, videndum: si promissio erat jam acceptata, sive bonis sive malis artibus impediat, tenetur ad restitutionem; si promissio nondum erat acceptata, si impedit bonis artibus, non tenetur, si malis artibus, tenetur. Si impedit aliquem a consecutione alicujus beneficii per manifestationem delicti occulti, videndum: si manifestavit delictum, quod reddebat eligendum indignum de jure, quomodocumque manifestatio sit facta, non tenetur; si vero delictum non reddebat eligendum indignum, iterum videndum: si manifestavit collatori, non tenetur, si aliis ad quos non pertinebat, et collator praecise ob infamiam beneficium non confert, tenetur.

2) Nonnulli censent esse restituendum, quia actio illicita nullo pretio digna est, cum peccatum non sit vendibile. Si igitur pactum ante impletionem est nullum, non potest per impletionem validari; regula enim juris est *quod initio non subsistit, tractu temporis convalescere non potest*. Sed alii cum D. Lig. probabilius et communius tenent non esse restituendum: 1. quia opus malum, etsi pretio dignum non sit, quatenus est malum, est tamen pretio dignum, quatenus est alteri utile, vel delectabile, vel ipsi praestanti periculosum: 2. quia in quocumque contractu oneroso, do ut des, facio ut facias, lex naturalis dictat, quod cum quis partem suam praestiterit, tenetur alter suam implere, quam licite praestare potest. Unde si alter suum (etsi illicitum) jam praestitit, teneris tu pretium promissum ei satisfacere. Lig., lib. III, 712.

3) Heic enim agitur de licentia alienandi, quam habuit Religiosus a Su-

Q. *Uxor vel filia si turpiter agunt, debentne marito vel patri tradere, quod acceperunt?*

R. Minime : quia odiosum.

De obligatione restituendi ratione facinorum aliis damnum causantium 1).

Q. *Ad quid tenetur, qui alterum occidit vel vulnerat?*

R. Tenetur ad damna causata ex vulnere, vel homicidio 2).

Q. *Quibus haeredibus debet homicida restituere?*

R. Vel loquimur de damnis causatis ante mortem occisi, et tenetur erga haeredes tam necessarios, quam voluntarios ; vel loquimur de damnis, quae sequuntur post mortem, et tenetur tantum erga parentes, filios, et conjugem, quia isti habent jus ; excipe cum Ligorio, si isti aliunde alimenta congrua habeant, quia tunc non patiuntur damnum.

Q. *Si occisus ante mortem occisori condonavit debita, tenetur adhuc occisor?*

R. Ex Ligor. III. 630. non tenetur, quia sicut filii per patrem acquirunt jus, sic etiam per patrem amittunt; pater tamen non recte faceret, si filii valde egeant. Alii vero oppositum sentiunt.

Q. *Occisor tenetur solvere debita creditoribus occisi?*

R. Aliqui absolute affirmant ; alii vero docent teneri, quando sciebat haec debita, et occidit animo directe nocendi creditoribus. Lig. III. 334.

Q. *Qui occidit aliquem in duello tenetur ad damna?*

R. Aliqui affirmant de provocante ; alii vero dicunt, quod tam si occisus sit provocans, quam sit provocatus, occisor non tenetur ; quia qui duellum acceptat, cedit juri suo quoad damna temporalia. Lig.III. 638.

Q. *Si quis volens occidere Cajum, per errorem occidit Titium, tenetur ad damna causata ex occisione Titii?*

R. Aliqui affirmant ; 3) alii vero negant, quia homicidium respectu Titii est mere casuale et involuntarium. Lig. III. 628 4).

---

periore, non vero peccandi ; absonum enim est cogitare de licentia peccandi ; talis enim licentia ad usus illicitos, nec praesumitur, nec dari potest. Unde si religiosus a superiore habuit licentiam alienandi, et alienat ad usus illicitos, nullus est actus, quia deest consensus Superioris.

1) Cum heic sermo sit de obligatione, intelligitur de obligatione personali, et reali ; ita ut si damnificator moritur, et bona relinquit, tenentur haeredes.

2) Dixi ad damna causata ex vulnere etc.; nam pro vita vel pro vulnere ad nihil tenetur, cum damnum sit in bonis superioris ordinis, quae pretio aestimari non possunt ; sic nec etiam tenetur ad sumptus funebres, quia isti aliquando semper erant faciendi.

3) Quia in casu adest affectus, et homicidium externum, cum occisor velit interficere hominem, et de facto hominem interficiat.

4) Unde non habetur formalis injuria contra vere occisum, eodem modo,

Q. *Ad quid tenentur, qui virginem defloraverit?*

R. Si dissentientem per vim, vel per fraudem defloravit, tenetur ad damna ipsi et parentibus causata; si consentientem, ad damna ipsi causata non tenetur; ad damna vero causata parentibus, aliqui dicunt teneri, alii vero communius negant. Lig. III. 641.

Q. *Ad quid tenentur adulteri?*

R. Si ex adulterio oritur proles, tenentur alere prolem, usquedum proles possit sibi de alimentis providere, et tenentur etiam ad omnia damna in solidum causata marito, vel aliis consanguineis.

Q. *Si dubitetur utrum proles sit mariti, vel adulteri?*

R. Aliqui dicunt teneri pro rata dubii; alii vero dicunt ad nihil teneri, quia possidet matrimonium, et filius legitimus reputatur. Lig. III. 657.

Q. *Adultera, si non potest alia via compensare damna filiis legitimis debetne se prodere spurio?*

R. Minime: esset opus inutile, filius enim non tenetur credere matri 1).

Q. *Ad quid tenentur, qui per detractionem vel per contumeliam alteri inferunt damnum?*

R. Tenentur ad damna temporalia, et ad famam restituendam.

Q. *Qui falso aliquem accusavit, propter quod damnatus est ad mortem, teneturne manifestare falsitatem etiam cum periculo vitae?*

R. Maxime: dummodo sit profutura manifestatio, quia melior est conditio innocentis.

Q. *Quibus ex causis aliquis excusatur a restitutione famae?*

R. 1. Ex impossibilitate physica vel morali; 2. ex condonatione obtenta; 3. quando infamatus, vel diffamatus jam famam recuperavit; 4. quando ex oblivione infamia deleta est; 5. quando delictum alia via fit publicum.

Q. *Qui manifestat secretum aliquod, et inde proximo damna obveniunt. tenetur ad damna?*

R. Maxime: quando manifestatio fuit illicita 2).

---

dicit idem Ligorius, qui vult incendere domum inimici, et per errorem incendit domum amici, non tenetur ad damna; ad obligationem enim restitutionis in damnificatione requiritur injuria formalis et materialis, idest affectiva, in qua consistit culpa theologica, et effectiva, in qua consistit damnum secutum, harum una si desit, non adest obligatio restitutionis, et licet in jure civili oppositum caveatur, valet id pro foro externo. Lig. III. 629.

1) Ex veriori sententia in duobus casibus debet adultera se ipsam prodere: 1. si esset ipsa perditissimae famae; 2. si damnum reparandum praeponderet damno suae famae: uti esset damnum regni, principatus etc., cui succederet spurius perditis moribus imbutus.

2) Quando liceat vel non manifestare secretum, consule quae dicta sunt de secreto in tractatu *de peccatis*.

De personis, quibus facienda est restitutio.

Q. *Si res accepta est a possessore non domino, cui restituenda est?*

R. Distinguo : si possidebat illam rem justo titulo, puta ratione commodati, illi restituenda est, quia habet jus sic possidendi ; et idem dicendum si dubitatur, utrum justo titulo possidebat, quia melior est conditio possidentis. Si vero injusto titulo, puta ratione furti, restituendum est domino ; monendus tamen fur, si fieri potest, ne perseveret in peccato 1).

Q. *Cui restituenda est res, si dominus mortuus sit?*

R. Haeredibus.

Q. *Cui restituenda sunt bona incerta* 2)*?*

R. Si hujusmodi bona sunt restituenda ex delicto, adhibita diligentia et domino non invento pauperibus 3), secus commodum reportaretur ex propria iniquitate. Si vero restituenda sunt ex alia causa, quaestio 4).

---

1) Si tamen titulo oneroso, puta contractu emptionis, accepisti aliquid a possessore non domino, potes illi restituere, ut pretium recuperes ; neque injuriam facis domino reponendo rem in statu, in quo prius erat, quia non teneris cum tua jactura servare rem domino.

Si vero res aliena empta sit in publicis nundinis, aut mercatis, aut a publico venditore, nempe ab eo, qui hujusmodi res vendere solet, etiamsi compareat dominus, non teneris restituere, et potes retinere; hinc si illam dominus vult recuperare, debet solvere quanti empta fuit. En art. codicis ital. 909 : « Se però l' attuale possessore della cosa sottratta o smarrita l' ha comprata in una fiera o in un mercato, ovvero all' occasione di una vendita pubblica, o da un commerciante che faccia pubblico spaccio di simili oggetti, il proprietario non può ottenere la restituzione della cosa sua se non rimborsando il possessore del prezzo che gli è costato ».

2) Bona incerta sunt illa, quae habent dominum, sed ignotum.

3) Si res absque debita diligentia fuerit applicata pauperibus vel piis causis, si inveniatur dominus, est ei restituenda, quia nulla ratione poterit in pauperum dominium transferri, cum sit dominus rationabiliter invitus ; nam culpabiliter non fuit inventus. Unde primo tenentur pauperes, aut piae causae restituere, secundo loco, qui ea applicavit. Si vero adhibita fuit debita diligentia ad inveniendum dominum, tunc, ait S. Lig., sic distinguedum cum Lugo : si spectatis omnibus circumstantiis non est amplius possibile quod dominus inveniatur, tunc pauper acquirit rei absolutum dominium sine ullo onere restitutionis, quia res pro derelicta haberi jure poterat, ac proinde a primo occupante fuit legitime acquisita. Si vero adhuc post diligentiam adest aliqua spes inveniendi dominum rei, tunc pauper non acquirit ejus dominium, cum adhuc dominium maneret penes dominum, ac proinde debet eam domino servare, vel saltem ejus pretium, ipsique restituere, si compareat. Recte tamen excipiendum est : si pauper aut locus pius bona fide rem jam praescripserit, quia virtute praescriptionis tunc dominium irrevocabile vere acquirit S. Lig. III. 590.

4) Tres adsunt sententiae. Prima docet posse inventorem rei, omni adhibita diligentia, eam retinere, quia, post omnem diligentiam adhibitam, domi-

Q. *Cui cedunt bona vacantia, derelicta* 1) *?*

R. Bona vacantia cedunt Fisco. Bona derelicta sunt primi occupantis.

De ordine servando in restitutione facienda, quando bona defuncti non sufficiunt.

Q. *Quinam ordo in hoc casu servandus est ?*

R. Si in haereditate extat in specie aliqua res, cujus dominium translatum non sit, haec est restituenda domino, ad quem clamat 2). De reliquis bonis vero prius solvenda sunt debita certa, postea incerta 3). Inter debita certa prius solvenda sunt debita ex titulo oneroso, postea ex titulo gratuito 4). Inter debita onerosa prius solvenda sunt debita privilegiata, uti sunt expensae ultimae infirmitatis, funerum, et alia, quae notantur

---

no non invento, res censetur domino carere, et ideo fit primi occupantis. — Secunda censet inventorem rei non posse illam sibi applicare, sed debere elargiri in usus pios, quia praesumitur voluntas domini esse, quod si ipse rem perditam habere non possit, saltem illa pro anima sua erogetur. — Tertia sententia verior et sequenda distinguit, et dicit : Quando adhuc post diligentiam possibile est dominum inveniri, tunc res, vel pretium servari debet ; quod si utrumque servari nequeat, res vel pretium omnino est erogandum in usus pios, juxta praesumptam voluntatem domini, qui adhuc illius rei dominium retinet, semper ac res potest in manus suas redire. E converso quando spectatis circumstantiis longitudinis temporis, vel distantiae loci, res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut accidit in nummis ordinariis, et ideo non est possibile, ut ad dominum redeat, tunc illa fit nullius, et ideo acquiritur a primo occupante, qui illam non tenetur dare juxta voluntatem prioris domini, cum ille per impossibilitatem eam recuperandi ejus dominium prorsus amisit. Hanc sententiam tenet S. Thomas. Ita S. Lig. III. 603.

1) Bona vacantia dicuntur illa, quae post mortem suam aliquis relinquit, sed nullus extat haeres.

Bona derelicta dicuntur, quae a domino abiciuntur animo non habendi, et haec sunt primi occupantis.

Thesaurus est vetus abscondita depositio pecuniae, vel similis rei, domini cujus nulla extat memoria aut cognitio. Thesaurus si invenitur in proprio fundo, ad dominum fundi spectat ; si in alieno fundo casu invenitur, medietas ad inventorem, et alia medietas ad dominum fundi spectat; inventus vero data opera, et industria in alieno fundo ad dominum fundi spectat, quia non licet in alieno fundo, domino invito, quaerere. Si autem arte magica invenitur, in poenam totus Fisco cedit.

2) Pignus, commodatum, depositum, furtum non transferunt dominium, hinc si adest in haereditate aliquod bonum ex his causis proveniens, restituendum est domino.

3) Debita certa sunt illa, quorum domini cognoscuntur ; secus dicuntur incerta.

4) Titulus onerosus sunt vel contractus, vel delictum, uti emptio venditio etc., vel furtum. Titulus gratuitus est votum, legatum, donatio etc.

in codice civili ; postea debita hypothecaria ordine ab eodem codice statuto ; denique aliis creditoribus pro rata crediti.

De causis, quibus suspenditur obligatio restitutionis.

Q. *Quaenam sunt causae, quibus suspenditur obligatio restitutionis ?*

R. Istae : bonum creditoris, damnum debitoris vel proximi, impotentia et cessio bonorum.

Q. *Depositarius tenetur restituere pecuniam, vel ensem domino petenti, si scit esse abusurum illa, vel isto ?*

R. Minime : quia in hoc casu restitutio esset in damnum alterius, et dilatio in bonum creditoris 1).

Q. *Tenetur quis restituere cum jactura boni superioris ordinis* 2) ?

R. Minime : dominus enim esset irrationabiliter invitus.

Q. *Casus a proprio statu estne causa suspendendi restitutionem ?*

R. Vel cadit a proprio statu juste acquisito, et est causa differendi restitutionem ; dummodo idem periculum non immineat creditori, in quo casu melior esset conditio creditoris. Vel cadit a statu injuste acquisito, et non est causa differendi restitutionem, quia redit ad pristinum.

Q. *In aequali necessitate constituti creditor et debitor, potest iste differre restitutionem ?*

R. Potest differre, si loquimur de necessitate extrema, quia in hoc casu omnia sunt communia ; secus si loquimur de necessitate gravi, quo in hoc casu melior est conditio creditoris.

Q. *Qui habet justam causam suspendendi restitutionem, tenetur postea ad damna causata creditori ex dilatione restitutionis ?*

R. Vel loquimur de debitis contractis ex delicto, et tenetur ; vel loquimur de debitis contractis justo titulo, et subdistinguo : si fuit in mora culpabili, tenetur ; secus non tenetur, quia nulla adest culpa.

Q. *Alienum consumptum tempore necessitatis extremae estne restituendum ?*

R. Si acceptum est ante tempus necessitatis extremae, est restituendum ; si acceptum est tempore necessitatis extremae, subdistinguo : si acceptum est per contractum transferentem dominium, puta per mu-

---

1) Si in hoc casu restituit, et adest damnum tertii, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem, quia cooperatur peccato injustitiae, quod creditor committeret, ac proinde, cum sit concausa damni, tenetur ad reparationem damnorum in defectu creditoris, qui sane est causa principalis. Si tamen ex justa causa restituit, puta quia coactus a judice, vel quia sit passurus simile damnum non restituendo, non peccat, et non tenetur ad restitutionem.

2) Bona alia sunt supernaturalia, puta *gratia, virtutes ;* alia naturalia, quae sunt triplicis generis ; primi ordinis, ut sunt, *vita, libertas, virginitas, sanitas ;* secundi ordinis, et sunt *honor, fama ;* tertii ordinis, et sunt *opes, divitiae.*

tuum, per emptionem, est restituendum, quia consumpsit suum ; si per contractum non transferentem dominium, puta per commodatum, per depositum non est restituendum, quia in hoc casu omnia bona sunt communia.

Q. *Obstrictus debitis potest ingredi in religionem ?*

R. Si debita sunt incerta, potest : si sunt certa, subdistinguo ; vel modico tempore potest debita solvere, et debet differre 1) ingressum in religionem : secus potest ingredi, quidquid dicant alii 2).

Q. *Quid est cessio bonorum ?*

R. Est derelictio omnium bonorum, quam debitor impos ad solvendum facit suis creditoribus. Per hanc suspenditur, non cessat obligatio restitutionis.

Q. *Privatio magni lucri estne causa differendi restitutionem ?*

R. Minime : si tamen hoc lucrum esset necessarium ad satisfaciendum aliis creditoribus, aequum esset, ut creditor permitteret talem dilationem.

De causis quibus tollitur obligatio restitutionis.

Q. *Quaenam sunt causae, quae tollunt obligationem restitutionis ?*

R. Istae : nempe *condonatio*, *compositio*, *compensatio*, et *praescriptio*.

Q. *Quid est condonatio ?*

R. Est relaxatio debiti facta debitori a creditore.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut condonatio sit valida ?*,

R. Istae : ut sit omnino libera, et a jure non impedita

Q. *Estne valida condonatio facta per metum, vel errorem, vel per dolum ?*

R. Minime : quia non libera.

Q. *Condonatio facta partis debiti ob timorem, ne amittatur totum, estne valida ?*

R. Si timor procedit a persona creditoris, est valida ; si incutitur a parte debitoris, est nulla.

Q. *Condonatio facta uni ex concausis exoneratne alias concausas ?*

R. Si condonatio facta sit causae principali, puta mandanti, aliae concausae exonerantur a restitutione. Secus si facta sit concausae minus

---

1) Si iste ingreditur religionem, et profitetur, valida est professio, ex decreto Clementis VIII, sed illicita.

2) Qui professionem emittit obstrictus debitis certis, non liberatur ab obligatione restitutionis ; sed modo quo potest, debet semper satisfacere creditoribus, quia est obligatio naturalis.

principali, puta mandatario. vel concausae aeque principali puta participanti in actione 1).

Q. *Quaenam sunt condonationes impeditae a jure?*

R. Sunt condonatio facta inquisitoribus, visitatoribus, et judici, qui ex causa accessus aliquid accipiunt praeter illud, quod istis a lege taxatum est ; et condonatio facta canonico, qui non interfuit choro.

Q. *Quid est compositio?*

R. Est facultas obtenta a Summo Pontifice applicandi sibi bona incerta 2).

Q. *Quid est compensatio?*

R. Est debiti et crediti inter se contributio.

Q. *Quaenam sunt conditiones, quae requiruntur ad compensationem?*

R. Ut sit valida, requiritur : 1. ut debitum sit certum, et liquidum ; 2. ut sit ex justitia commutativa ; 3. ut fiat ad aequalitatem ; 4. ut fiat de bonis debitoris 3). Ut autem sit etiam licita, requiritur : 1. ut creditor non possit alia via recuperare suum ; 2. ut non adsit damnum tertii ; 3. ut moneatur (ex charitate) prudenter debitor de extinctione sui debiti, ne perseveret in peccato.

Q. *Qui promisit solvere debitum, et juravit, potest uti compensatione, quando debet aliquid accipere a suo creditore ?*

R. Maxime : nam compensatio aequivalet solutioni. Si tamen juravit se non usurum compensatione, tunc non potest ea uti, quia cessit juri suo.

Q. *Famuli possunt aliquid subripere dominis pro compensatione laboris,* QUEM JUDICANT *majorem salario?*

R. Minime : et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. 4).

---

1) Si tres intulerunt alteri ex conspiratione damnum in tercentum. et uni remissa fuit sua obligatio, secundus est impotens. tertius debet restituere tantum centum quinquaginta, quia pars impotentis dividenda est.

2) Si quis obtinuit hanc facultatem, et bona adhuc existunt, si compareat dominus, utrum sint restituenda, quaestio. Aliqui negant, quia per rectam applicationem transfertur dominium, et res evadit propria; alii probabilius et communius affirmant, quia dominium transfertur sub implicita conditione; *nisi dominus compareat.* — Praeter compositionem publicam adest compositio privata, quae fit a confessario, vel alio viro prudente. Si poenitens est pauper, isti ab ipso confessario possunt applicari bona incerta.

3) Hinc adverte, quod valida est compensatio, etiamsi fiat inter debita diversae speciei, seu diversae materiae, quia in debitis non attenditur rei species, sed valor.

4) Hic adverte, quod propositio damnata afficit praecipue illa verba *quem judicant.* Hinc si desit periculum allucinationis, uti si esset evidens, vel si hoc facerent consilio viri probi, vel si dominus non solveret pretium, vel daret merces pro pecunia cum damno famulorum, possunt uti compensatione usque ad pretium infimum. Insuper si servus necessitate compulsus servit parvo pretio, potest uti etiam compensatione usque ad pretium infimum: excipe si necessitas est communis ob multitudinem servorum dominos non invenientium, quia tunc

Q. *Si quis restituit creditori sui creditoris, liberaturne in foro conscientiae ab onere restitutionis ?*

R. Maxime :

Q. *Quid est praescriptio ?*

R. Est acquisitio dominii 1) rei alienae per continuatam possessionem 2), bona fide, et tempore a jure statuto.

Q. *Valetne praescriptio in foro conscientiae ?*

R. Maxime 3).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad praescribendum ?*

R. Istae : scilicet animus possidendi, bona fides 4), titulus, capacitas rei, et tempus a jure praescriptum.

Q. *Quid est titulus ?*

R. Duplex : verus, et coloratus. Verus est ille, qui revera statim transfert dominium ; coloratus est ille, qui esset sufficiens ad transferendum

---

famulatus decrescit pretio. Si tamen servus per vim, vel per metum fuit compulsus servire parvo pretio, potest uti compensatione usque ad pretium medium. Idem dic de operariis, agricolis etc.

1) Dominium concedit facultatem utendi re per omnes usus a jure permissos. Potest esse directum, et indirectum. Primum habetur in ipsa re ; secundum habetur in ordine ad fructus tantum. Dominium rei alienae acquiritur contractu, praescriptione, et jure gentium. *Jure gentium* variis modis acquiri potest, nempe alluvione, implantatione, commixtione, confusione, occupatione etc. Patet quod objectum dominii sunt omnes res, quae usibus humanis subjiciuntur ; subjectum dominii sunt homines, licet possint carere aliquando libero usu ipsius dominii, uti ex. gr. pueri etc. Si vero aliquis habeat jus in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati, vel non facere tenetur in alterius utilitatem, haec vocatur *servitus.*

2) Possessio est triplex : alia naturalis, alia civilis, alia mixta. Prima est detentio rei nomine proprio adminiculo corporis ; secunda est detentio rei adminiculo juris ; tertia est detentio rei adminuculo juris et corporis. At in praescriptione sufficit civilis, minime vero naturalis.

3) Princeps enim vi alti dominii potest in alios transferre dominium rei etiam sine consensu et culpa prioris domini, quando hoc postulat bonum commune, nempe ne dominia rerum essent incerta vel confusa, ne dominus esset negligens in custodiendis rebus suis, ad vitandas lites etc., quae sunt causae, ob quas inducta fuit praescriptio. Hinc praescriptio vim habet ex jure civili, ideo in casibus occurrentibus consulendae sunt dispositiones vigentes ejusdem juris civilis.

4) Bona fides habetur, quando quis credit rem alienam esse suam. Haec requiritur toto tempore praescriptionis, et si interrumpitur, nunquam potest praescribi. Imo praescriptio bona fide destituta, etsi in foro externo sit admissa, in foro conscientiae nullum jus tribuit, ut declaravit Innoc. III, in Conc. Lat. IV. Novus Codex in canone 1512 ait: «Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito. ».

dominium, sed ex aliqua circumstantia re vera non transfert dom nium saltem statim 1).

Q. *Datur praescriptio sine titulo?*

R. Maxime : sed post triginta annos.

Q. *Possuntne omnia praescribi?*

R. Maxime : excepto homine libero, re publica, rebus furtivis in manu furis, ecclesiae juribus, et aliis a jure prohibitis 2).

Q. *Quodnam tempus requiritur ad praescribendum?*

R. Pro mobilibus ex jure Rom. requiritur spatium trium annorum ; ex jure nostro civili si sunt furatae, aut inventae spatium duorum annorum 3) ; quoad caeteras vero sola possessio sufficit 4) ; pro rebus immobi-

---

1) Hinc si quis donat Sempronio equum furtivum, et Sempronius bona fide accipit, dominium statim non acquirit, sed post annos praescriptionis. Adverte, quod res mala fide a testatore possessa, ab haeredibus necessariis vel universalibus non potest praescribi ; haeres enim necessarius vel universalis censetur una persona cum defuncto. Haeres vero particularis, et voluntarius potetst praescribere, quia mala fides non transit a possessore in possessorem.

Titulus coloratus sufficit ad praescriptionem, quia titulus verus non indiget praescriptione.

2) Ex novo codice can. 1509 habetur : « Praescriptioni obnoxia non sunt : 1.° Quae sunt juris divini sive naturalis sive positivi : — 2.° Quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico : — 3.° Iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum : — 4.° Fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius* : — 5.° Eleemosynae et onera Missarum : — 6.° Beneficium ecclesiasticum sine titulo : — 7.° Ius visitationis et obedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint, et nulli Praelato jam subsint : — 8.° Solutio cathedratici ».

3) Cod. ital. art. 2146 dicit : «L' azione del proprietario o possessore della cosa mobile, per riavere la cosa derubata o smarrita, in conformitá degli articoli 708 e 709 , si prescrive nel termine di due anni ».

4) Id est qui rem detinet, ejus dominus censetur , nisi contrarium probetur, unde illud effatum : *Possideo quia possideo.* At hoc ex jure civili, en art. Cod. It. 707. «Riguardo ai beni mobili per loro natura ed ai titoli al portatore il possesso produce a favore dei terzi di buona fede l' effetto stesso del titolo. Questa disposizione non si applica all' universitá dei beni. »Sed hoc valere poterit pro foro externo, in quo utique praesumitur rem ad eum pertinere, qui suam esse affirmat ; at sola possessio nihil definit, cum rem penes se possideant tum veri domini, tum fures quoque et latrones. Dixi *hoc valere poterit pro foro externo*, quia in foro conscientiae repugnat praescriptio sine bona fide. Unde qui a fure vel inventore rem mobilem emit bona fide, tuto credens illam esse propriam venditoris , potest praescribere , et requiritur biennium , uti superius dictum est ; et ideo, eo durante, dominus rei rem repetere potest a quovis possessore : excipe si res empta sit in publicis nundinis, aut mercatis, aut a publico venditore, nempe ab eo, qui hujusmodi res vendere solet. En art. cod. Ital. 709 ». Se peró l' attuale possessore della cosa sottratta o smarrita l' ha comprata in una fiera, o in un mercato, ovvero all' occasione di una vendita pubblica

libus decem annorum, ex cod. ital. *Quoad bona Ecclesiae.* Res immobiles, mobiles pretiosae, jura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur. Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio triginta annorum. Ita novus codex can. 1511.

Q. *Quando dormit praescriptio?*

R. De jure comm. tempore pestis et belli; de jure can. tempore defectus pastoris, rectoris etc.

Q. *Quomodo interrumpitur?*

R. Naturaliter, nempe deveniendo in malam fidem; vel civiliter, nempe per litem motam.

Q. *Quaenam differentia inter dormitionem et interrumptionem?*

R. Haec: per dormitionem tempus praeteritum computatur; secus per interrumptionem.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Q. *Quid est sacramentum?*

R. Sacramentum definitur: Signum sensibile a Christo Domino institutum ad significandam et producendam gratiam sanctificantem.

Q. *Quaenam requiruntur ad conficiendum Sacramentum?*

R. Tria requiruntur: scilicet materia, forma, et intentio ministri.

Q. *Quid materia?*

R. Materia est aliqua res sensibilis per externam ministrationem suscipienti applicata.

Q. *Quid forma?*

R. Forma sunt certa verba, quibus materia ad sacrum usum determinatur.

Q. *Mutatio materiae vel formae irritatne Sacramentum?*

R. Mutatio substantialis materiae vel formae semper irritat Sacramentum, quia amplius non est materia vel forma a Christo instituta: accidentalis vero non irritat ex contraria ratione.

Q. *Quaenam est substantialis, et quaenam accidentalis mutatio materiae vel formae?*

R. Substantialis mutatio materiae est, cum ex communi existimatione et usu non amplius habetur materia a Christo instituta, uti si adhiberetur in baptismo vinum pro aqua. Substantialis mutatio formae est, cum verba ita immutentur, ut idem sensus non amplius habeatur, uti si quis in baptismo diceret: *ego te adjuvo.* Accidentalis vero est, quae non mu-

---

o da un commerciante che faccia pubblico spaccio di simili oggetti, il proprietario non può ottenere la restituzione della cosa sua, se non rimborsando il possessore del prezzo che gli è costato ».

tat substantiam materiae, nec destruit formae sensum, v. g. si quis adhiberet in baptismo aquam calidam, vel non benedictam, aut diceret : *Ego te lavo* 1).

Q. *Quot peccata committit, qui materiam vel formam substantialiter mutat ?*

R. Peccat : 1. contra religionem ob injuriam sacramento illatam ; 2. contra charitatem, proximum privans magno bono spirituali, contra justitiam, si ex officio tenetur sacramentum administrare. Qui vero absque necessitate accidentaliter mutat materiam, si mutatio est notabilis, peccat graviter contra sacramenti reverentiam, et Ecclesiae prohibitionem ; secus leviter 2).

Q. *In sacramentorum administratione potestne adhiberi materia dubia ?*

R. In sacramentorum administratione semper adhibenda est materia certa, et non potest uti dubia : excipe casum extremae necessitatis, in quo sacramentum administrandum est sub conditione ?

Q. *Licetne repetere formam supra eandem materiam ?*

R. Nunquam licet ; gravis enim injuria sacramento irrogaretur. Excipitur. si rationabile adesset dubium de validitate formae jam pro-

---

1) Ex communi Theologorum sententia sex modis contingere potest formae mutatio. 1.° *Additione* ; idest addendo verba, quae sensum formae corrumpunt, uti si dicatur : ego te baptizo in nomine Patris et Filii, et gratia Spiritus Sancti, non fit sacramentum ; si vero sensus non habetur corruptus, uti si dicatur : ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatae Virginis, non mente haeretica, sed ob importunam devotionem, fit sacramentum. 2.° *Detractione* : idest detrahendo verba, quae si ad substantiam formae pertinent, non fit sacramentum, uti si dicatur : ego baptizo, omittendo illud *te* ; si vero detractio erit tantum accidentalis, fit sacramentum, uti si dicatur ; te baptizo, nam illud ego satis includitur in verbo baptizo. 3.° *Variatione:* si verba substituta synonima sunt, adhuc fit sacramentum, quia adhuc remanet sensus formae ; si vero verba substituta non sunt synonima, uti si loco *te absolvo*, dicatur *te muto*, non fit sacramentum. 4.° *Transpositione :* haec ex Angelico facit per se ac generatim loquendo mutationem dumtaxat accidentalem, uti si dicatur : te ego baptizo. 5.° *Corruptione* : haec ex Angelico facilius inducit mutationem substantialem, si fit initio, uti si loco Patris dicatur Matris, quam si fit in fine, uti si loco *calix* dicatur *calis* ; tales enim finales inflexiones satis frequentes sensum non variant in communi judicio. 6.° *Interruptione :* haec erit substantialis, si tollatur orationis unitas, uti si quis dicto : *Hoc est* psalmum recitet, vel multum immoretur, et postea addat *corpus meum*. Aliter est, si quis, v. g. dicto : *ego te*, spueret, silentium imponeret (zitto, tacete) et illico concluderet formam *baptizo in nomine Patris* etc., adhuc esset unitas moralis. In dictis modis igitur mutatio substantialis erit, si sensus destruatur a Christo intentus et institutus ; aliter erit accidentalis.

2) Illa accidentalis mutatio dicitur notabilis, quae omnibus inspectis gravem continet deordinationem, puta si quis in Ecclesia latina uteretur pane fermentato in Eucharistia, aut forma Graecorum in Baptismo, vel in consecratione calicis omitteret illa verba *novi et aeterni testamenti* etc., vel non admisceret parum aquae vino consecrando etc.

latae, tunc enim potest forma repeti sub conditione, ne sacramentum maneat irritum.

Q. *Quaenam conjunctio requiritur inter materiam et formam?*

R. Licet nonnulli admittant illam sufficere conjunctionem, ut statim post materiae applicationem proferatur forma, et contra, tamen ex communi et ad tutius agendum ea requiritur conjunctio, ut forma incipiatur, priusquam perficiatur materiae applicatio, vel e converso. At in Eucharistia habenda est conjunctio physica, alias non verificaretur prononem demonstrativum *hoc et hic*. In poenitentia vero aliquandiu poterit absolutio differri, cum sit instituta ad modum judicii forensis, in quo non semper subito profertur sententia ; tamen praesens esse debet poenitens, ut verificetur pronomen te. In matrimonio denique poterit consensus unius tamdiu sequi consensum alterius, quamdiu hic moraliter censetur permanere, uti fit in contractibus, quorum natura matrimonium imitatur.

Q. *Sacramentum sub conditione administratum estne validum et licitum?*

R. Si conditio est de praeterito, vel de praesenti, validum est sacramentum, modo conditio sit vera, et est etiam licitum, stante justa causa, necessitatis nempe, vel gravis utilitatis. Si vero conditio est de futuro, nullum est sacramentum *in actu*, quia deficit intentio, *adveniente conditione*, est etiam nullum, quia non amplius habetur materia et forma. Quare semper est mortaliter illicitum.

Q. *Quinam sunt sacramentorum ministri?*

R. Ordinarii sacramentorum ministri sunt soli homines viatores ; at non omnes, licet christiani, sed ii tantum, quibus id munus divina et ecclesiastica auctoritate competit.

Q. *Quaenam requiritur in ministro, ut valide conficiat sacramentum?*

R. Requiritur *potestas et intentio*, saltem faciendi quod facit Ecclesia, et hoc ex Trid., ideoque sacramenta mimice, irrisorie et per jocum administrata sunt nulla, uti patet ex Trid., et ex Scriptura 1).

Q. *Quaenam requiruntur in ministro, ut licite conficiat, vel administret sacramenta?*

R. Requiritur fides, et probitas vitae 2).

---

1) Christus enim constituit Apostolos ministros mysteriorum Dei, nempe oeconomos bonorum suorum ; atqui non est bonus et fidelis oeconomus bonorum Domini sui, nisi ille, qui serio peragit negotia Domini sui : ergo sacramenta mimice et irrisorie administrata sunt nulla.

2) Hinc si minister est in peccato mortali, et sermo est de Eucharistiae confectione, debet se confiteri ante sacramenti confectionem ex praecepto novi codicis, can.807 secus peccat.Excipe si urgeat vera necessitas, et desit copia confessarii, quia tunc sufficit contritio cum obligatione confitendi *quam primum*, id est intra triduum. Pro aliis sacramentis sufficit, ut moralem adhibeat diligentiam ad se per contritionem justificandum.

Q. *Quotuplex est intentio?*

R. Intentio definiri potest deliberata voluntas conficiendi id, quod agimus. Potest esse actualis, virtualis, habitualis, et interpretativa. Actualis est illa, quae actu habetur. Virtualis est intentio prius habita, quae in aliqua actione exteriori adhuc perseverat. Habitualis est intentio praeterita, non quidem revocata, quae tamen in actione exteriori non perseverat. Interpretativa est illa, quae nec fuit, nec est, sed adesset, si agens adverteret ad id, quod agit.

Q. *Quaenam intentio requiritur in ministro, ut valide conficiat sacramenta?*

R. In ministro intentio actualis optima est, sed non necessaria, cum non sit totaliter posita in hominis potestate, unde sufficit virtualis; per hanc enim quis vere operatur modo humano, cum sit talis intentio vera actionis causa. Habitualis, et eo minus interpretativa minime sufficit; nam non habetur per illam actio deliberata et humana.

Q. *Si minister errat circa termini sacramentalis significationem, estne validum sacramentum?*

R. Si error, sive sit contra fidem, sive non, est tantum internus, validum est sacramentum; non enim a scientia ministri sacramentum pendet. Si vero externatur, vitiando substantialiter externum ritum, est nullum; si accidentaliter, est validum 1).

Q. *Quid simulatio, quid dissimulatio in sacramentorum administratione?*

R. *Simulatio* est positio alicujus signi exprimentis aliquid contra illud, quod habetur in mente. *Dissimulatio* est omissio signi, ut inde aliquid significetur menti contrarium 2).

Q. *Quotuplex est simulatio, ac dissimulatio?*

R. Duplex est: *formalis*, si directe alterius deceptio intendatur; *materialis*, si quis non intendat directe decipere, sed ex alio motivo, v. g. gravi metu ad simulandum, aut dissimulandum sacramentum inducatur, adeo ut alterius deceptio tantummodo permittatur.

---

1) In Novo cod. can. 1985 dicitur: « Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem. ».

2) Unde simulatio in sacramentis habetur quando a ministro ita ponitur actio sacramentalis, ut exterius non appareat illius fictio seu defectus, ob quem sacramentum redditur nullum, adeo ut proximus necessario decipiatur; uti esset si quis exterius serio ponat materiam, et formam proferat, sed habens intentionem non faciendi quod facit ecclesia, seu sacramentum. Habetur vero dissimulatio, quando haec fictio seu defectus satis apparet exterius, et ideo potest agnosci; uti si non ponatur materia vel forma, sed ejus loco aliud substituatur, ita ut fiat aliquid aliud a sacramento.

Q. *An liceat aliquando ministro simulare vel dissimulare sacramenta?*

R. Nunquam licet ne materialiter quidem simulare Sacramentorum administrationem, quia esset mendacium in re gravissima, et gravis injuria et irreverentia in Christum, cui illudit minister abutendo rebus sacris ab ipso institutis 1). Dissimulatio materialis, secluso scandalo et contemptu, stante causa, licita est; nam non fit injuria sacramento, cum illud non frustretur, neque mendacium committitur, cum non intendatur directa proximi deceptio, sed simpliciter veritas occultatur, quod quidem, justa accedente causa omnes cum D. Thoma permittunt 2).

Q. *Quinam est effectus Sacramentorum?*

R. Omnia sacramenta ex opere operato producunt gratiam sanctificantem, et aliam gratiam, quam Theol, vocant *Sacramentalem*. Tria vero imprimunt etiam characterem, idest Baptismus, Confirmatio, et Ordo.

Q. *An liceat peccatori sacramenta ministrare?*

R. Peccatori publico, sive occulte sive publice petenti denegandum est sacramentum. Peccatori occulto, occulte petenti, pariter negandum est sacramentum 3). Peccatori vero occulto, publice petenti, non est denegandum, excepto sacramento Ordinis. S. Lig. VI. 52. 4).

---

1) Constat etiam ex prop. 20 ab Innoc. XI damnata, quae sic se habet; *Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi*. Hinc in nullo casu licet proferre sine intentione verba consecrationis supra panem, aut absolutionis supra indispositum; vel hostiam non consecratam pro consecrata praebere; vel celebrare missam non proferendo verba consecrationis. Esset etiam causa idololatriae, quae utique est materialis in populo qui fictionem ignorat, non tamen in ipso, qui scienter tribuit fidelibus occasionem hostiam non consecratam adorandi.

2) Hinc licet confessario super indispositum recitare orationem cum signo crucis loco absolutionis, ne adstantes cognoscant ipsum dimitti inabsolutum. Item licet, si poenitens minetur mortem ob negatam absolutionem, recitare super illum aliquam orationem, non jam intendendo deceptionem poenitentis, sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis poenitens se decipiat credens illam orationem esse formam absolutionis.

3) Intellige cum D. Thoma, quando crimen nulla potest tergiversatione celari. Hinc si crimen est certum et poenitentia dubia, denegandum est sacramentum; secus si dubitetur de crimine, quia nemo praesumendus est malus, nisi certo probetur. Attamen semper excipiendum est, quando crimen fuit cognitum ex confessione sacramentali ob inviolabile sigillum.

4) Dictum *est peccatori occulto publice petenti*, quando scilicet maximae populi parti non sit nota ejus actualis indignitas. Ita omnes cum D. Thoma. Ratio deducitur ex incommodis, quae sequerentur ex sacramenti denegatione; orirentur enim scandala et perturbationes in Ecclesia, et praesertim fideles in suspicionem adducti, ne a Sacramentis prohiberentur, ab ipsis recederent. Cf. Gury. — Quaesitum fuit Congr.ni S. Officii «Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus, qui massonicae quidem sectae non adhaerent, nec ejus ducti principiis, sed aliis rationibus moti corpora sua post mortem creman-

Q. *An liceat Parocho assistere matrimonio eorum, qui sunt peccatores publici?*

R. Non licet parocho assistere matrimonio eorum, qui sunt peccatores publici, quia parochus ex officio debet impedire peccata filianorum suorum, qui in tali statu non habent jus, ut illis assistat. Parochus tamen excusari potest, si assistat ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccatis, ut docet S. Lig. VI. 54. 1).

Q. *Quaenam requiruntur, ut quis valide recipiat sacramenta?*

R. Requiritur: 1. *in adultis* intentio sacramentum recipiendi; *in infantibus vero et perpetuo amentibus* supplet intentio Christi et Ecclesiae 2. praevia baptismi susceptio ad alia sacramenta valide recipienda. Intentio autem sufficit, ut sit habitualis, idest aliquando habita, et non retractata. Immo aliquando sufficit, ut sit interpretativa, uti in Sacramento extremae unctionis et confirmationis; in sacramento vero poenitentiae, et in matrimonio debet esse saltem virtualis.

Q. *Quaenam requiruntur, ut quis licite recipiat sacramenta?*

R. Ut quis licite suscipiat baptismum ac poenitentiam praerequiritur dispositio fidei, spei et attritionis, pro reliquis sacramentis status gratiae, sed cum hac differentia, quod ad Eucharistiam suscipiendam praemitti debet ex speciali praecepto confessio et absolutio ab omni mortali; excipe casum urgentis necessitatis, nempe si adesset infamia: 2) ad alia vero sacramenta sufficit praemittere contritionem. S. Lig. IV, 83, 65.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

De Sacramento baptismi.

Q. *Quid est baptismus?*

R. Est *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*, seu sacramentum novae legis ad spiritualem regenerationem a Christo institutum 3).

---

da mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint?» Respondit: *Si moniti renuant*, Negative. *Ut vero fiat aut omittatur monitio*, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim *ratione scandali vitandi*. Die 27 julii 1892.

1) N. Cod. can. 1066 statuit: «Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere, aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus ejus matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua si fieri possit, consulat Ordinarium.»

2) Uti eruitur ex novo codice can. 856.

3) Non convenit inter Doctos quandonam hoc sacramentum fuit institutum; nonnulli volunt fuisse institutum post resurrectionem, cum Apostoli

Q. *Quotuplex est baptismus?*

R. Baptismus est triplex scilicet *Fluminis*, Flaminis, et Sanguinis; primus est sacramentum regenerationis per aquam in verbo; alter est perfecta conversio ad Deum per contritionem, vel amorem Dei super omnia cum voto seu desiderio suscipiendi baptismi sacramentum; tertius est martyrium pro Christi fide perpessum, supplens defectum baptismi. Sed solus baptismus aquae proprie Baptismus in re vocatur. Baptismus flaminis et sanguinis *Baptismus in voto dicuntur* 1).

Q. *Sacramentum baptismi estne necessarium?*

R. Hoc sacramentum est omnibus necessarium necessitate medii, pueris *in re*, adultis saltem *in voto*.

Q. *Quaenam est materia remota baptismi?*

R. Materia remota baptismi est sola aqua naturalis, seu elementaris apta ad abluendum, est de fide 2). Haec autem aqua ad liceitatem debet esse benedicta seu consecrata, et chrismate immixta juxta ritum Ecclesiae, saltem pro baptismo solemni, ita ut graviter peccet, qui in solemni

---

ad baptizandum fuerunt missi; Matth XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. Alii quando Christus Nicodemo exposuit baptismi necessitatem. Joan. III. 3. *Nisi quis renatus fuerit* etc. Alii cum Christus ante mortem Apostolos per civitates Judeae ad praedicandum misit. Matth. X. Marc. III Luc. IX. Alii denique verosimilius, quando in Jordane a Joanne fuit baptizatus.

1) Licet baptismus flaminis et sanguinis vices supplet baptismi fluminis quoad remissionem culpae, et infusionem gratiae sanctificantis cum virtutibus et donis adnexis, tamen ii non eosdem pariunt effectus baptismi fluminis, nempe non habent gratiam sacramentalem, nec imprimunt characterem, quo apti efficimur ad reliqua sacramenta recipienda, familiaeque Christi adscribimur.

2) Certum est, quod sit materia valida: 1. aqua fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum, pluvialis, et quaecumque simplex et pura, quae propriam aquae speciem retineat, nec refert frigida sit, an calida; 2. aqua resoluta ex nive, glacie, grandine, quia servat eamdem substantiam, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem aut odorem; 3. ros, aqua collecta ex vaporibus densatis, vel defluens ex pariete, foliis in tempore nimboso; 4. aqua mineralis, aut mixta cum alia re, modo aqua sit materia praedominans, ita ut juxta usum aut aestimationem hominum adhuc aqua dici possit; 5. aqua venenata, aut fervens, unde infans enecetur. S. Lig. VI, 105.

Probabilius sunt materia apta aquae distillatae cum floribus.

Materia invalida est: 1. lac, sanguis, lacrymae, sudor, saliva, sputum, urina; 2. vinum, oleum, cerevisia, jus densum ex adipe etc.; 3. lutum, atramentum; 4. nix, glacies, pruina, et alia similia, nondum resoluta, quia in hoc statu non sunt aqua naturalis.

Materia dubia est: 1. jusculum valde tenue, lixivium, cerevisia tenuis, aqua ex sale soluto; ita communiter cum S. Lig. VI, 103: 2. humor fluens e vite, aliisque plantis. S. Lig. VI, 104.

baptismo utitur aqua non benedicta, ita communiter. Excipe si haberi nequeat aqua benedicta.

Q. *Quaenam est materia proxima?*

R. Materia proxima baptismi est ablutio, quae tribus modis fieri potest, scilicet immersione, aspersione et infusione.

Q. *Quinam ex praedictis modis est servandus?*

R. Ad validitatem quicumque modus servatur, sufficit ad valorem sacramenti, modo vera et sufficiens habeatur ablutio; Christus enim ablutionem, non abluendi modum praescripsit. Ad liceitatem vero propriae ecclesiae usus sub gravi est servandus, nisi urgeat necessitas.

Q. *Quando vera et sufficiens habetur ablutio?*

R. Vera et sufficiens ablutio habetur, quando tanta aquae copia in corpus baptizandi tactu physico perfunditur, ut communi aestimatione dici possit ablutum, hinc una vel altera gutta aquae ad baptizandum probabilius non sufficit, praesertim si aqua fluit, quia ad baptismum omnino requiritur ablutio. Ita communiter.

Q. *Estne necessarium ut totum corpus abluatur?*

R. Minime: sed sufficit, ut caput abluatur, in quo omnes vigent hominis sensus. Item ad validitatem ablutio non debet esse trina, ita omnes cum D. Thoma; at esset peccatum, et probabilius mortale, hunc ritum omittere absque necessitate, quia esset materia satis gravis, ex eodem Doctore, et Rit. Rom.

Q. *Quid si aqua tangit tantum vestes vel crines?*

R. In collatione baptismatis si aqua tangit tantum vestes, certo invalidus est baptismus; si tangit crines, probabilius validus est. Hinc Laymm. et alii dicunt baptismum in crinibus collatum dubium esse, et ideo in necessitate, si in alia parte praestari non potest, administrandum esse sub cónditione.

Q. *Valetne baptismus collatus in alia parte principali quam in capite?*

R. Quaestio est: utrum valeat baptismus collatus in scapulis, humeris, vel pectore; communissima sententia affirmat; attamen Concina, aliique putant dubium esse talem baptismum; unde merito dicunt Viva, et alii ad majorem cautelam licite posse sub conditione illum repeti.

Q. *Valetne baptismus, si quis in flumen vel puteum infantem projicit?*

R. Quaestio est: utrum valeat baptismus, si quis in flumen vel puteum infantem projiciat, et formam pronunciet. Utraque sententia est probabilis. Bene tamen advertunt Tournely, aliique, quod si talis infans superviveret, esset quidem saltem sub conditione rebaptizandus.

Q. *Baptizaturne valide puer in utero matris, si per aliquod instrumentum aqua tingi possit, etsi nondum pars ulla in lucem prodierit?*

R. Quaestio est 1). Nonnulli negant, alii affirmant. At ex novo codice can. 746 si puer nascitur, iterum sub conditione baptizandus est 2).

Q. *Quaenam est forma baptismi?*

R. Forma baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* sic definivit Conc. Trid... Apud Graecos est: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris* etc. Haec forma est valida ex Instructione Eugenii IV. ad Armenos; sed in sola Ecclesia Graeca licita est 3).

Q. *Quotupliciter potest variari forma baptismi?*

R. Dupliciter haec forma variari potest sive accidentaliter, sive substantialiter; prima non invalidat, secunda invalidat sacramentum 4).

---

1) Nonnulli, negant, quia nemo dici potest renatus, nisi prius natus sit; nam de baptismo dictum est: *Nisi quis renatus sit ex aqua* etc. Addunt auctoritatem Ritualis, quod ait: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.* Sed alii satis probabiliter affirmant (maxime si ablui potest caput), quibus non parum adhaeret Bened. XIV, quia cum infans existit, jam est homo viator, et ideo valide potest baptizari. Non obstat, quod puer adhuc involutus sit in secundina, quia haec censetur veluti pars infantis. At in praxi quoniam non constat certo, utrum baptismus hoc modo collatus sit validus, si puer nascitur, iterum sub conditione baptizandus est. S. Alph. VI. 107. Idque confirmatur ex responso S. Sedis, quae interrogata: « Si in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur, per methodum longe perfectam, perfectiorem, quae nunc adhibetur, aquam sine dubio caput infantis in utero attigisse, debeturne infans iterum sub conditione baptizare post ortum? Sacra Poenit., die 21. Jan. 1897, respondit: *Recurrendum ad S. Cong. Concilii.* S. Cong. Concilii sub die 16 Martii 1897 rescribendum censuit: Servetur decretum S. C.Concilii die 12 Julii 1794, quod ita se habet: *Foetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo sub conditione rebaptizetur.*

2) En statutum a novo codice in dicto canone: « 1.° Nemo in utero matris clausus baptizetur donec probabilis spes sit, ut rite editus baptizari possit. 2.° Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus. 3. Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditione; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub conditione baptizandus. 4.° Si mater praegnans mortua fuerit, foetus ab iis ad quos spectat extractus, si certo vivat, baptizetur absolute: si dubie sub conditione. 5.° Foetus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet. ».

3) Forma et ablutio praestanda est ab uno eodemque ministro, ut valeat Baptismus. Sic non valet, si ipse baptizandus in aquam se immergat.

4) Accidentalis mutatio est: 1. si mutetur idioma, aut pluribus idiomatibus quis utatur; 2. si pro *baptizo* substituatur synonymon puta *lavo, abluo, intingo* etc, quidquid aliqui dicant: 3. si ob balbutiem vel praecipitantiam non recte pronuntientur verba: 4. si verbis transpositis idem habeatur sensus, v. g. *baptizo te ego* etc., aut *in nomine Filii, et Patris*, etc. (contra aliquos); 5. si dicatur *in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii unigeniti* etc, aut *in nomine Patris, qui te creavit* etc.

Probabilius est accidentalis mutatio; 1. si pro *Spiritus Sancti* dicatur *Spi-*

Q. *Quaenam omissio verborum formae redderet invalidum baptismum?*

R. Omissio verbi *ego* non invalidat baptismum. Omissio conjunctionis *et* ante secundam personam, dummodo praeponatur tertiae personae probabilius valet 1). Si omittitur ante tertiam personam, probabilius non valet 2). Si omittitur *in* ante verbum nomine, probabilius valet. Caetera autem verba omnino ad essentiam pertinent.

Q. *Quinam est minister baptismi?*

R. Minister ordinarius baptismi solemnis est sacerdos : sed ejus collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de ejusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur. Extraordinarius vero minister est diaconus ; qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, juxta de causa concedenda, quae ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur. Ita novus codex can. 738-741. 3).

---

ritus Paracliti : 2. dicatur *in nomine Patris, in nomine Filii etc..* aut *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii etc.*

Quaestio est, utrum accidentalis, vel substantialis sit mutatio : 1. si dicatur *in nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque ;* 2. vel *in nomine Ingeniti, Geniti, et Doni :* aut *in nomine Creatoris, Redemptoris, et Sanctificatoris* ; aut *in nomine Omnipotentis, Sapientis, et Boni ;* vel *in nomine primae secundae, et tertiae Personae SS. Trinitatis.*

Substantialis est mutatio : 1.° Si quis dicat *in nominibus Patris* etc. 2.° si dicat : *Ego te baptizo cum Patre, cum Filio etc ;* vel *ex parte Patris, ex parte Filii* etc ; 3.° si dicat *in nomine Patris et Filii, et gratia Spiritus ;* 4.° si adderet nomen B. Virginis mente haeretica. volens significare baptismum conferre *in nomine B. Virginis ;* secus si hoc fiat ob importunam devotionem. 5.° Si omittatur verbum *te.*

Probabilius est substantialis, si dicatur *in virtute Patris,* etc.*; vel in nomine Sanctissimae Trinitatis ; vel in nomine Dei Unius et Trini, vel in nomine trium personarum ;* quia in tali forma non sat distincte exprimuntur singulae personae *Sanctae Trinitatis.*

1)Ratio est, quia juxta communem loquendi usum, quoties plura uni verbo copulativo junguntur, sufficit ut conjunctio *et* praeponatur ultimo nomini, et etiam quia sic intelligeretur Spiritum S. esse distinctum a Patre et Filio.

2) Nonnulli dicunt valere, quia sufficienter explicatur distinctio personarum. Nam ex una parte indoles linguae latinae omnino admittit eam omissionem, ex alia parte nomina illa P. F. S. S., utpote inter se relative opposita jam significant distinctionem personarum. Alii probabilius negant valere, etenim cum nomen Spiritus S. per se non sit *notionale,* sed competat tam Patri tam Filio, nisi particula *et* exprimatur saltem ante ultimum nomen, non sufficienter exprimitur distinctio trium personarum. S. Lig. VI. 116.

3) In can. 739 dicitur : «In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre, ne sui quidem loci incolis. »

In can. 742. « 1.° Baptismus non sollemnis potest a quovis ministrari, servata debita materia, forma et intentione ; quatenus vero fieri potest, adhibeantur duo testes vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit.

2.° Si tamen adsit sacerdos, diacono praeferetur, diaconus subdiacono,

Q. *Quinam est subjectum baptismi?*

R. Subjectum capax baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus 1).

Q. *An valide baptizetur ille, quem minister putat esse alium?*

R. Utique : immo licet sit femina, quam putat esse masculum, quia praesentem et non alium baptizare intendit?

Q. *An valide plures baptizentur?*

R. Maxime sub hac forma : *Ego vos baptizo*, modo simul abluantur, sed extra necessitatis casum hoc illicitum est.

Q. *In dubio an infans vivat, vel sit animatus, potestne baptizari?*

R. Si aliquod dat vitae signum, potest absolute baptizari ; secus sub conditione *si es vivus*. Ita Rit. Rom.

Q. *An possit baptizari monstrum?*

R. Monstra et ostenta semper baptizentur saltem sub conditione ; in dubio autem an unus an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione. Ita novus codex can. 748.

Q. *An possint baptizari infidelium filii?*

R. Ex novo codice can. 750. Infans infidelium etiam invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat. Extra mortis periculum, dummodo catholicae ejus educationi cautum sit, licite baptizatur : 1.º Si parentes, vel tutores, aut saltem unus eorum, consentiant : 2.º Si parentes, idest pater, mater, avus, avia vel tutores desint, aut jus in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant.

Q. *An possint baptizari haereticorum et apostatarum filii?*

R. Ex novo codice can. 751. Circa baptismum infantium duorum haereticorum aut schismaticorum, aut duorum catholicorum qui in aposta-

clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare, vel nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi.

3.º Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet. »

In can. 744. Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad .loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel ab ejus delegato sollemnius conferatur. »

1) In can. 745, Cum agitur de baptismo dicitur : 1.º Parvulorum seu infantium nomine veniunt, qui nondum rationis usum adepti sunt, eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti. 2.º Adulti autem censentur, qui rationis usu fruuntur ; idque satis est, ut suo quisque animi motu baptismum petat, et ad illum admittatur.

In can. 749. Infantes expositi et inventi nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub conditione baptizentur.

In can. 752. 1.º Adultus, nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur; insuper admonandus ut de peccatis suis doleat. 2.º In mortis autem periculo, si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui satis est,

siam vel haeresim vel schisma prolapsi sint, generatim serventur normae in superiore canone 750 constitutae.

Q. *In baptismo solemni requirituine patrinus?*

R. Ex vetustissimo Ecclesiae more nemo sollemniter baptizetur, nisi suum habeat, quatenus fieri possit, patrinum. Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem. Ita in can. 762 1).

Q. *Quaenam requiruntur ut quis (valide) sit patrinus?*

R. Ut quis sit patrinus, oportet: 1.° ut sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi: 2.° Ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus, aut infamis infamia juris, aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus; 3.° Nec sit pater, vel mater, vel conjux baptizandi: 4.° Ab ipso baptizando ejusve parentibus vel tutoribus, aut, his deficientibus, a ministro sit designatus; 5.° Baptizandum, in actu baptismi, per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis. Ita novus codex can. 765.

Q. *Quaenam requiruntur ut quis licite sit patrinus?*

R. Ut quis licite patrinus admittatur, oportet: 1.° ut decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliter justa de causa ministro vi-

---

ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendat se eisdem assentire serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum. 3.° Quod si baptismum ne petere quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione; si deinde convaluerit, et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub conditione baptismus rursus conferatur.

In can. 754. 1.° Amentes et furiosi ne baptizentur, nisi tales a nativitate vel ante adeptum rationis usum fuerint, et tunc baptizandi sunt ut infantes.

2.° Si autem dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. 3.° Baptizentur quoque, imminente periculo mortis, si, antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint. 4.° Qui lethargo aut phrenesi laborat, vigilans tantum et volens baptizetur: at si periculum mortis impendeat, servetur praescriptum sub. n.° 3.

1) In can. 763 dicitur: « 1.° Cum baptismus iteratur sub conditione idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit extra hunc casum in baptismo conditionato patrinus non est necessarius. 2.° Iterato baptismo sub conditione, neque patrinus, qui priori baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit ».

In can. 764. Patrinus unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur.

In can. 768. Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus.

deatur :2.º Non sit propter notorium delictum excommunicatus, vel exclusus ab actibus legitimis, vel infamis infamia juris, quin tamen sententia intercesserit , nec sit interdictus, aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti ; 3.º Fidei rudimenta noverit : 4.º In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat, et expressa habeatur venia superioris saltem localis : 5.º In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia. Ita novus codex can. 766.

Q. *Quinam sunt effectus baptismi ?*

R. Effectus baptismi sunt : 1. remissio omnis peccati tum quoad culpam tum quoad poenam ; 2. collatio gratiae sanctificantis ; 3. impressio characteris, et ideo iterari non potest. Quando vero prudenter dubitatur de ejus collatione aut valore, iterari debet sub conditione.

De Sacramento Confirmationis.

Q. *Quid sacramentum confirmationis ?*

R. Confirmatio est sacramentum, quo per impositionem manus Episcopi et unctionem chrismatis confertur fideli baptizato gratiae augumentum, et robur.

Q. *Quando institutum fuit hoc sacramentum ?*

R. Institutum fuit a Christo secundum aliquos Doctores post resurrectionem.

Q. *Estne necessarium hoc sacramentum ?*

R. Novus cod. can. 787 ait : « Quanquam hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione illud negligere ; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant. »

Q. *Quaenam est materia hujus sacramenti ?*

R. Materia hujus sacramenti *remota* est chrisma confectum ex oleo olivarum et balsamo, benedictum ab Episcopo ; *proxima* est unctio chrismatis in fronte confirmandi cum simultanea illa manus impositione, quando dicit Episcopus : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ;* quae manus impositio est cum unctione conjuncta. Ita communiter.

Q. *Quaenam est forma ?*

R. Sunt verba : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* ab Episcopo prolata.

Q. *Quinam est minister hujus sacramenti ?*

R. Episcopus est minister ordinarius ; extraordinarius potest esse sacerdos ex speciali commissione Pontificis.

Q. *Quinam est subjctum hujus sacramenti ?*

R. Subjectum sunt omnes et soli baptizati, nondum confirmati ; unde infantes vel perpetuo amentes valide suscipiunt hoc sacramentum quacumque aetate. At dicit canon 788 novi codicis : «Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob justas et graves causas videatur.

Q. *Quid requiritur ad validam et licitam susceptionem hujus sacramenti ?*

R. Ad validam et licitam susceptionem hujus sacramenti requiritur intentio, saltem interpretativa ; ad licitam requiritur ; 1. status gratiae, prout dictum est in tract. de *Sacr. in genere*; 2. ut, si usu rationis polleat, sit sufficienter instructus. Ita in can. 786. 1).

Q. *Estne adhibendus patrinus in confirmatione ?*

R. Ex vatustissimo Ecclesiae more in confirmatione adhibendus est patrinus, si haberi possit. Patrinus unum tantum confirmandum aut duos praesentet, nisi aliud justa de causa ministro videatur. Unus quoqie pro singulis confirmandis sit patrinus. Ita novus codex, can. 793-94.

Q. *Quid requiritur, ut quis (valide) sit patrinus ?*

R. Oportet : 1. Ut sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi ; 2. Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus : 3. Non sit pater, mater, conjux confirmandi : 4. A confirmando ejusve parentibus vel tutoribus, vel hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus ; 5. Confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat. Ita novus codex can. 795.

Q. *Quid requiritur ut quis licite sit patrinus ?*

R. Ut quis licite ad patrini munus admittatur, oportet : 1.º Ut sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, judicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur : 2.º Sit ejusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur. 3.º Ut fidei rudimenta noverit. 4.º In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat, et expresse habeatur venia Superioris saltem localis : 5.º In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia. Can. 796.

Q. *Quinam sunt effectus hujus sacramenti ?*

R. Effectus sunt augumentum gratiae, et robur ad fortiter pro fide

---

1) Novus codex in can. 789 ait « Confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni, nec nisi expleto ritu discedant ».

praeliandum ; imprimit characterem, et inducit spiritualem cognationem inter confirmatum et patrinum 1).

De Eucharistia prout est Sacramentum.

Q. *Quomodo definitur Eucharistia ?*

R. Eucharistia, quae vocatur graece *synaxis*, idest *adunatio*, et etiam *viaticum*, quia fidelibus datur, ut peregrinationis suae viam feliciter absolvant, et ad Patriam pergant, definitur : *Sacramentum corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem fidelium refectionem institutum.*

Q. *Quaenam est materia hujus sacramenti ?*

R. Materia est panis triticeus et vinum ex uvis expressum. Panis sive sit azymus, sive fermentatus est materia apta Eucharistiae ; ratio est, quia azymus et fermentatus specie non differunt. Sacerdos vero sub gravi tenetur, Latinus in azymo, Graecus in fermentato juxta suae Ecclesiae ritum consecrare.

Q. *Quid si hujusmodi pani aliquid sit admixtum alterius materiae ?*

R. Si materia admixta est tanta, ut non amplius remaneat panis triticeus usualis, non conficitur sacramentum ; secus vero si adeo modica sit immixta materia, ut communi existimatione adhuc censeatur panis triticeus usualis. Item dic de vino.

Q. *Quid si panis est mucidus, et vinum acescere incipit ?*

R. Si panis est mucidus, seu ad corruptionem disponitur, et vinum acescere incipit, valide consecratur, sed illicite. In dubio an panis vel vinum sit materia idonea, non licet consecrare, ne nullitatis periculo exponatur sacramentum.

Q. *Si in actione Missae sacerdos detegit materiam esse ineptam, quid agere debet ?*

R. Si id advertit ante consecrationem, aliam ponat materiam idoneam, et facta oblatione saltem mentaliter, prosequatur ab eo loco, ubi desivit. Si id advertit post consecrationem, facta oblatione ut supra, consecret novam materiam, incipiendo a verbis *Qui pridie quam pateretur*, vel *simili modo*, prout hostia, vel calix, vel uterque sit consecrandus. Si post sumptionem hostiae aut vini adverterit illam non fuisse idoneam, aliam offerat hostiam, aut vinum, consecret ut supra, statim sumat, atque Missam prosequatur. Materia vero inepta consecrata, si non sit sumpta, sumatur post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel aliis sumenda tradatur, vel alicubi reverenter conservetur.

---

1) Novus Codex can. 797 ait « Ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis. »

Q. *Estne vino admiscenda aqua in confectione Eucharistiae?*

R. Ex gravi praecepto Ecclesiae vino admisceri debet parum aquae ad denotandum aquam et sanguinem, quae de latere Christi exierunt, et unionem Christi cum fidelibus. Unde si sacerdos advertit se non posuisse modicum aquae in vino consecrando, et hoc advertit ante consecrationem calicis, statim ponat eam; si vero post consecrationem calicis, statim ponat eam; si vero post consecrationem, nullo modo apponat, quia admixtio aquae non est de necessitate sacramenti.

Q. *Quomodo materia consecranda debet esse sacerdoti praesens?*

R. Materia consecranda debet sacerdoti esse ita praesens, ut verificentur pronomina *hoc* et *hic* in consecrationne adhibita.

Q. *Quid requiritur, ut valide consecretur materia?*

R. Ut valide consecretur materia, debet ipsa celebrantis intentione determinari, intentione saltem virtuali, et generali, qua intendat sacerdos consecrare materiam ante se consecrandam positam 1).

Q. *Quid dicendum si sacerdos unam credit hostiam consecrare, sed postea duas coherentes detegit?*

R. Si ipse intenderit materiam praesentem consecrare, ambae sunt consecratae; secus vero si expresse intenderit unam tantum consecrare. Idem dic si particulae consecrandae plures postea detegantur, quam credebantur. At in praxi praesumitur sacerdos velle consecrare quidquid est decenter consecrabile.

Q. *Quaenam est Eucharistiae forma?*

R. Forma, consecrationis panis sunt verba: *Hoc est corpus meum:* et forma consecrationis vini sunt verba: *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus.* At licet ex veriori et communiori sententia haec sola verba, non vero alia, quae sequuntur, integram constituunt Eucharistiae formam, quia sola ista verba perfecte significant transubstantiationem panis in corpus et vini in sanguinem Christi, tamen mortaliter peccat sacerdos, si quid de reliquis omittat.

---

1) Certum est necessarium esse de necessitate praecepti consecrare Eucharistiam sub utraque specie. Certum item est ac commune apud omnes, neque etiam in articulo mortis licitum esse consecrare unam speciem ad viaticum infirmo porrigendum. S. Alph. 195. 196. — Ex praecepto Ecclesiae panis consecrandus debet esse figura orbiculari (in Ecclesia Latina) et integra. Licet etiam celebrare privatim in hostia minore, qualis datur laicis, quando alia haberi non potest, et scandalum abest; immo, si causa urgeat, etiam publice die festo, eo quod nullum sit praeceptum, neque constet de consuetudine obligante sub praecepto. S. Alph. VI. 205.

Novus Codex in canone 817 ait: *Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque, extra Missae celebrationem, consecrare.*

Q. *Quinam est minister sacrae communionis?*

R. Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos. Extraordinarius est diaconus de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur 1). can. 845.

Q. *Quinam possunt Eucharistiam suscipere?*

R. Possunt Eucharistiam suscipere soli homines viatores et baptizati, qui habent statum gratiae 2).

Q. *Qua hora potest communio dispensari?*

R. Novus codex canone 867 ait: Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat.

Q. *Potestne communio dari pueris?*

R. Si usum rationis nondum adepti fuerint, illis S. Eucharistia dari non potest; in periculo vero mortis si sciant discernere Corpus Christi a communi cibo illudque adorare, potest, et debet illis ministrare 3).

---

1) Hinc si in casu necessitatis potest praesumi licentia a diacono, non adest peccatum, et effugit irregularitatem. Casus necessitatis esset, si nullus sit sacerdos, qui posset illam ministrare.

2) Ait enim novus codex in can. 855. § 1° *Arcendi sunt ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi* de *eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint* § 2° *Occultos vero peccatores, si occulte petant, et eos non emendatos agnoverit, minister repellat, non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.*

Can.856 ait: *Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat; quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat».*

Licet enim nullus sibi conscius peccati lethalis ad sacram Eucharistiam accedere audeat, nisi prius confiteatur, tamen valde probabile est, quod si quis in peracta confessione aliquod peccatum grave oblitus sit, etsi postea recordetur, potest accedere ad Eucharistiam, et in sequenti confessione illud accusare, modo in confessione universalem habuerit dolorem, per quem peccatum fuit indirecte remissum, quia in peracta confessione probationem, de qua loquitur Apostolus, et quam praecipit Novus Codex, et antea Conc. Trid., suscipiens praemisit.

3) En quomodo exprimitur novus codex can. 854. 1.° Pueris, qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur. 2.° In periculo mortis ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. 3.° Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant.

Q. *Potestne dari amentibus?*

R. Perpetuo amentibus omnino est neganda, quia aequiparantur parvulis. Aliis vero amentibus , qui non semper caruerunt usu rationis sed nunc carent, tunc ipsis dare licet tempore lucidi intervalli, et etiam in articulo mortis, si antea pie vixerint, et nullum adsit profanationis periculum.

Q. *Potestne dari semifatuis?*

R. Semifatuis semper ac sciant distinguere hunc caelestem cibum ab aliis, danda est communio, sed raro, scilicet tantum in articulo mortis et tempore praecepti, quia tunc urget praeceptum, et ipsi sufficientem devotionem concipere possunt.

Q. *Potestne dari mutis et surdis?*

R. Si ex signis constat eos discretionem habere, in articulo mortis et tempore praecepti communio danda est, quia tunc urget praeceptum ; immo si isti sunt praediti non qualicumque discretione, et sufficienter sunt instructi, saepius possunt communicari. Verum mutis, surdis, et simul caecis a nativatate omnino neganda est communio, cum in illis nulla discretio inveniri possit.

Q. *Potestne dari epilepticis et a daemone obsessis?*

R. Epilepticis, dum sunt in paroxismo, non potest dari communio, secus potest. Obsessis a daemone, quando non sunt sui compotes, non potest dari communio ; cum vero sunt sui compotes, Salm. cum aliis recte ajunt Eucharistiam pluries in anno, juxta prudentiam confessarii, istis concedendam esse, cum sit speciale remedium ad daemones arcendos.

Q. *Potestne dari capite damnatis?*

R. Utique potest dari communio ; docet enim Bened. XIV christianae charitati convenire, eos tali tempore sacra Communione muniri, ut perituro corpore, saluti animae, quantum fieri potest, subveniatur. De Synodo lib. VII. cap. 110.

Q. *Communio sub utraque specie estne necessaria?*

R. Communio sub utraque specie sacerdotibus celebrantibus necessaria est, aliis vero fidelibus necessaria non est ; tum quia non fuit a Christo praecepta, neque prohibita , tum quia totus sub quaque specie Christus sumitur. Quisque tamen suae Ecclesiae ritum servare debet. Ita Trid. sess. XXI, et Bened. XIV. 1).

Q. *Quinam sunt effectus hujus sacramenti?*

R. Effectus hujus sacramenti sunt : 1. gratiae sanctificantis augmentum ; 2. venialium remissio ; 3. auxilium ad vitanda mortalia, et

---

1) In can. 869 dicitur: Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, justis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit.

perseverandum in bono ; 4. spiritualis sancta delectatio ; 5. 'pignus futurae gloriae ; 6. aliquando per accidens etiam gratia prima.

Q. *Estne necessarium hoc sacramentum ?*

R. Hoc sacramentum est necessarium non necessitate medii, sed praecepti tum divini, tum ecclesiastici, idest quoad substantiam est divinum, quoad determinationem est ecclesiasticum. Prout divinum obligat in quovis probabili periculo mortis, et pluries in vita. Prout ecclesiasticum obligat semel in anno tempore Paschatis 1).

Q. *Si praeceptum divinum obligat in quovis probabili periculo mortis, potestne Eucharistia pluries dari aegrotis in eadem infirmitate ?*

R. Ait enim novus codex can. 864: « Perdurante mortis periculo, sanctum viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et debet. » Ratio est, quia hoc sacramentum aegrotis datur non solum ad satisfaciendum praecepto, sed etiam in praesidium contra tentationes, quae magis urgent tempore mortis.

Q. *Si quis mane Eucharistiam sumpsit ex devotione, et postea supervenit periculum mortis, estne iterum sumenda Eucharistia ?*

R. Ex novo codice can. 864 habetur: « 1.° in periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur. 2.° Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent.

Q. *Praeceptum Ecclesiae recipiendi Eucharistiam semel in anno, saltem in Paschate, estne adimplendum in propria paroecia ?*

R. Ex novo codice can. 859 habetur : Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia ; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.

Q. *Si quis non adimplevit praeceptum Ecclesiae tempore paschali, teneturne illud adimplere in reliqua anni parte ?*

R. Ex novo codice can. 859 habetur : « Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit ».

---

1) En statutum a novo codice can. 859. 1.° « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.

2.° Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in albis ; sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adjuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum Sanctissimae Trinitatis. »

Q. *In suscipiente Eucharistiam praeter statum gratiae quid requiritur?*

R. Requiritur de praecepto ecclesiastico jejunium naturale, quod non admittit parvitatem materiae, et servari debet a media nocte praecedenti 1).

Q. *Quid requiritur ut frangatur hoc jejunium?*

R. Requiritur: 1. ut id quod sumitur, sumatur ab extrinseco; 2. ut sumatur per modum comestionis vel potationis, hinc per causalem deglutionem pulveris, vel guttae pluviae, vel culicis, vel muscae etc. non frangitur jejunium; 3. ut res sumpta habeat rationem cibi, vel potus, hinc per sumptionem rerum indigestibilium, uti sunt capilli, vitrum, filum sericum, vel laneum, non frangitur jejunium.

Q. *Trajectio reliquiarum cibi, quae inhaerent inter dentes, frangitne jejunium?*

R. Si est involuntaria, certum est apud omnes, quod non frangit jejunium, quia non habet rationem cibi; si vero est voluntaria, controvertitur 2).

Q. *Potestne quis non jejunus quandoque communicari?*

R. Utique: 1. quando sumenda est Eucharistia pro viatico 3); 2. in pe-

---

1) Ita novus codex can. 858. « 1.° Qui a media nocte jejunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum.

2.° Infirmi tamen qui jam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquod per modum potus antea sumpserint.»

Ad quaesitum: Quid intelligendum sit per illa verba *per modum potus* in dispensationibus a jejunio naturali? Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquis. Generalis die 7 Sept. 1897, approbante SS. Pontifice, rescribendum mandarunt: Respondeatur ad mentem, ut in Abellinen, 4 junii 1893. La mente è che quando si dice *per modum potus*, si intende bensì che si possa prendere brodo, caffè, od altro cibo liquido, in cui sia mescolato qualche sostanza, come p. e. semmolino, pangrattato ecc., purchè l'insieme non venga a perdere la natura di cibo liquido.

2) Prima sententia probabilis negat frangere jejunium, quia tales reliquiae non sumuntur per modum cibi, licet ex proposito, sed per modum salivae, sic S. Thomas. Secunda sententia affirmat, quia hujusmodi trajectio, cum ex industria fiat, nova comestio videtur. Hanc sententiam dicit probabiliorem S. Ligorius VI. 279. At rubrica generalis Missalis in paragr. IX. n. 3. sic docet: *Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.*—In praxi potest fieri sacra communio.

3) Juxta sententiam satis probabilem, quae in praxi potest teneri, ad implendum praeceptum annuae communionis infirmus diuturnae infirmitatis non jejunus sacram eucharistiam sumere potest. D' Annibale Summ. T.

riculo ne Eucharistia pereat, vel male tractetur ; 3. quando sumenda est ad complendum sacrificium ; 4. in periculo proximo gravis scandali, vel damni orituri ex omissione sacrificii, vel communionis 1).

De Eucharistia uti Sacrificium.

Q. *Quid est sacrificium Missae ?* 2).

R. Sacrificium late sumptum definitur : *Oblatio externa vel sensibilis cum ejus destructione vel immutatione, soli Deo facta per legitimum Ministrum in supremi ejus dominii protestationem.* Missa vero definitur : *Corporis et sanguinis D. N. J. C. consecratio et oblatio.* Ita S. Ligorius 3).

III n. 290 ait : *Laicis autem non jejunis licet communicare infirmis tantum, et tantum ad satisfaciendum praeceptum paschale, et in periculo mortis.*

1) Si sacerdos recordatur post consecrationem se non esse jejunum, certum est non teneri, nec potest Missam deserere, cum praeceptum divinum perficiendi sacrificium praeponderet ecclesiastico communicandi jejunus ; immo etiam potest pergere, si ante consecrationem recordetur, et absque scandalo, et nota infamiae non possit desistere, v. g. si celebret publice. S. Lig. VI 287-88. Idem tenendum de laico, qui jam ante altare communicaturus extat, et ibi non esse jejunum recordatur, et recedere non potest sine infamia vel scandalo.

2) Ait N. Codex can. 806 : Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario. 552. Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum prudenti ipsius judicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit ; non est autem in ejus potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere.

3) In can. 804 dicitur : 1.° « Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur a Missae celebratione repelli debeat. 2.° Si iis litteris careat, sed rectori Ecclesiae de ejus probitate apprime constet, poterit admitti ; si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia, in qua litat, quovis titulo percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet. »

In can. 807. « Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat ; quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quamprimum confiteatur. » Illud autem *quamprimum* intelligendum est intra triduum, ut ajunt Theologi, non vero cum sacerdos suo tempore confitebitur, uti constat ex prop. 39 damnata ab Alexandro VII. Haec autem obligatio confitendi *quamprimum* in sacerdote est verum praeceptum, non consilium, uti constat ex prop. 38 damnata ab eodem Alex. VII.

Q. *Quare vocatur Missa?*

R. Vocatur Missa a mittendo, ut observat D. Gregorius, quia populus per sacerdotis ministerium hanc oblationem, et suas preces et vota mittit Deo.

Q. *Quotuplex est sacrificium Missae?*

R. Sacrificium Missae est: 1. *Latreuticum*, quatenus specialiter Deo offertur in agnitionem supremi ejus dominii; *Eucharisticum*, quatenus Deo offertur in gratiarum actionem pro beneficiis ab eo collatis; 3. *Propitiatorium*, prout Deo offertur ad obtinendam tum veniam peccatorum, tum remissionem poenae illis debitae; 4. *impetratorium*, prout Deo offertur ad beneficia ab eo per merita Christi impetranda. Conc. Trid.

Q. *In quo consistit essentia sacrificii Missae?*

R. Quatuor adsunt sententiae. Prima tenet consistere in sola oblatione. Secunda in sola sumptione. Tertia, quam tenet S. Alph., et ei probabilior videtur, dicit consistere partialiter in consecratione, in qua ponitur victima, et partialiter in sumptione, in qua victima consumitur. Quarta vero, quae est communior, dicit consistere in sola consecratione, quia communio est pars tantum integralis, et in consecratione habetur tota essentia sacrificii, nempe victimae oblatio, et mystica victimae destructio, seu immutatio.

Q. *Quinam est valor sacrificii Missae?*

R. Valor sacrificii Missae *in se* seu *in re oblata* est infiniti valoris, cum idem sit ac sacrificium Crucis; at non est infiniti valoris quoad applicationem singulis hominibus factam, non ratione ipsius sacrificii, sed quia finita et capacitas et dispositio illorum est, pro quibus offertur.

Q. *Pro quibus potest offerri sacrificium Missae?*

R. Sacrificium Missae offerri potest pro Ecclesia Catholica, pro ipso sacerdote, pro circumstantibus, pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis; at cum offertur pro defunctis, potest tantum offerri pro iis, qui in Purgatorio sunt, non vero pro damnatis, quorum sententia revocari nequit. Quoad vero viventes potest offerri pro omnibus etiam peccatoribus, qui sunt in communione Ecclesiae; hinc non potest offerri pro infidelibus et excommunicatis vitandis, tamen pro istis licet in Missa privatim orare. Utrum vero pro excommunicatis toleratis liceat offerre sacrificium, ex novo codice can. 2262, licet 1).

In can. 917. 1.° Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum omnes Missae gaudent privilegio ac si essent ad altare privilegiatum celebratae. 2.° Omnia altaria Ecclesiae per eos dies, quibus in ea peragitur supplicatio *Quadraginta Horarum* sunt privilegiata.

1) Ait enim novus codex: « Non prohibentur sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro excommunicato applicare: sed si sit vitandus, pro ejus conversione tantum. »

Q. *Potestne sacrificium Missae offerri Sanctis?*

R. Cum sit sacrificium Missae cultus *latriae*, qui Deo exhibetur, sequitur quod non potest offerri Sanctis. Hinc cum dicuntur Missae de Sanctis, tunc sacrificium Deo offertur ad honorem Sanctorum.

Q. *Quotuplex est fructus sacrificii Missae?*

R. Fructus sacrificii Missae triplex est, nempe generalis, specialis, specialissimus. *Primus* pertinet ad omnes fideles, sic enim vult Ecclesia, et exigit Communio Sanctorum. *Secundus* applicari potest cuicumque voluerit sacerdos, sic constat ex communi Ecclesiae consensu. *Tertius* est proprius ipsius sacerdotis, qui debet etiam pro semetipso sacrificium offerre pro peccatis suis, et hinc nemini applicari potest.

Q. *Quid requiritur, ut fructus sacrificii valide applicetur?* 1)

R. Requiritur sacerdotis intentio, qua velit alicui sacrificium applicare. Haec autem intentio poni debet ante, vel in ipsa consecratione. Quare non valet alicui applicare Missam jam celebratam, vel post consecrationem. S. Lig.

---

1) En quid statuit novus codex circa Missarum stipendia.

Can. 825. Nunquam licet 1.° Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata; 2.° Eleemosynam recipere pro Missa quae alio titulo debetur, et applicatur; 3.° Duplicem eleemosynam pro ejusdem Missae applicatione accipere: 4.° Alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione ejusdem Missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione.

Can. 826. 1.° Stipendia quae a fidelibus pro Missis offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis haeredibus facta, *manualia* dicuntur: 2.° *Ad instar manualium* vocantur stipendia Missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco, aut ab iis qui eas applicare deberent secundum tabulas fundationis, et ideo de jure aut Sanctae Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt, ut iisdem satisfiat: 3.° Alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur, appellantur *fundata* seu *Missae fundatae*.

Can. 828. Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint.

Can. 829. Licet sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae jam perceptae perierint, obligatio non cessat.

Can. 830. Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans earundem numerum, hic supputetur secundum eleemosynam loci in quo oblator morabatur, nisi aliam fuisse ejus intentionem legitime praesumi debeat.

Can. 833. Praesumitur oblatorem petiisse solam Missae applicationem; si tamen oblator expresse aliquas circumstantias in Missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, ejus voluntati stare debet.

Q. *Sufficitne ut applicatio fructus Missae sit habitualis?*

R. Ex veriori sententia sufficit, ut applicatio fructus Missae sit habitualis, idest aliquando habita et non retractata, quia applicatio Missae se habet per modum donationis verbalis, quae semel facta valet, donec revocetur. S. Lig. VI, 335.

Q. *Estne valida applicatio, si sacrificium anticipate offeratur pro eo, qui prius stipendium dabit, vel prius morietur?*

R. Minime uti eruitur ex novo codice can. 825.

Q. *Applicatio Missae sub conditione estne valida?*

R. Est valida, si conditio est de praeterito vel de praesenti, modo vera sit conditio; si est de futuro contingenti est nulla, quia tempore applicationis non extat causa ; tunc enim effectus Missae suspensus remanere deberet.

Q. *Si quis a pluribus plura accipit stipendia pro totidem Missis, satisfacitne Missas pro ipsis in confuso applicando?*

R. Si unamquamque Missam pro illis omnibus applicat, tunc satisfacit ; nam, cum sit divisibilis Sacrificii fructus, unusquisque eorum in singulis Missis suam accipit partem; et sic unicuique tribuitur, quod debetur.

Q. *Qui praepropere celebrat missam, peccatne?*

R. Sacerdos, qui solus est minister hujus sacrificii, quanta maxima fieri potest devotione et reverentia, illud peragere debet ; hinc si infra horae quadrantem absolveret, a mortali excusari non potest, licet Missa sit ex brevioribus. Ita S. Lig.

Q. *Quaenam dilatio conceditur pro celebratione Missae?*

R. In novo codice canone 834 habetur : § 1.° Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse prescriptum est, eo omnino tempore sunt celebrandae. § 2.° Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripserit : 1.° Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae ; 2.° In aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro majore vel minore Missarum numero ; 3.° Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore, quo sibi magis placuerit, eas celebrare 1).

1) Ex novo codice can. 835. « Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat.. » — Qui tamen beneficia, capellanias aut legata possident, satis est, ut missarum onera intra annum adimpleant, nisi aliud praescribant tabulae fundationis, uti communiter receptum est. At non essent tuti in conscientia, si post annum onera illa annuatim implenda, differant de mense in mensem; ideo magis quia illae missae ordinarie sunt applicandae benefactoribus jam defunctis suffragandis. Scavini.

Q. *Quid si sacerdos petitam missam pro aliqua die, gravi urgente causa, in alia die celebret?*

R. Certum est non solum graviter peccare sacerdotem, si petitam missam pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro felici partu, prospero itinere, vel navigatione, litę vincenda, ille omittat celebrare intra tempus aptum, sed etiam teneri ad restitutionem stipendii, licet postea missam celebraverit, quia in casu circumstantia temporis pertinet ad substantiam rei petitae, unde transacto eo tempore, non est impleta intentio, ob quam fuit stipendium datum.

Q. *Quid si missae sunt celebrandae praesente cadavere, et ecclesiae rector dimidium missarum sequentibus diebus reservet?*

R. Peccat graviter, conditio enim celebrandi missas in die obitus, praesente cadavere est ob gravem causam, hinc praeteriri non potest sine gravi peccato. Ad restitutionem autem stipendii non videtur obligari, quia, habita missarum applicatione, habetur finis primarius, ob quem missae dispositae erant: excipe si stipendium fuisset pingue; hoc enim in casu, retento stipendio juxta taxam dioecesanam, vel consuetudinem, reliquum restituendum est.

Q. *Quid si sacerdos non celebrat in Ecclesia, altari, nec in die et hora ipsi designata?*

R. Peccat graviter, si hoc pluries agat 1) sine causa, aut sine dispensatione, et fundator altare illud, horam vel diem destinaverit ob gravem causam 2), cum in re gravi infideliter agat 3). Quod si quis, stipendio accepto, deberet missam celebrare in altari privilegiato, et in alio celebraret, non jam teneretur ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandas indulgentias applicabiles pro defunctis, sic enim proportionata compensatio tribuitur S. Alph. VI. 329.

Q. *Sacerdos, accepta eleemosyna, teneturne sub gravi ad missae celebrationem?*

R. Utique: si eleemosyna est gravis. Si est levis, quaestio. At probabilius est gravis, quia qui dedit stipendium, notabile detrimentum spirituale patitur. Ita S. Lig. VI. 317., et alii communiter contra alios. Excipe si stipendium adeo tenue sit, ut missa gratis promissa appareat.

---

1) Idest quatuor vel quinquies in mense, quod si raro id facit, idest semel vel bis in mense, peccat leviter.

2) Puta ob memoriam alicujus gratiae obtentae, vel commodum familiae, aut populi, vel ob specialem cultum alicujus Sancti, et similia. Quod si fundator nullum habuerit specialem finem, vel si causa cessaverit, nempe si familia sit extincta, vel alibi moretur, tunc sacerdos tantum leviter peccabit non servando praedicta.

3) At certo non tenetur ad novam missam celebrandam, quia fundator principaliter censetur intendere missam, quae celebrata fuit. Excipe si stipendium fuit datum sub conditione expressa non satisfaciendi, si aliter agatur.

Q. *An vel quomodo peccet omittens missam gratis promissam?*

R. Si non adfuit vera promissio, sed benevolum tantum propositum ostendit, non peccat. Si reapse promisit, peccat leviter, quia simplex promissio non obligat sub gravi. Si vero, ait Lugo, promittens expresse sub gravi, et ex justitia se obligat, graviter peccat 1).

Q. *Capellanus vel beneficiatus obligatus Missam celebrare quotidie, quid si infirmatur?*

R. Iuxta communiorem sententiam potest se abstinere a celebratione Missae per mensem, dummodo aliud non sit statutum in fundatione ; nam si in fundatione dicitur, quod si non potest per se celebrare, tenetur per alium, non potest hoc privilegio frui 2).

Q. *Quot peccata committit sacerdos celebrans in mortali?*

R. Sacerdos celebrans in mortali quatuor peccata mortalia committit : 1. quia indigne consecrat ; 2. quia indigne sumit ; 3. quia indigne ministrat ; 4. quia ministrat indigno, qui est ipse idem. Ita D. Lig.

Q. *Sacerdos accipiens eleemosynam pro missa potestne eam aliis dare, retenta sibi stipendii parte?*

R. Ex novo codice can. 840 habetur ; 1.° Qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae. 2.° In Missis ad instar manualium , nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus , et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis, in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae.

Q. *Si reditus sunt imminuti , potestne Capellanus a se minuere missarum numerum?*

R. Si absque sua culpa omnes deficiunt reditus, non amplius tenetur Missas celebrare, ex decreto S. C. C. die 7 Junii 1686, et die 8 Aug. 1705. Si reditus deficiunt in parte , distinguendum est : si fundator pro quaque missa congruum designavit stipendium, potest Capellanus Missas minuere , sicut teneretur augere, si reditus augerentur ; tunc enim tot sunt Missae applicandae , quot praebent reditus juxta designata stipendia ; si vero fundator Missarum statuerit numerum absque stipendii determi-

---

1) Theologi conveniunt capellanum, qui per se ipsum ad quotidianam celebrationem tenetur, posse quater vel sexies in anno pro se, vel pro amico aut conjunctis, at sine stipendio, missam applicare. S. Alph. VI. 332.

2) Excipe tamen parochos, aliosque curam animarum habentes, qui, licet infirmi, singulis Dominicis, et festis, etiam suppressis, tenentur in propria ecclesia celebrare, et applicare Missam pro populo , quia haec obligatio nedum personalis est, sed etiam realis ac localis, uti ex S. C. C. die 14. Decembr. 1872., et ex novo codice can. 466.

natione, et deficit stipendium adhuc ordinarium, tunc quaestio est ; alii volunt ad S. Sedem esse recurrendum ; alii tenent posse Capellanum a se Missas reducere juxta stipendium currens ; talis enim praesumitur fuisse fundatoris voluntas, quae quidem esset injusta, si vellet cogere Capellanum celebrare Missas stipe minori justo. S. Alph. VI. 331.

Q. *Qui eadem die duas aut plures missas celebrant, incurruntne in aliquam poenam ?*

R. Ex novo cod. can. 2321 Sacerdotes qui praesumpserint Missam eodem die iterare vel eam celebrare non jejuni, suspendantur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adjuncta praefiniendum.

DE POENITENTIA.

Q. *Quid est poenitentia ?*

R. Poenitentia duplici modo considerari potest : nempe uti virtus, et uti sacramentum. Uti virtus definitur : Virtus supernaturalis, quae peccatorem movet ad detestanda peccata commissa, quatenus sunt offensa Dei, cum proposito non peccandi de caetero, et satisfaciendi divinae justitiae. Uti sacramentum definitur : Signum sensibile a Christo Domino institutum ad delenda peccata post baptismum commissa per actus poenitentis, et per absolutionem sacerdotis.

Q. *In quo conveniunt, et in quo disconveniunt virtus et sacramentum poenitentiae ?*

R. Conveniunt in hoc : tam virtus, quam sacramentum exigunt dolorem et propositum, et justificant peccatorem. Disconveniunt in hoc: virtus poenitentiae, ut justificet, requirit dolorem perfectum ; in sacramento sufficit dolor imperfectus. Virtus poenitentiae fuit quovis tempore omnibus necessaria ; sacramentum vero est proprium christianorum.

Q. *Sacramentum poenitentiae estne necessarium ?*

R. Maxime : omnibus lapsis post baptismum est necessarium necessitate medii in re, vel saltem in voto 1).

De materia sacramenti poenitentiae.

Q. *Quotuplex est materia sacramenti poenitentiae ?*

R. Alia est remota, alia proxima. Materia remota sunt peccata commissa post baptismum 2). Materia proxima sunt actus poenitentis.

---

1) Votum, seu desiderium recipiendi sacramentum poenitentiae continetur virtualiter, seu implicite in actu perfectae charitatis, vel in actu perfectae contritionis, vel in martyrio...

2) Peccatum originale et personalia peccata commissa ante baptismum non possunt esse materia hujus sacramenti, quia tolluntur per baptismum ;

Q. *Quotuplex est materia remota?*

R. Duplex: necessaria et sufficiens, et sunt peccata mortalia nondum rite confessa: sufficiens et non necessaria, et sunt peccata venialia 1), vel mortalia alias rite confessa 2). Utrum peccata mortalia dubia sint materia necessaria, quaestio est 3).

---

dummodo pro peccatis personalibus, si forte adsint, debita poenitentia praemittatur. In actis enim Apostolorum peccatoribus, antequam baptismum recipiant, expresse praecipitur poenitentia, seu contritio: *Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum.* Idipsum elucet ex Trid., sess. VI. cap. 6; et sess. XIV. *de poenitentia*, nempe ait quod de personalibus ante baptismum commissis debet elici actus contritionis. Peccata vero commissa in ipsa susceptione baptismi (e. g. si adultus sine fide, sine spe baptismum suscepit, si dum baptismum suscepit turpe aliquid concupivit, si in peccato mortali existens sine dolore illud suscepit) utrum sint materia hujus sacramenti, quaestio est. Nonnulli affirmant, quia haec peccata, licet sint tempore simul cum baptismo, natura tamen sunt ipsi posteriora. Alii negant, quia talia peccata cum sint commissa, et extant tempore baptismi, per ipsum baptismum tolluntur. S. Alph. IV, 427. Cum igitur sit quaestio, in praxi daretur absolutio sub conditione. Haec indigna baptismi susceptio a theologis *fictio baptismatis* appellatur.

1) Peccata venialia possunt esse materia hujus sacramenti, et oppositum est damnatum a Tridentino, et confirmatur a novo Cod. can. 902.

2) Si quis confitetur peccatum aliquod mortale, alias rite confessum, non tenetur dicere confessario, se alias jam absolutum fuisse ab illo peccato. Excipe si illi peccato adnexa sit reservatio, vel censura, vel alia obligatio, vel aliqua circumstantia mutans speciem peccati, ex. gr. si sacerdos aliquod turpe commiserit ante ordines, tunc enim tenetur dicere confessario jam ab hoc peccato fuisse absolutum, ut confessarius rectum judicium efformet.

3) Quis potest dubitare: 1.° an peccatum commiserit: 2.° an peccatum confessum fuerit; 3.° an peccatum commissum grave fuerit vel leve. Si primum quaestio est, sed juxta communissimam sententiam non tenetur ea confiteri. Ratio est, ait Lig. VI, 473, *quia quisque potest licite se conformare opinioni probabili*, et in casu possidet libertas. Si secundum pariter quaestio est, at juxta communissimam sententiam tenetur ea confiteri, quia ait Lig. VI 477 *obligatio confessionis est certa, et satisfactio est dubia*, ideoque possidet lex. Si tertium pariter quaestio est. Nonnulli affirmant cum D. Thoma esse confitendum, quia non poenitentis, sed confessarii est discernere inter lepram et lepram alias idem esset reus et judex. Alii negant, quia, posito vero dubio, non constat certo de peccato gravi commisso, ergo nec de obligatione confessionis constare potest, ideoque possidet libertas. Gury. T. II. 478. Scavini 303. Ceterum in praxi, ait Lig. VI, 476, *ordinarie loquendo omnino suadenda est poenitentibus confessio mortalium tam negative, quam positive dubiorum, cum id ordinarie prosit ad conscientiae tranquillitatem. Dixi ordinarie nam scrupulosi omnino eximi debent ab obligatione confitendi peccata dubia; ipsi enim tantum confiteri tenentur certa mortalia, et de quibus certe nunquam sint confessi.*

Si quis manifestavit suum peccatum, uti dubium, et post absolutionem recordatur certo ab ipso commissum fuisse, debet denuo illud uti certum confiteri, ut confessarius efformet certum judicium.

Si peccata gravia dubie tantum commissa confitentur, non possunt absolvi, quia administraretur sacramentum cum materia dubia, et nullitati

Q. *Quot sunt actus poenitentis, qui materiam proximam constituunt?*

R. Sunt tres: cordis contritio, oris confessio, et satisfactio.

Q. *Quid est contritio?*

R. Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero. Iste dolor, si concipitur ex motivo amoris erga Deum, dicitur proprie contritio: si concipitur ex motivo imperfecto, puta gehennae, dicitur attritio 1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in dolore, sive sit contritionis, sive sit attritionis?*

R. Debet esse internus, appretiative summus 2), universalis 3), et supernaturalis tam ex principio, quam ex motivo 4).

---

exponeretur; hinc si non additur peccatum certum transactae vitae non possunt absolvi; materia enim sacramenti debet esse certa. Si vero confitentur peccata, de quibus dubitatur, utrum fuerint gravia vel levia, haec possunt absolvi, quia ad minus sunt levia, et peccata levia ex Trid. sunt materia sufficiens hujus sacramenti, et hoc docet etiam novus Codex can. 902.

1) Contritio ab attritione differt non solum ratione motivi, sed etiam ratione effectus. Contritio enim justificat etiam ante receptionem sacramenti, uti ex Tridentino, et quando est multum vehemens, remittit etiam totam poenam. Attritio vero justificat in sacramento.

2) Dolor appretiative summus est, quando quis peccatum, ut summum malorum apprehendit, detestatur, et est deinceps paratus omnia potius mala sustinere, quam iterum peccare.

3) Idest, ut complectatur omnia peccata mortalia commissa. Si quis vero confitetur sola venialia, sufficit, ut detestetur saltem unum; secus absolutio esset invalida. Et quoniam difficile est habere dolorem de levi peccato, potest addere peccatum aliquod grave anteactae vitae, etiam in specie, ex. gr. me accuso de peccatis superbiae, luxuriae etc., ut certa materia habeatur. Ita D. Ligorius, *Hom. Ap.* tr. ult., n. 9 ubi ait: *Propterea curet* (confessarius) *aut poenitentem disponere ad se dolendum praesertim de aliqua levi culpa a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitae anteactae contra aliquod praeceptum* (*sufficit enim ut confiteantur in generali absque numero,*) *ut habeat materiam certam super qua inniti possit absolutio.*

4) Debet dolor esse supernaturalis *ex principio*, idest requiritur, ut concipiatur auxilio gratiae Dei; et supernaturalis etiam *ex motivo*, idest requiritur, ut concipiatur ob motivum a fide propositum, nempe vel ob offensam Dei summi boni, vel ob gehennam, vel ob turpitudinem a fide propositam.

Adverte, quod ex defectu inculpabili doloris datur sacramentum validum, sed informe, idest sine gratia, juxta probabiliorem sententiam. Casus esset, si quis duo mortalia commiserit, unum furti, alterum perjurii; deinde memor tantum furti de ipso dumtaxat confitetur, dolens non ex motivo universali, sed ex motivo speciali turpitudinis, quam habet furtum. Hoc in casu dicunt Auctores praedictae sententiae, sacramentum est validum sed informe, id est sine gratia. Est validum, quia nulla deest pars essentialis ad valorem sacramenti: non *confessio*, cum fiat integra eorum peccatorum, quae memoriae occurrunt: non *dolor*, cum jam adsit circa peccatum confessum; nec *absolutio*, uti supponitur. Est informe, id est talis poenitens non consequitur gratiam, quia ex una parte unum mortale non potest remitti sine

Q. *Requiriturne aliquis amor initialis in attritione?*

R. Maxime: iste tamen amor initialis non requiritur, ut sit praedominans, quicquid dicant alii.

Q. *Quanto tempore potest dolor praecedere absolutionem?*

R. Tanto tempore, ut constituat unum morale cum absolutione. Hinc sufficit, ut dolor sit virtualiter perseverans.

Q. *Qui post absolutionem recordatur alterius peccati, de quo velit novam recipere absolutionem, debetne elicere novum actum doloris?*

R. Distinguo: si dolor conceptus est de omnibus suis peccatis in genere non debet, quia virtualiter perseverat; si vero dolor conceptus est in specie, nempe de illis tantum, quae prius confessus est, debet elicere novum actum doloris.

Q. *Requiritur cum dolore propositum?*

R. Maxime: et probabilius debet esse explicitum; sed post factum, qui bona fide confessus est cum proposito implicito, non tenetur repetere confessiones 1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in proposito?*

R. Ut sit firmum, efficax, et universale 2).

Q. *Quid est confessio?*

R. Est accusatio propriorum peccatorum, facta sacerdoti facultatem habenti, ad obtinendam veniam per absolutionem 3).

---

alio, et ex altera, cum peccator se doleat tantum ex motivo particulari turpitudinis furti, non potest obtinere remissionem perjurii, cujus non meminit, nec dolet. S. Alph. VI, 444.

1) An in sacramento Poenitentiae sufficiat propositum virtuale, sive implicitum, inclusum in dolore, quaestio est. Nonnulli dicunt non sufficere, quia licet dolor includat necessario propositum, tamen Tridentinum, sess. XIV, c. 4, requirit propositum formale, dicens: *cum proposito non peccandi de caetero.* Alii vero dicunt, quod si dolor elicitur ex motivo universali, sufficit propositum virtuale, nempe inclusum in dolore, quia Concilium, loco cit. subdit quod *attritio, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniae, disponit hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento*: ergo quoties has requisitas conditiones habet attritio, jam sufficienter disponit ad sacramenti valorem. Alii vero dicunt, et haec est communis sententia, quod si poenitens cogitat de vita futura, debet formaliter proponere emendationem, quia (juxta Tridentinum) quisque per poenitentiam debet novam inchoare vitam: unde non videtur satis se poenitere, qui cogitans de vita futura expresse non proponit emendari. Secus vero si poenitens nihil cogitet de futuro, puta si quis sit in extremo vitae constitutus, quia in quocumque dolore propositum necessario continetur. Hae duae ultimae sententiae sunt quidem probabiliores, sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi ante factum tutior sententia est sequenda, post factum si quis bona fide cum vero dolore confessus fuerit sine proposito formali, non tenetur confessionem repetere. Lig. VI, 450.

2) Si quis tamen confitetur solum venialia, sufficit ut propositum habeat saltem de uno.

3) Licet leges positivae divinae non obligent cum gravi incommodo, ta-

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in confessione?*

R. Requiritur, ut sit dolorosa, vera, et integra.

Q. *Quid denotat, ut sit dolorosa?*

R. Ut fiat ex animo detestante peccatum 1).

Q. *Quid denotat, ut sit vera?*

R. Ut fiat sine mendacio. Mentiri enim in confessione circa materiam necessariam esset grave peccatum: circa materiam voluntariam, leve.

Q. *Quid denotat ut sit integra?*

R. Ut manifestentur omnia peccata mortalia 2).

Q. *Quotuplex est integritas?*

R. Duplex: materialis et formalis. Prima est, quando quis confitetur omnia peccata mortalia in specie, numero et circumstantiis, prout fuerunt commissa. Secunda est, quando quis in sua confessione aliquid inculpabiliter omittit ob impotentiam physicam, vel moralem 3).

---

men cum aliquid praecipiunt, quod suapte natura praestari nequit sine incommodo gravi, obligant etiam cum gravi incommodo, velut confessio sacramentalis: ratio est, quia *Deus cum instat praecepto, praecurrit auxilio.* Unde si qui summopere erubescit confiteri aliquod peccatum, tenetur illud revelare.

1) An actus doloris debeat praecedere non solum absolutionem, sed etiam confessionem, quaestio est. Nonnulli dicunt, quod debet praecedere confessionem, quia dolor, cum sit materia hujus sacramenti, debet esse sensibilis, nec alio modo potest effici sensibilis, nisi per confessionem; ergo si dolor confessionem subsequitur, non est materia apta hujus sacramenti. Insuper confessio non debet esse simplex narratio, sed accusatio dolorosa, directa ad remissionem peccati obtinendam, et ideo oportet, ut sit a dolore informata. Alii vero communius negant, quia Rituale Romanum, cum agit de sacram. Poenitentiae, dicit: *Audita confessione* (confessarius) *ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur* etc. Unde juxta Rituale Romanum sufficit dolor elicitus post confessionem. At Ligorius ait: «hae sententiae non sunt duae, sed una, quia poenitens peracta confessione, et elicito actu doloris, postea ad pedes confessarii provolutus remanens petendo seu expectando absolutionem non verbis, sed facto peccata confitetur, ideoque verificatur dolorosa confessio». Hinc tutius est elicere actum doloris ante confessionem; quod si fit postea, curet confessarius, ut poenitens post actum doloris dicat: *De peccatis narratis doleo, et me accuso.* Lig. VI, 445.

2) Hinc si quis prius confitetur omnia sua peccata mortalia, et postea alteri confessario confitetur sua venialia, non committit sacrilegium; committeret vero, si prius confiteretur venialia, et absolutionem reciperet, et postea mortalia.

3) Impotentia physica habetur, quando quis non potest peccata sua manifestare, vel ob oblivionem inculpabilem, vel defectu linguae, vel temporis etc. Moralis habetur, quando ex manifestatione peccati probabiliter timetur grave damnum spirituale vel temporale confessarii, poenitentis, vel proximi. Cessante vero impedimento, peccata in confessione omissa seu oblita sunt in sequenti confessione manifestanda, ut directe absolvantur, et oppositum est damnatum ab Alex. VII.

Ob impotentiam physicam ab integritate materiali excusantur; 1. qui ex ignorantia invincibili non agnoscit suum peccatum esse mortale; 2. qui

Q. *Quaenam integritas requiritur?*

R. Requiritur materialis, sed ejus defectu sufficit formalis ex Trid. 1)

Q. *Quaenam circumstantiae sunt manifestandae, ut confessio sit integra?*

R. Mutantes speciem, et in infinitum aggravantes vel minuentes sunt manifestandae ex Tridentino. Circumstantiae vero notabiliter aggravantes, vel minuentes, quando inducunt reservationem, vel censuram, vel restitutionem sunt etiam manifestandae; in aliis casibus quaestio. Lig. VI, 468.

Q. *Actus externus additne aliam malitiam actui interno, et estne exprimendus in confessione?*

R. Nullam malitiam diversae speciei addit actui interno, quia respicit idem objectum; sed aggravat peccatum intra eandem speciem, et

---

post sufficiens examen non recordatur alicujus mortalis commissi; 3. qui defectu linguae minime valet peccata confiteri, uti est mutus; 4. qui defectu temporis nequit omnia dicere, uti si poenitens vel confessarius esset morti proximus, aut proximo periculo amittendi loquelam; 5. ignarus idiomatis non habens confessarium peritum suae linguae: in hoc casu sufficit, ut aliquod peccatum confiteatur, ut directe ab isto, indirecte ab aliis absolvatur.

Ob impotentiam moralem ab integritate materiali excusantur fideles 1. si confessarius probabiliter est peccatum aliis revelaturus; 2. si mulier ex confessione peccati prudenter timeat a confessario sollicitari, tunc enim grave adesset damnum, et ejusdem mulieris, et ipsius confessarii; 3. si quis confessarius suum peccatum vel circumstantiam suo confessario confiteri non possit sine violatione sigilli sacramentalis, uti esset si invalide et culpabiliter absolvisset aliquem, et suus confessarius facile cognosceret quisnam fuerit taliter absolutus: 4. quando ex mora confessionis integre faciendae probabiliter timeatur mors eventura, puta si timeat confessarius se esse inficiendum tempore pestis, vel ex alio morbo contagioso, occidendum ab inimicis, comburendum ex incendio, naufragandum in tempestate etc.; 5. si confessarius ex infirmitate pateretur scandalum in audiendo aliqua peccata, vel in poenitente periculum esset pravae delectationis; 6. quando ob multitudinem moribundorum nequiret confessarius omnes integre audire absque periculo, quod alii morerentur sine absolutione.

Adverte, quod magnus concursus populi nunquam est causa dimidiandi confessionem, et oppositum fuit damnatum ab Innocentio XI.

1) Integritas materialis confessionis est de jure positivo divino. Christus enim instituit sacramentum poenitentiae ad formam judicii, nempe contulit presbyteris potestatem ligandi aut solvendi: atqui judex non potest absolvere, neque condemnare nisi sciat omnia crimina, et circumstantias eis adnexas: ergo integritas materialis est de jure positivo divino. Jam vero jus positivum divinum non obligat cum gravi incommodo: ergo defectu integritatis materialis sufficit integritas formalis.

At certo non excusat ab integritate materiali confessionis difficultas confitendi peccata ipsi confessioni intrinseca, quamtumvis gravis ea sit, quia *confessio sacramentalis*, uti antea dictum est, ex natura sua est essentialiter laboriosa, ac proinde si difficultas gravis v. gr. magna repugnantia, aut vere cunctia in se accusando, aut amissio propriae famae coram confessario ab inte-

semper est aperiendus in confessione, ut confessarius rectum efformet judicium, ob censuras, reservationes.

Q. *Qui non potest manifestare peccatum suum, nisi manifestando complicem, tenetur illud confiteri?*

R. Maxime: complex enim cessit juri suo, nec apud confessarium datur complicis diffamatio 1).

Q. *Qui non potest confiteri, nisi per interpretem, tenetur ad confessionem?*

R. Tenetur in periculo mortis, vel quando diu manere deberet in peccato; in hoc casu tamen sufficit, ut confiteatur unum peccatum, licet veniale, ut directe ab isto, et indirecte ab aliis absolvatur. Lig.

Q. *Quid si poenitens non potest assignare numerum certum suorum peccatorum?*

R. Debet manifestare numerum probabilem, vel saltem statum suae vitae.

Q. *Qui fecit aliquam confessionem invalidam, tenetur cum illa omnes subsequentes confessiones renovare?*

R. Si subsequentes confessiones fecit mala fide, tenetur: secus sufficit, ut illam solam renovet 2).

Q. *Si quis morbo correptus nullo modo potest confiteri, potest absolvi?*

R. Maxime: si dat signa poenitentiae 3). Si vero nec signa dare potest, etiam potest absolvi, sed sub conditione 4).

---

gritate materiali excusaret, plerumque ab accusandis mortalibus fideles excusarentur, et proinde rueret maxima ex parte institutio sacramenti poenitentiae.

1) Adverte, quod confessarius prohibere debet poenitenti manifestationem complicis, quando haec non est necessaria ad integritatem confessionis. Confessarius vero extra necessitatem interrogans de complice graviter peccat canone 888. – Quod si necesse est manifestare nomen complicis, ut rectum efformet judicium, non peccat; si vero requiritur ad malum avertendum, tunc confessarius poenitentem suadeat, ut illi manifestet, cum possit avertere malum et scandalum impedire. Quod si poenitens rogat confessarium, ut ipse hanc correctionem faciat, ne facile hoc munus accipiat, quia plerumque non expedit. Lig. VI, 492.

2) Qui omnes confessiones suas fecit invalidas, tenetur ad confessionem generalem.

3) Si inter confitendum vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela poenitenti deficiat, sacerdos nutibus et signis conetur, quoad fieri poterit, peccata illius cognoscere, et eundem ad contritionem disponere. Peccatis utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium per se vel per alios ostenderit, poenitens absolvatur absolute; si vero, usu sensuum amisso, nullum confitendi desiderium ostenderit, aut de ejus dispositionibus quomodocumque dubitetur, sub conditione absolvatur. Ita N. Cod.

4) Et hoc dicendum etiamsi sit in actu peccati, puta adulterii, duelli, ebrietatis etc., quia recte praesumi potest in periculo vitae velle unumquemque

Q. *Potest confessio fieri, vel absolutio dari per epistolam, vel per internuncium?*

R. Minime : et est damnatum a Clem. VIII. Debet enim fieri confessio sacerdoti praesenti, saltem praesentia morali, quando nempe elatiori voce potest audiri 1).

Q. *Quid est satisfactio?*

R. Est poena temporalis a confessario imposita poenitenti ad Dei justitiam satisfaciendam 2). Est vindicativa vel medicinalis ; in re vel in voto. In voto, seu in intentione est pars essentialis sacramenti ; in re, seu in executione est pars integralis.

Q. *Quaenam opera imponi debent pro satisfactione?*

R. Ea, quae reducuntur vel ad orationem, vel ad jejunium, vel ad eleemosynam 3).

Q. *Quid post absolutionem aliud peccatum confitetur, et novam accipit absolutionem, debet illi confessarius novam imponere satisfactionem?*

R. Licet alii aliud sentiant, novam satisfactionem, saltem levem imponere debet, uti sentit etiam D. Ligorius.

Q. *Qui satisfactionem non adimplet, peccat graviter an leviter?*

R. Si non adimplet satisfactionem gravem impositam pro peccatis

---

propriam aeternam salutem, et se poenitere peccati commissi: nec non praesumi potest, quod det signa poenitentiae, quae ab adstantibus non percipiuntur. Nonnulli excipiunt haereticos qui de professo confessionem abhorrent : at merito alii affirmant etiam posse sub conditione hos absolvi ; possent enim in illo instanti lumen gratiae recipere.

1) Unde absolvi potest poenitens, qui e confessionali recessit inabsolutus se absolutum existimans, si certo constet esse adhuc intra paucos passus. In dubio autem sufficientis praesentiae, vel dispositionis poenitentis, absolutio danda est sub conditione : *si capax es* : modo gravis adsit necessitas, puta quando quis ab alto ruit, in mare submergitur, in magno conflictu etc.

Sacrae Poenitentiariae propositum fuit : Utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium ? S. Poenitentiaria die 2 julii 1884 rescripsit : *Nihil est respondendum.*

2) Generatim loquendo imponenda est satisfactio ante absolutionem, ratio est, quia sic reservatur judicii ordo, qui exigit ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. Si autem confessarius ex oblivione poenitentiam ante absolutionem non injunxerit, eam post absolutionem imponere debet. Non est tamen grave poenitentiam post absolutionem imponere ; imo probabiliter omni culpa vacat, si praesumatur poenitentem opus ipsi injunctum accepturum esse. S. Lig. VI. 514

3) Opera aliunde praecepta imponi non debent, nisi in casu necessitatis. Adverte, quod si confessarius obliviscitur satisfactionem imponere, tenetur poenitens illum rogare, ut imponat : satisfactio enim semper imponenda est, excepto tantum casu, quo quis morti proximus nec etiam levissimam (uti percussionem pectoris, invocationem SS. Nominis Jesu) posset implere, hoc enim in casu sufficit intentio implicita eam adimplendi, quae praesumitur. Confessarius vero in imponenda satisfactione sufficit, ut recordetur status poenitentis.

gravibus, nondum rite confessis, peccat graviter ; si levem pro venialibus leviter. In aliis casibus, utrum peccat graviter vel leviter, quaestio 1).

Q. *Qui satisfactionem adimplet in statu peccati mortalis, satisfacit suae obligationi ?*

R. Maxime : quicquid dicant alii. Verum non excusatur a culpa veniali.

Q. *Potest poenitens adimplere suam satisfactionem per alium ?*

R. Minime : et oppositum est damnatum ab Alex. VII, 2).

Q. *Potest poenitens suam satisfactionem commutare in melius ?*

R. Minime : quia haec commutatio est actus jurisdictionis.

Q. *Potest confessarius commutare in confessione satisfactionem ab alio confessario impositam ?*

R. Maxime : quando adest causa 3). Si vero satisfactio imposita sit a superiore pro peccatis reservatis, et adest justa causa eam commutandi, et non potest poenitens facile adire superiorem, potest etiam confessarius

---

Expedit, ut satisfactio quamprimum adimpleatur, nisi tempus sit a Confessario designatum ; unde ex D. Lig. non peccat, qui eam differt per mensem, modo non sit medicinalis, et in posterum fieri possit. *Hom. Ap. XVI*, 57.

1) Ex Bened XIV, materia gravis censetur illa, quae excedit quinque *Pater, Ave, Gloria.*

2) An possit cum alio satisfactio sacramentalis adimpleri, quaestio est. Alii absolute affirmant posse poenitentem cum socio sacramentalem satisfactionem implere, quia hoc opus imitatur onus divini officii, quod utique potest recitari cum socio etiam ad illud non obligato. Alii vero affirmant hac limitatione, scilicet si imponantur preces, quae ex Ecclesiae usu, aut fidelium praxi alterne recitari soleant, uti officium, rosarium. Alii probabilius absolute negant ; poenitentia enim non est dividenda, sed integre persolvenda ab eo, qui poenam ferre debet de suis peccatis ; et huic sententiae consentanea est praxis. Nec valet paritas, nam officium et aliae preces alternatim recitari solitae non sunt poena, utpote poenitentia sacramentalis, quam peccator totam sustinere debet. Excipe tamen si id permiserit confessarius, a cujus voluntate tota pendet satisfactionis obligatio.

3) Utrum autem poenitens teneatur confessionem factam repetere, sic respondendum est : si confitetur eidem Confessario, non erit opus eam repetere, dummodo Confessarius adhuc confuse recordetur status ejus conscientiae. Si vero confitetur alteri, duplex est sententia. Nonnulli dicunt repetendam esse confessionem, quia confessarius non potest poenitentiam commutare, nisi in judicio sacramentali ; hoc autem judicium non potest exercere, nisi poenitens sua peccata confitetur. Insuper, ut docet Tridentinum, poenitentia non solum debet esse punitiva, sed etiam medicinalis ; jam vero non potest confessarius convenientem medicinam poenitenti applicare, nisi sua peccata cognoscat : ergo debet confessionem repetere. Alii vero dicunt non esse repetendam confessionem, quia in hac secunda confessione non agitur de judicio ferendo super culpis delatis in confessione praecedenti, ubi judicium jam fuit efformatum, sed tantum agitur de poenitentis impotentia sive imbecillitate ad poenitentiam implendam. Insuper confessarius commutando poenitentiam in aequalem vel minorem, bene potest praebere medicinam peccatis antea

commutare. Facta tamen commutatione, potest poenitens licite redire ad primam satisfactionem.

Q. *Potest adimpleri satisfactio ante absolutionem?*

R. Maxime.

Q. *Quaenam causae excusant ab adimplenda satisfactione?*

R. Impotentia vel nullitas confessionis 1).

Q. *Potest satisfactio applicari etiam defunctis?*

R. Maxime: Ex opere operato prodest poenitenti, et ex opere operantis defunctis.

De forma Sacramenti poenitentiae.

Q. *Quaenam est forma hujus sacramenti?*

R. *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Verba *te absolvo* juxta omnes sunt de essentia; a *peccatis* est quaestio; alia verba per omnes non sunt de essentia 2).

---

confessis, vel imponendo poenitentiam aequivalentem, vel poenitentiam datam minuendo juxta dispositionem poenitentis. Ceterum iidem defensores primae sententiae fatentur eo casu non esse opus singula peccata repetere, sed tantum praecipua, quantum sufficit ad notitiam confusam habendam status poenitentis.

1) Quando nulliter recepta est absolutio, non confectum est sacramentum, et per consequens non adest obligatio adimplendi satisfactionem.

Quando satisfactio evadit impossibilis ob impotentiam physicam vel moralem, cessat obligatio eam adimplendi. Hinc poenitens oblitus satisfactionis sibi impositae, uti dicunt multi DD. apud D. Ligorium, non tenetur denuo confiteri peccata sua alteri confessario, ut alia sibi imponatur satisfactio.

2) En modus utendi praedicta forma ex Rit. Rom. Confessarius, injuncta poenitenti, et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.* Deinde, dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus, Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius te absolvo ad omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (*si* poenitens sit clericus saltem tonsuratus) *et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum augumentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.*

Vox *Deinde* pertinet ad verba Formae, uti eruitur, ex Rituali Romano Ratisbonae impresso (editio prima post typicam), et a S. Rituum Congregatione recognito, et approbato die 30 Maji 1888. Ratio est, quia haec vox in hoc Rituali nigro charactere est impressa, ideoque non potest haberi uti rubrica. Hinc finita est hodie quaevis quaestio.

Q. *Absolutio sub conditione data estne valida?*

R. Si conditio est de futuro, est nulla 1); si est de praeterito vel de praesenti, et conditio est vera, est valida, et stante causa, est etiam licita. Sufficit autem, ut conditio sit mente retenta 2).

Q. *Absolutio a censuris estne praemittenda absolutioni a peccatis?*

R. Maxime: alias illicite absolveret confessarius 3).

Q. *Cui danda, cui neganda, cui differenda est absolutio?*

R. Absolutio danda est poenitentibus, quos confessarius prudenter et probabiliter judicat esse dispositos; neganda indispositis; differenda dubie dispositis, vel quibus dilatio censetur profutura; nisi urgeat necessitas absolvendi, quia tunc sub conditione istis tribuenda est 4).

1) Unde si diceret sacerdos: *Te absolvo, si restitues*, haec absolutio est nulla tum in actu, tum quando verificatur conditio. Est nulla in actu, quia confessarius in actu non intendit absolvere, sed quando postea restituet. Est nulla quando verificatur conditio, quia deest materia (id est confessio et dolor, et forma), quae jam desierint adesse. An autem valide absolveret confessarius sic dicens: « *absolvo te, si Deus cognoscit quod restitues* ». Affirmant nonnulli apud Croix, quia tunc jam apponitur conditio de praesenti, cum Deo omnia futura sint nota. Sed huic opinioni rectius contradicunt alii, quia cum Deus commiserit administrationem sacramentorum cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi conditio, quae non possit cadere sub humana cognitione. S. Alph. VI. 26.

2) *Si sacramentum sit ministrandum sub conditione, nullatenus requiritur, ut conditio ore exprimatur, sed sufficit mente retenta.* Ita S. Lig. VII. 29.

3) Est valida absolutio, non praemissa absolutione a censuris, quia prohibitio Ecclesiae nequit invalidare sacramentum, cujus valor pendet a jure divino, cum omnia ad illud requisita essentialia concurrant. S. Lig. VI. 430. Sed illicita, quia contra gravem Ecclesiae prohibitionem; unde graviter peccaret sacerdos, si secus ageret. Excipe si agatur de suspensionibus et interdictis (dummodo non sit quis specialiter suspensus aut interdictus), quia istae censurae non privant per se receptione sacramenti poenitentiae. Quapropter si nulla adest probabilis suspicio quod poenitens aliquam censuram incurrerit, confessarius eum absolvendo, non praemissa absolutione a censuris, non peccaret. Ad licite etiam absolvendum requiritur, ut confessarius, dum absolvit, efformet saltem judicium de statu conscientiae poenitentis, aut recordetur poenitentiae injunctae, ex qua poterit efformare judicium de statu vitae. At casu, quo confessarius non haberet notitiam saltem confusam status poenitentis, non potest licite absolvere, quia tunc non posset convenientem imponere poenitentiam. Lig. VI, 592.

4) Dispositi dicuntur, qui integram fecerunt peccatorum confessionem, et habuerunt verum dolorem, propositum, ac satisfaciendi voluntatem. Illi vero, quibus aliquid ex his deest, indispositi appellantur. Unde absolvendi non sunt: 1.° qui nulla dant signa doloris, vel uti nolunt remediis necessariis ad emendationem; 2.° qui, cum possint, rem alienam, vel famam laesam restituere, recusant; 3.° qui odium et inimicitias non deponunt; 4.° qui publicum scandalum dantes illud tollere non curant; 5.° qui occasionem proximam voluntariam deserere nolunt, ut ex Rit. Rom.; 6.° ignorantes mysteria fidei necessaria necessitate medii ad salutem juxta prop. ab Innoc. XI damnatam. Dubie

De ministro hujus sacramenti.

Q. *Quinam est minister sacramenti poenitentiae?*

R. Est sacerdos, qui habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam 1).

---

dispositi illi censentur, qui dubia signa verae contritionis, vel sincerae emendationis praebent.

1) Jurisdictio generatim sumpta est quaedam potestas moralis regendi subditos. Jurisdictio ecclesiastica duplex est; alia in foro externo, et est potestas ferendi leges, infligendi poenas etc.; alia vero in foro interno, et potestas est absolvendi, vel ligandi in tribunali Poenitentiae. Insuper Jurisdictio potest esse ordinaria, et delegata. Ordinaria est illa, quae alicui competit ratione officii habentis adnexam curam animarum. Delegata est illa, quae alteri datur ab habente ordinariam.

N. Codex in can. 873 dicit: 1.º Ordinaria juisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt. 2.º Hac eadem jurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae, et Superiores religiosi exempti pro suis subditis ad normam constitutionum. 3.º Haec jurisdictio cessat amissione officii, et post sententiom condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto.

Nota. Poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a jure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis. Ita codex in can 401.

Novus codex in canone 881 dicit: 1.º Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata jurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cujusque ritus orientalis, valide et licite absolvere. 2.º Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum.

In can 882. In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibsusvis peccatis aut censuris quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus.

In can. 883. 1.º Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cujusvis portus interjecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat, vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis. 2.º Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium, qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis.

In can. 2366. Sacerdos qui sine necessaria jurisdictione praesumpserit

Q. *Adsunt casus, in quibus sacerdos non confessarius valide absolvit?*

R. Maxime: in articulo vel periculo mortis 1), aut quando adest titulus coloratus et error communis 2), quia in his casibus Ecclesia supplet jurisdictionem ob bonum animarum.

Q. *Quotuplex est officium confessarii?*

R. Ministri, judicis, medici, et doctoris. Hinc in confessario requiritur probitas vitae, scientia conveniens, et multa prudentia 3).

---

sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus.

1) Articulus mortis est, quando mors probabiliter imminet, uti si quis esset in extremis constitutus. Periculum vero, quando mors probabiliter timetur, uti in gravi infirmitate, in bello, difficili partu, periculosa sectione. Sic etiam secundum aliquos habetur periculum, si quis longam aggrediatur navigationem, in probabili reperiatur periculo incidendi in amentiam, vel sit in captivitate sine spe libertatis.

2) Titulus verus est ille, qui revera confert jurisdictionem. Coloratus est ille, qui per se esset sufficiens ad conferendam jurisdictionem, uti Episcopatus, Paroecia, approbatio Episcopi, sed ob aliquem defectum non confert, puta ob excommunicationem, simoniam etc. Error communis habetur, quando putatur aliquem habere jurisdictionem, quam revera non habet. Hoc posito solus titulus coloratus absque errore communi non sufficit ad valide absolvendum, quia adest mala fides. An vero sufficiat solus error communis absque titulo colorato, quaestio. Est magni ponderis pro sententia negativa responsum Congreg. Concilii, quae interrogata: an Capucini, qui in Patavina Dioecesi confessiones exceperant sine licentia Episcopi illius Dioecesis, valide absolvissent, quia aliqui ex his erant in aliena Dioecesi approbati, alii vero ab Episcopo quidem Patavino ad annum, sed jam elapsum, respondit: *illicite et invalide confessiones excepisse, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.* Die 11. Dec. 1683, Bened. XIV, Notif. 84; Scavini, lib. III, n. 479.

Praeter praedictos casus sacerdos non approbatus nec etiam a solis venialibus valide absolvit. Imo approbatus in una dioecesi nulliter absolvit in aliena dioecesi; excipe Parochum, qui suos filianos valide ubique absolvit.

Hic adverte, quod confessio potest esse nulla vel ex parte confessarii, vel ex parte poenitentis. Ex parte confessarii, quando ei deest jurisdictio, vel quando non profert verba essentialia formae, vel quando deest intentio; ex parte poenitentis, quando deest unus ex tribus actibus poenitentis.

3) Multa prudentia, idest in monitione, instructione et interrogatione poenitentis, qui aut ignorat, aut necessaria omittit. Hinc si confessarius extra confessionem scit certo aliquod peccatum poenitentem commisisse, et alium confessarium non adiisse, nec ullam rationabilem causam habere illud non manifestandi, debet eum interrogare, et nisi peccatum confiteatur, non potest absolvere, quia est indispositus. Si vero hoc scit ex confessione alterius, debet prudenter generales interrogationes facere, et omnia media caute adhibere, ut peccatum confiteatur; at si nullo modo obtinere potest, et periclitatur sigillum sacramentale, quid agere debet? Nonnulli dicunt, quod potest eum absolvere, quia confessarius est in vera conscientia perplexa: aut enim non

De sigillo sacramentalis.

Q. *Quid est sigillum sacramentale?*

R. Est strictissima obligatio reticendi omnia, quae audita sunt in confessione, in ordine ad absolutionem 1).

Q. *Quo jure est servandum?*

R. De jure naturae, de jure divino positivo, uti constat ex Traditione : et de jure ecclesiastico, ex poenis 2).

Q. *Potest in aliquo casu sacramentale sigillum aperiri?*

R. In nullo, nisi de expressa, et omnino libera licentia poenitentis. Imo nec etiam extra confessionem, cum ipso poenitente potest confessarius, nisi de ejus licentia, loqui de peccatis in confessione auditis.

Q. *Peccata venialia cadunt sub sigillo?*

R. Venialia in specie cadunt ; dicere autem, quod poenitens confessus sit venialitatem in genere, per se non est violatio sigilli.

Q. *Peccata publica cadunt sub sigillo?*

R. Si confessarius ista scit extra confessionem, non cadunt; sed prudenter agendum.

Q. *Potest confessarius uti scientia per confessionem acquisita?*

R. Si adest directa vel indirecta confessionis revelatio, aut gravamen aliquod poenitentis, non potest 3).

---

absolvendo violaret sigillum sacramentale, aut absolvendo administraret sacramentum nullum : jàm vero in conscientia perplexa debet eligi, quod est minus malum, et minus malum est administrare sacramentum nullum, quam violare sigillum sacramentale, ideoque potest confessarius illum absolvere, nec peccat, quia agit sine libertate. Alii dicunt absolvendum esse sub conditione. Alii denique dicunt, quod debet recitare aliquam precem fingendo eum absolvere. *Melius meo judicio*, ait Ligorius, *sentit* Croix *quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis.* Lig. VI. 631. ; Quaestio igitur est.

1) Hinc cadunt sub sigillo peccata mortalia, venialia in specie, poenitentia gravis, circumstantiae ad explicanda peccata, virtutes ad ingratitudinem patefaciendam, defectus naturales in confessione cogniti, si horum notitiam confessarius acquisivit per confessionem, et ab aliis ignorantur. In dubio autem, an aliquid in confessione auditum cadat sub sigillo, omnino affirmandum, quia possessio stat pro sigillo.

2) Ex novo codice can. 2369. « Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis de quibus in can. 2368, id est suspendatur ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro gravitate delicti inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur ».

In fractione hujus sigilli adest semper peccatum contra fidelitatem, contra justitiam, et contra religionem.

3) Per gravamen intelligitur quidquid odiosam reddit fidelibus confes-

Q. *Quinam alii, praeter confessarium, tenentur ad hoc sigillum?*

R. Omnes, qui mediate vel immediate, licite vel illicite audierint dicta in ordine ad absolutionem 1).

Q. *Quotuplici modo potest violari sigillum?*

R. Directe vel indirecte; directe, quando expresse aliquid manifestatur sub sigillo cadens; indirecte, quando verbis vel signis aliqua suspicio datur de peccatis confessis.

De reservatione.

Q. *Quid est reservatio casuum?*

R. Est restrictio jurisdictionis in ordine ad aliquod peccatum, vel censuram 2).

---

sionem. — N. Cod. in can. 890 ait: Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo.

1) An teneatur ad sigillum, qui legit chartam, in qua poenitens scripsit confessionem? Quaestio est, sed communissima et probabilior sententia negat, quia obligatio sigilli sacramentalis non provenit nisi ex actuali confessione, et scriptura illa non est confessio, sed tantum praeparatio ad confessionem, unde poenitens acquirit jus sigilli tantum apud confessarium, cui chartam praebet ad absolutionem obtinendam, non vero apud alios, qui illam extra actum confessionis legere queunt. S. Lig. VI. 650.

2) Duo igitur sunt obnoxia reservationi nempe peccata et censurae et a Superiore potest negari jurisdictio vel tantum ad absolvendum peccatum, vel tantum ad tollendam censuram, si est peccato adnexa, vel ad utrumque. Casus Papales, censuram habent, et principaliter propter censuram reservantur. Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos. Ita in can. 894. Casus vero Episcopales principaliter sunt reservati propter peccatum, licet peccatum adnexam habeat censuram. Reservatio afficit directe confessarium, indirecte poenitentem. Hinc potest confessarius absolvere poenitentem a peccatis reservatis in dioecesi poenitentis, quae non sunt reservata in dioecesi confessarii. Excipe si poenitens habeat censuram *ab homine* per sententiam specialem; in hoc enim casu potest tantum absolvi ab eo, qui eam inflixit, ne ordo perturbetur; haec enim censura specialiter est Superiori reservata. Dicitur censura emanata *ab homine* per sententiam specialem ea, quae infligitur a Superiore per modum praecepti contra aliquam personam. Unde si censura in aliqua dioecesi est *a jure* vel *ab homine* per sententiam generalem, potest extra dioecesim absolvi, quia in aliena dioecesi, nempe in dioecesi confessarii, haec censura non est reservata; etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex ea discesserit. Ita in can. 900, 2247, § 2.

In novo codice can. 897: Casus reservandi (nempe ab Ordinariis) sint pauci omnino, tres scilicet vel, ad summum, quatuor ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis; ipsa vero reservatio ne

Q. *Quaenam peccata solent reservari?*

R. Mortalia graviora, externa 1), et consummata seu completa.

Q. *Peccata dubia censentur reservata?*

R. Si sunt dubia facti, non sunt reservata; si vero dubia juris, quaestio; at probabilius non sunt reservata 2).

---

ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium extirpandum, et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam.

In can. 899 § 1.° Statutis semel reservationibus (ab Ordinariis), quas vere necessarias aut utiles judicaverint, curent locorum Ordinarii aut ad subditorum notitiam quo meliore eis videatur modo, eaedem deducantur nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant. § 2.° At hujusmodi absolvendi facultas ipso jure competit canonico poenitentiario, et habitualiter saltem impertiatur vicariis foraneis, addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant. § 3.° Ipso jure a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in jure censeantur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat.

In can. 900. Quaevis reservatio omni vi caret: 1.° Cum confessionem peragunt sive aegroti, qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa. — 2.° Quoties vel legitimus Superior, petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit vel, prudenti confessarii judicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo, aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; — 3.° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit.

1) Interna enim, quamvis possint reservari, quia agitur de foro interno, de facto tamen non reservantur.

2) Peccatum dubium facti habetur vel quando poenitens dubitat, utrum peccaverit vel non; vel quando certus de peccato dubitat utrum peccaverit graviter vel leviter, puta defectu advertentiae, aut causa gravis metus. Eatenus peccatum dubium facti non est reservatum, quia reservatio est strictae interpretationis, unde debet intelligi de peccatis certe commissis, et de peccatis certe gravibus, Ita communiter.

Peccatum dubium juris habetur, quando disputant Doctores, utrum sit reservatum vel non. Si haec peccata dubia juris possint absolvi a simplici confessario, quaestio. Nonnulli negant, quia cum dubitatur, an peccatum sit reservatum, dubitatur etiam an confessarius facultatem habeat absolvendi, unde confessarius dubiam tantum habens facultatem non potest absolvere. Sed alii cum Ligorio communiter affirmant, tum quia reservatio stricte interpretatur, tum quia melior est conditio possidentis; unde licet dubitetur, an peccatum sit reservatum, certum tamen est confessarium suam possidere facultatem absolvendi. Cum haec sententia sit communis, et certe probabilis, certum etiam est Ecclesiam supplere jurisdictionem.

Qui confessus est peccatum dubie reservatum simplici confessario, omnino liberatur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat ut certum, ita communiter, quia cum peccatum dubie reservatum est confessum, jam directe est absolutum, ac proinde manet directe ablata reservatio. Unde quamvis

Q. *Peregrinus committens in alia dioecesi peccatum, cui adnexa est reservatio cum censura, inciditne in utramque?*

R. Incidit in reservationem tantum, cum reservatio directe afficiat confessarium, non vero in censuram, quia non est subditus illius loci. Lig.

Q. *Qui bona fide absolutus est a reservatis a confessario non habente facultatem in reservatis debetne totam confessionem repetere alteri hanc facultatem habenti?*

R. Minime: sed illa peccata tantum, quae erant reservata, ut de his directe absolvatur.

Q. *Potest simplex confessarius absolvere poenitentem a non reservatis illum remittendo superiori pro reservatis?*

R. Potest solum in casu magnae necessitatis 1).

Q. *Peccata reservata inculpabiliter oblita in confessione facta confessario habenti facultatem in reservatis, remanent libera a reservatione?*

R. Quaestio 2): at si privilegium absolvendi a reservatis fuerit concessum in favorem poenitentis, prout est privilegium Jubilaei et Bullae Cruciatae, cessat reservatio. Lig. VI. 597.

---

teneatur poenitens, cum recordatur peccati certi, prius confessi ut dubii, illud iterum tamquam certum confiteri, ut confessarius certum efformet judicium, tamen non tenetur se sistere Superiori pro ablatione reservationis, quia ablato peccato, ablata est etiam reservatio. S. Alph. VI. 600. Casus esset si quis simplici confessario confiteretur se valde dubium esse, an suum absolverit complicem in re turpi, et accipit absolutionem, et postea certo recordatur illum absolvisse.

1) Hoc intellige de casibus episcopalibus, nam pro papalibus juxta N. Cod. can. 2251 simplices confessarii possunt directe absolvere a casibus utcumque reservatis Rom. Pontifici in casibus urgentioribus, vel quando valde durum est poenitenti in gravi peccato permanere cum onere etc. ut infra dicetur. — At nota in nostra archidiocesi Archiepiscopus juxta praescriptum novi codicis declaravit, extra periculum mortis, cessare reservationes a se statutas sive cum aegrotis, qui domo excedere non valent, confiteri cupientibus; sive cum sponsis confitentibus matrimonii ineundi causa; sive tandem quoties, prudenti confessarii judicio, absolvendi facultas peti nequeat absque gravi poenitentis incommodo, aut si periculum adsit violationis sigilli sacramentalis. Insuper declaravit cessare reservationes etiam si, petita pro aliquo determinato casu absolvendi facultate, haec forte denegata fuerit, cessare tamen pro ea vice tantum. Unde praedicti directe absolvuntur.

2) Prima sententia communissima affirmat. Ratio, quia praesumitur Superior poenitentem recte dispositum velle liberare ab omni vinculo peccatorum a quo potest; idque videtur confirmari verbis illis, quae ad absolutionem praemittuntur; *in quantum possum, et tu indiges*. Secunda vero sententia negat, quia ad auferendam reservationem requiritur, ut peccatum subjiciatur judicio Superioris, eo quod finis reservationis est nedum ut poenitens a peccato absterreatur, sed etiam ut convenientem medicinam et poenitentiam accipiat. Unde non censetur ablata reservatio, nisi ex aliquo positivo indicio habeatur praesumptio voluisse Superiorem reservationem auferre. S. Lig. VI. 597.

Q. *Cessatne reservatio, quando confessio de reservatis facta habenti facultatem fuit invalida?*

R. Si fuit invalida sine culpa poenitentis, probabilius 1) cessat reservatio; si ob culpam poenitentis, quaestio 2).

Q. *Facultas absolvendi a reservatis extenditur etiam ad commissa in confidentiam talis facultatis?*

R. Maxime: dummodo talis limitatio non habeatur.

Q. *Facultas absolvendi a reservatis extenditur ad commissa post obtentam facultatem?*

R. Maxime: dummodo non fuerit data determinate, et definite.

Q. *Adsunt casus, in quibus simplex sacerdos potest absolvere a quocumque peccato et censura reservata?*

R. Maxime: in articulo vel periculo mortis; tunc enim cessat omnis reservatio.

Q. *Debet in hoc casu aliquid imponere poenitenti?*

R. Si habet censuram *ab homine* vel censuram specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam, debet ei imponere onus, si convalescit, recurrendi sub poena reincidentiae ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura *ab homine*: ad Sacram Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, Can. 2252. Si habet censuras speciali modo reservatas nihil ei imponere debet 3).

---

1) Licet nonnulli id negant, quia Superior non tollit reservationem, nisi sacramentaliter absolvendo, unde quando confessio est invalida, non aufertur reservatio, tamen communis sententia et probabilior affirmat, quia reservatio principaliter ordinatur, ut peccata deferantur Superiori, atque ipse super ea ferat judicium praebendo monita salutaria, ac poenitentiam imponendo; unde semper ac subditus suum peccatum subjicit judicio Superioris, vel alius habentis facultatem, jam obtinetur finis reservationis. Nec valet dicere, quod tam Ordinarius, quam delegatus non tollunt reservationem nisi per absolutionem sacramentalem, quae hic deest, cum confessio sit nulla; nam respondetur quod Superior bene potest sine absolutione Sacramentali reservationem auferre. S. Lig. VI. 598.

2) Prima sententia negat, quia non praesumitur Superior velle, quod subditus ex sua iniquitate commodum reportet. Haec sententia est valde probabilis, sed secunda affirmat, (et est longe communior, nec caret sua probabilitate), quia pro confessione sacrilega currit eadem ratio ac pro inculpate nulla; alius enim est finis reservationis, alius confessionis; finis confessionis est ut remittatur peccatum, finis autem principalis et directus reservationis est, ut hujusmodi peccata reservata subjiciantur judicio Superioris: ergo cum subditus peccatum suum Superiori defert, et poenitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilege confiteatur, jam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum — Excipe si poenitens culpabiliter reticet ipsum peccatum reservatum, quia minime praesumitur Superior in sacrilega ejusmodi confessione velle auferre reservationem peccati sibi de industria non delati. S. Lig. VI. 598. q. IV.

3) Casus specialissimo modo reservati sunt sequentes: 1.° Qui violen-

Q. *Quotuplicis generis sunt casus reservati?*

R. Alii sunt papales, alii episcopales. Papales aut sunt specialissimo modo Sedi Apostolicae reservati, et sunt quatuor; aut speciali modo reservati, et sunt undecim 1), aut simpliciter reservati, et sunt undecim, aut Ordinario reservati, et sunt sex, aut nemini reservati, et sunt quinque. Casus episcopales sunt aut *a nobis* et sunt illi quos sibi reservant in synodo vel consulto Capitulo, aut *sibi*, et sunt illi, quos non concedunt sine speciali facultate 2).

---

tas manus in personam Rom. Pontificis injecerit, et est ipso facto vitandus 2.° Qui absolvit complicem in re turpi. 3.° Confessarius, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit 4.° Qui species consecratas abjecerit, vel ad malum finem abduxerit, aut retinuerit, incurrit in excom. latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam.

En textus codicis can. 2252: « Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura *ab homine*, vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura *ab homine*; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum ».

Unde si sunt casus speciali modo reservati, a quibus moribundus absolvitur, sacerdos nihil ei imponere debet, si convalescit.

1) Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excomunnunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excom. Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, can. 2338.

2) Extra mortis periculum possunt absolvere: 1.° A censura non reservata, in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicunque jurisdictionem in foro externo habeat in reum — 2.° A censuris *ab homine*, ille, cui censura reservata est; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi domicilium transtulerit — 3.° A censura *a jure reservata*, ille qui censuram constituit, vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario*, quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata *Sedi Apostolicae*, haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter* reservata sit, sive specialem, si *reservata speciali modo*, sive denique specialisissimam, si *reservata specialissimo modo*. Ita can. 2253.

In can. 2237 dicitur: § In casibus publicis potest Ordinarius poenas latae sententiae de jure communi statutas remittere, exceptis; 1.° Casibus ad forum contentiosum deductis: 2.° Censuris Sedi Apostolicae reservatis: 3.° Poenis degradationis, depositionis, inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates etc.

§ 2.° In casibus vero occultis potest Ordinarius poenas latae sententiae jure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis.

Adverte quod per hunc canonem conceditur Episcopis facultas absolvendi per se vel per alium ab omnibus censuris *simpliciter* sedi Apostolicae reservatis, in casibus occultis, et non deductis ad forum contentiosum.

De sacramento extremae Unctionis.

Q. *Quid est Extrema Unctio?*

R. Est sacramentum a Christo Domino institutum ad salutem ani-

---

In can. 2254 dicitur: § 1.º In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, injuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam, vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate, et standi ejus mandatis.

§ 2.º Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat quin teneatur, postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus.

§ 3.º Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de sollicitatione peracta, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, injunctis tamen de jure injungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram.

Anteacto tempore cum eaedem aderant facultates, Congr.ni S. Officii propositum fuit: Sacerdos Titius in regionem extraneam se contulit ad confitendum peccatum Summo Pontifici reservatum. Porro confessario declaravit: 1.º nec opera ministerii sui, nec substantiam facultatum sibi permittere iterum aggrediendi iter ad recipiendam responsionem S. Poenitentiariae 2.º nimis onerosum sibi fore ad alium confessarium se praesentare in propria regione quod signanter voluit devitare iter adsumens — Hisce positis E.^{us} N. pro sua norma humiliter a Sanctitate V. petit utrum supradictus casus, etiamsi agatur de absolutione complicis, inter eos adnumerari debeat praevisos in decreto S. Offici diei 9 Nov. 1898 et confessarius niti possit praelaudato Decreto ad absolutionem impertiendam sine recursu ad S. Poenit.^{am} nec ne? Respondit: *Non* comprehendi. Die 7 Junii 1899. Sequenti vero die SS. responsionem approbavit.

Insuper quaesitum fuit: An absolutio in casibus urgentioribus data directa sit, vel indirecta? S. Off. Cong. die 30 Martii 1892, approbante S. Pontifice respondit: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Praeterea quaesitum fuit: Utrum tuta conscientia doceatur, et in praxim deducatur, ut quidam volunt, propter hodiernum periculum, ne aperiantur epistolae a potestate civili, non requiri ut epistola ad Summum Pontificem dirigatur in casibus urgentioribus, quando adiri nequit Papam? S. Off. Cong. die 7 Nov. 1888 respondit: *Negative, cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda.*

mae. vel etiam corporis, conferendam infirmis de vita periclitantibus, per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis 1).

Q. *Quaenam est materia remota Extremae Unctionis?*

R. Est oleum ex olivis expressum, et constat ex Apostoli verbis: *ungentes eum oleo*; et quidem de necessitate seu validitate sacramenti ex olivis, quia communi usu nomine olei hoc tantum intelligitur 2).

Q. *Debetne oleum ab Episcopo benedici?*

R. Utique: ait enim N. Cod. can. 995. Oleum olivarum in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum a catholico Episcopo vel a presbytero, qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit 3).

Insuper advertendum, quod in Bulla Cruciatae, cum datur facultas confessariis absolvendi, adsunt haec verba: *imposita salutari poenitentia et injunctis de jure injungendis.* Hinc confessarius debet, si damnum illatum fuerit, uti verificatur ob percussionem clerici, ob usurpationem vel detentionem bonorum Ecclesiae, exigere satisfactionem partis laesae: si non potest satisfieri, debet exigere promissionem eam satisfaciendi, cum potest. Deinde debet exigere juramentum, ut poenitens obtemperet mandatiis Ecclesiae, ne in posterum de facili relabatur in idem delictum. At hoc exigendum in criminibus enormibus, uti in percussione publica clerici, et in aliis similibus. Ab impuberibus hoc non est exigendum etiamsi beneficium absolutionis exquiratur post adeptam pubertatem, uti videre est apud Canonistas, et Theologos.

Denique notandum privilegia Bullae Cruciatae, non obstante novo codice in suo robore esse, quia sunt ad tempus, et per praedictum codicem non fuerunt abrogata. Per canonem vero 1250 fuit tantum abrogatum tertium privilegium, quia vi praedicti canonis potest quis, stante lege abstinentiae, uti ovis, lacticinis et quibusvis condimentis etiam ex adipe animalium. Unde cetera adhuc vigent.

1) In novo codice can. 940 habetur: Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur. 2.° In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit, et in aliud vitae discrimen inciderit.

In can. 941. Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur, vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione.

In can. 942. Hoc sacramentum non est conferendum illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione.

In can. 943. Infirmis autem qui, cum sanae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt, aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur.

2) Hoc autem oleum ex Clemente VIII singulis annis in Coena Domini renovandum est, veteri exusto.

3) Uti declararunt quoque Paulus V. 13 Jan. 1611. Cong.° S. Officii, confirmante Gregorio XVI. 14 Sept. 1842. Pius IX 10 Jan. 1850. Et nuperrime Cong. S. Off. decrevit: *Oleum a presbytero benedictum* (sine facultate)

Q. *Debetne oleum ab Episcopo benedici speciali benedictione ad validitatem sacramenti?*

R. Quaestio est: nonnulli negant, alii affirmant 1). Utraque sententia est probabilis; sed prima non potest in praxim deduci (cum res sit de sacramentis) nisi in casu necessitatis, in quo unctio est ministranda sub tacita conditione, *si materia est valida*, et postea est repetenda etiam sub conditione, *si nondum es hoc sacramento refectus, indulgeat* etc., nempe statim ac habetur verum oleum infirmorum, uti praescripsit etiam S. Carolus.

Q. *Si intra annum oleum deficit, potestne illi aliud adjungi?*

R. Si intra annum oleum benedictum deficit, neque aliud simile haberi potest, ex Rituali fas erit eidem adjungere etiam oleum non benedictum, dummodo sit in minori quantitate quam vetus.

Q. *Quaenam est materia proxima Extremae Unctionis?*

R. Materia proxima est unctio eodem oleo facta. Haec autem unctio ex decreto Eugenii IV facienda est in septem corporis partibus, nempe in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem,

Q. *Si quis aliqua caret parte, quid a ministro agendum est?*

R. Si quis caret aliqua parte, quae inungi debet, pars loco illi proxima inungatur. Dum sacerdos paria membra inungit, cavere debet ne formam prius absolvat, quam ambo perunxerit. Manus, quae aliis interius ungi debent, presbyteris exterius ungantur ob reverentiam consecrationis.

Q. *Si infirmus dum inungitur moritur, aut dubitatur, utrum mortuus fuerit, quid a ministro est agendum?*

R. Si dum inungitur, infirmus moritur, minister ne ultra procedat; si dubitat, inungat sub conditione, *si es vivus*. Ita Rit. Rom.

Q. *Debetne unctio fieri per immediatum manus contactum?*

R. Certum est, non esse de necessitate sacramenti, quod unctio fiat per immediatum manus contactum, sed de necessitate praecepti, quare

---

est materia prorsus inepta sacramento Extremae Unctionis conficiendo, et ne in extrema quidem necessitate valide potest adhiberi. Die 15 Maji 1889.

1) Id negant Laymann et Suarez, quia adhuc verificatur sine illa specialitate esse oleum ab Episcopo benedictum. Affirmant vero Aversa, Barbosa, Bellarminus, et Valentia; sicut enim chrismatis benedictione deputatur materia pro confirmatione, ita benedictione olei infirmorum deputatur materia extremae Unctionis; et hoc confirmatur ex verbis novi codicis in canone 945 ubi dicitur: *Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit;* unde non potest dari sacramentum hoc cum oleo confirmationis, vel cathecumenorum.

in gravi necessitate, uti peste grassante, potest adhiberi virgula oleo inuncta, adhuc enim vera unctio habetur. Ita in can. 974.

Q. *Estne necessaria renum atque pedum unctio?*

R. Certum est non esse de necessitate seu validitate extremae unctionis neque unctionem renum, neque pedum. Unde unctio renum ex novo codice semper omittatur. Unctio pedum, ex qualibet rationabili causa omitti potest 1).

Q. *Estne de validitate sacramenti gemina unctio in geminis partibus?*

R. Minime: quia jam satis per unius partis unctionem fomes peccatorum indicatur; unde urgente necessitate, nempe si adest periculum infectionis, vel si infirmus nequit verti ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum.

Q. *Pertinetne ad valorem servare ordinem in sensibus inungendis?*

R. Minime: quia inversio ordinis non impedit sacramenti significationem.

Q. *Unctio quinque sensuum, una videlicet pro quolibet sensu, estne de necessitate sacramenti?*

R. Olim quaestio erat. Nunc temporis decretum S. Officii diei 25 Aprilis 1906 nec non per canonem 974 novi codicis unctio quinque sensuum non est dicenda de necessitate sacramenti, sed de necessitate praecepti 2).

Q. *Quaenam est forma extremae Unctionis?*

R. Sunt verba: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum* (dum unguntur oculi) et sic de ceteris sensibus 3).

Q. *Quinam est minister?*

R. Est quilibet sacerdos, qui solus potest unctionem valide conferre.

---

1) En textus novi codicis can. 947. « 1.° Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu, seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo. 2.° Unctio renum semper omittatur. 3.° Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest. 4.° Extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant ».

2) Si novus codex in canone 947 dicit sufficere in casu necessitatis unicam unctionem in uno sensu, sequitur unctionem quinque sensuum non esse de necessitate sacramenti, secus cum unica unctione administraretur sacramentum nullum; casus enim necessitatis non ponit quod de essentia sacramenti requiritur, ut valide administretur; unde unctio quinque sensuum est de necessitate praecepti, non vero de necessitate sacramenti.

3) Haec forma est deprecativa in utraque Ecclesia, et quidem in communi et veriori sententia talis sit oportet de necessitate sacramenti, nam ex verbis D. Jacobi patet orationi tributam esse efficaciam hujus sacramenti.

et hoc est de fide, ut constat ex verbis Apostoli : *inducat Presbyteros Ecclesiae*, ex perpetua traditione, et est a Tridentino definitum. Id dicendum, licet sacerdos sit excommunicatus, quia, cum non sit institutum hoc sacramentum per modum judicii, uti Poenitentia, sufficit ad collationem potestas ordinis.

Q. *Estne mortale unctionem dare sine vestibus sacris, stola, superpelliceo, et precibus ?*

R. Si non urget necessitas, certum est vestes sacras, stolam ac superpelliceum omittere grave peccatum esse, ita S. Ligorius ; nam in administratione hujus sacramenti servanda sunt sub gravi, quando servari possunt omnia praescripta Ritualis, cum id exigat illius reverentia. Item omittere preces in Rituali praescriptas a ministro est grave, cum agatur de re gravi ; sed preces tunc recitandae ab adstantibus probabilius sunt tantum de consilio.

Q. *Quid dicendum si unctio ministratur sine lumine, vel sine ministro vel omissis crucibus ?*

E. Extra necessitatem ministrare extremam Unctionem sine lumine, vel sine ministro, vel omissis crucibus est tantum veniale juxta plures. Certum autem est Sacrorum Rituum Congregationem prohibuisse extremam Unctionem solemniter gestare.

Q. *Quinam est subjectum hujus sacramenti ?*

R. Subjectum hujus sacramenti est solus homo baptizatus, infirmus, qui peccati capax aliquando fuit. Hinc pueri ratione expertes non sunt capaces hujus sacramenti, quia, ut ait D. Thomas, eis non convenit forma hujus sacramenti, eo quod non peccaverunt per visum, per auditum ut in forma exprimitur 1).

---

1) An sit obligatio sub gravi suscipiendi hoc sacramentum disputant Theologi. Prima sententia affirmat, tum quia talis infirmus graviter delinquit contra charitatem, quam quisque sibi debet, tum quia verba Apostoli Jacobi *Inducat Presbyteros* praeceptum inducunt. Secunda vero sententia communis et satis probabilis negat, quia talis obligatio non habetur neque ex vi institutionis hujus sacramenti, cum non sit necessarium ad salutem sed tantum utile ; neque ex praecepto divino, cum communiter Theologi verba Apostoli non interpretentur de praecepto, sed de consilio. Hoc tamen non obstante, prima sententia etiam probabilis est omnino suadenda, non tam ratione praecepti, quia de eo saltem non constat, quam ratione charitatis erga seipsum ; nam licet moribundus possit aliis praesidiis se roborare, tamen in tali statu constitutus, ex una parte debilis est ob mentis oppressionem ad bonos actus se excitare, ex altera vehementiores sunt daemonis insidiae, unde gravi periculo se exponit succumbendi tentationibus, qui negligit se munire hoc sacramento a Christo Domino instituto tamquam firmissimo praesidio in tanto conflictu.

Omnes tamen conveniunt, quod per accidens posset infirmus peccare mortaliter, omittendo suscipere hoc sacramentum, scilicet. 1.° si esset in peccato mortali, et aliud sacramentum recipere non posset, quia sensibus

Q. *In dubio an infirmus habuerit unquam usum rationis, estne ungendus?*

R. Ex communi sententia ungendus est, quia in dubiis benigniora sunt eligenda, sub conditione tamen ne frustrationis periculo sacramentum exponatur. Semifatui absolute sunt ungendi, quoniam in eo statu possunt se disponere.

Q. *Quibus sub conditione data est absolutio, quomodo danda est extrema Unctio?*

R. Ne sacramentum nullitati exponatur, Extrema Unctio sub conditione praebenda est omnibus, quibus sub conditione data est absolutio, semper ac dubitatur de eorum capacitate et dispositione. Quod si aliquo modo constat de hujusmodi capacitate et dispositione, absque conditione ministranda est extrema Unctio, licet infirmus sub conditione fuerit absolutus; quisque enim esse potest dispositus ad extremam Unctionem, quamvis adsit dubium, utrum sit absolutionis capax, quia in extrema Unctione recipientis dispositiones non sunt sacramenti partes, prout sunt in absolutione.

Q. *Mulieri laboranti in partu potestne dari Extrema Unctio?*

R. Si mulier in partu doloribus laborat communibus et ordinariis, non debet dari extrema Unctio, etiamsi prima vice pariat, aut alias fuerit in vitae periculo; tunc enim non laborat infirmitate periculosa, neque enim illa dolorum acerbitas est infirmitas, sed effectus naturalis partus. Secus esset, si laborat doloribus extraordinariis, tunc debet inungi, cum jam infirmitas periculosa sit, et adsit tunc verum mortis periculum.

Q. *Potestne amentibus administrari Unctio?*

R. Amentes, si perpetuo sunt tales, incapaces sunt extremae Unctionis, cum aequiparentur pueris. Secus vero si aut delirent tantummodo, aut sacramentum petierint mente sana, aut lucida haberent intervalla; cum forma sacramenti tunc ipsis bene conveniat. In dubio ungendi erunt sub conditione. Phrenetici paritate rationis ungendi sunt, ac ubi resistant, tenendi sunt, et etiam ligandi, ut tollatur irreverentiae periculum.

Q. *Infirmis sensibus destitutis potestne administrari extrema Unctio?*

R. Infirmis sensibus destitutis absolute extrema Unctio danda est, si pii animi significationem dederint, aut christiane vixerint, adeo ut praesumi possit, quod illam peterent, si essent compotes rationis, seu, ut ait Rituale, *si verisimiliter petiissent.*

Q. *Si forte aeger fuerit sensibus destitutus in actu peccati mortalis potestne ipsi administrari extrema Unctio?*

R. Hoc sacramentum non est conferendum illis, qui impoenitentes

---

destitutus: 2.° si daret scandalum: 3.° si ex contemptu illud omitteret. S. Alph. VI. 733.

in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant, quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione 1). Ita novus codex can. 942.

Q. *Impoenitentibus notoriis, et excommunicatis potestne administrari extrema Unctio?*

R. Minime: ut ait Rituale Rom., cum sint prorsus indigni, excipe si in illo instanti resipiscant. Idem dicendum de vulneratis in rixa, nisi praesumantur conteri in illo extremo statu, et sic possunt inungi.

Q. *Qui sensu vel videndi, vel audiendi, vel loquendi semper caruerunt, suntne ungendi?*

R. Maxime: ut commune est, et quidem in ipsa parte; peccare potuerunt per internas potentias, quibus ea membra respondent.

Q. *Quid si quis sit surdus, mutus et caecus haec tria simul?*

R. Si post usum rationis casu vel morbo talis evasit, extrema Unctio illi danda est. Si vero a nativitate sit et caecus, et mutus et surdus omnia una simul, quaestio est 2).

Q. *Capite plectendis, vel praelium aut periculosam navigationem inituris potestne dari extrema Unctio?*

R. Minime: nam actu nulla corporis infirmitate laborant. Secus dicendum de illis, qui difficilem chirurgi operationem sunt subituri, quibus unctio est danda, cum actu morbo intrinseco ac periculoso laborent.

Q. *Deficientibus prae senio estne danda extrema Unctio?*

R. Maxime: quia judicio medicorum virium debilitas est vera infirmitas. Item veneno infectis, cum ipsi jam sint graviter infirmi.

Q. *Potestne hoc sacramentum iterari, et quando?*

R. Ex declaratione Trid. cap. III certum est posse iterari, quia nullum imprimit characterem. Circa vero tempus quo possit iterari, sic distinguendum. Si infirmitas non est diuturna, ad iterandum hoc sacramentum requiritur, ut infirmus a priori infirmitate convaluerit, et in aliud simile discrimen inciderit, sunt verba Tridentini loc. cit. Si vero infirmitas est diuturna, ut est hectica, hydropisis etc. potest iterari, quando

---

1) Ideoque si certo non constet de ejus pertinacia in manifesto peccato mortali, administranda est ei extrema unctio sub conditione, non vero absolute.

2) Juxta aliquos habetur uti perpetuo amens, cum nullo modo res sacras discere potuerit, adeoque nullum sacramentum est ipsi concedendum praeter Baptisma. Juxta alios est ungendus, sed in iis sensibus quos habet; qui enim caret aliquo sensu, non potest per illum peccare, quod si peccavit, non peccavit peccato talis sensus. Attamen alii melius contendunt ipsum ungendum esse sicut ceteros, saltem sub conditione, quia quamvis non habet membra expedita, habet tamen potentias animae ad alia membra, saltem in radice et interius peccare potuit.

post evasionem periculi, deinde ex eodem morbo in aliud simile mortis periculum rursus infirmus inciderit 1).

Q. *Si positive dubitatur, an morbi status mutatus sit, potestne iterari extrema Unctio?*

R. Si per notabile tempus (puta per mensem) infirmus in eodem morbo perdurat, ex Bened. XIV. potest iterari extrema Unctio, quia praesumitur primum periculum mortis evasisse, et in aliud incidisse.

Q. *Quinam sunt effectus hujus sacramenti?*

R. Sunt sequentes: 1. gratia sanctificans non solum *generalis*, idest gratiae augumentum, sed etiam *sacramentalis*, nempe specialis hujus sacramenti; 2. abstersio reliquiarum peccati; 3. remissio peccatorum sive lethalium sive venialium (sed secundario et per accidens); 4. alleviatio infirmi, ut patienter ferat morbi incommoda; 5. sanitas corporis, si animae expediat.

Q. *Quid intelligitur per peccatorum reliquias?*

R. Intelligitur propensio ad malum, torpor ad bonum, animae debilitas, et, juxta aliquos, reatus poenae temporalis post poenitentiam expungendus. Ita D. Thomas, et alii.

Q. *Quaenam dispositio requiritur ad hoc sacramentum recipiendum?*

R. Requiritur peccatorum confessio, si infirmus in mortali versetur hoc enim sacramentum est poenitentiae complementum, ideoque haec praecedere debet. Quod si infirmus non potest sua peccata confiteri, necesse est, ut contritio vel saltem attritio praecedat 2).

De sacramento Ordinis.

Q. *Quid sacramentum Ordinis?*

R Est ritus sacer, quo spiritualis potestas confertur quoad ea, quae ad Eucharistiae tum confectionem, tum dispensationem pertinent.

Q. *Quomodo dividuntur Ordines?*

R. Dividuntur in majores et minores, et est de fide, uti eruitur ex Trid. 3). Ordines majores et sacri dicuntur illi, qui propinque versantur

---

1) Ita novus codex in can. 940.

2) Hoc enim sacramentum *primario* est institutum ad tollendas peccatorum reliquias, ideoque est sacramentum vivorum; at quoniam peccatorum reliquiae tolli nequeunt, nisi tollatur peccatum; hac de causa sacramentum istud ex consequenti seu *secundario* peccata cum attritione remittere potest, si forte reperiantur in anima, ac proinde consequenter est simul sacramentum mortuorum. Ita Salm.

3) Trid. ait: Si quis dixerit praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit. Sess. XXIII cap. 2 can.

circa Eucharistiam, et habent adnexam legem continentiae et horarum. Minores dicuntur illi, qui remote tantum versantur circa Eucharistiam, et non habent adnexam legem continentiae et horarum.

Q. *Quot sunt Ordines?*

R. In Ecclesia latina septem sunt Ordines nempe Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus. Primi tres dicuntur majores, caeteri minores 1).

Q. *Quaenam est Ordinum materia, et forma?*

R. Materia subdiaconatus, et quatuor minorum ordinum est porrectio instrumentorum. Forma sunt verba ab Episcopo prolata in eorum porrectione. Aliorum Ordinum materia est manuum Episcopi impositio, verba ab eo prolata manus imponendo sunt forma.

---

2. et can. 6. Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit.

1) *Presbyteratus* est Ordo, quo confertur specialis potestas Corpus et Sanguinem Christi in Missae celebratione consecrandi, a peccatis absolvendi subditosque opere ac doctrina pascendi. — *Diaconatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas in solemni Missa Presbytero immediate assistendi, inter solemnia decantandi Evangelium, praedicandi, et solemniter baptizandi, si juxta tamen interveniat causa, et ex delegatione: — *Subdiaconatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni inserviendi Diacono, solemnique ritu Epistolam cantandi. — *Acolythatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas inter Missae solemnia Subdiacono inserviendi, accendendi cereos, praeparandi porrigendique ampullas vini et aquae. *Exorcistatus* est Ordo, quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi daemonia per exorcismos ab Ecclesia statutos. Attamen hodie facultas exorcizandi solis reservatur Presbyteris, qui ea tantum de licentia Ordinarii uti possunt. — *Lectoratus* est Ordo, quo specialis traditur potestas legendi psalmos ex pulpito in Ecclesia, ac populum catechizandi seu instruendi in rebus Fidei. — *Ostiariatus* est Ordo, quo specialis confertur potestas aperiendi vel claudendi januam Ecclesiae, dignos admittendi, excludendi indignos — His adde Episcopatum et primam tonsuram, quorum alter est ipsius sacerdotii complementum, altera vero Ordo non est, sed dispositio ad Ordines, qua quis Clericus renuntiatur.

Prima tonsura quovis die, hora et loco conferri potest. Ex Pontif. Romano. — Ordines minores ubivis etiam conferri possunt singulis Dominicis vel festis de praecepto, dummodo mane conferantur. Sed hoc est intelligendum de ordinatione, quae non sit generalis; siquidem generalis fieri debet iis diebus quibus Ordines majores conferri possunt. — Ordines majore ex jure inter Missae celebrationem conferuntur 1.° sabbato singulorum quatuor Temporum; 2.° sabbato ante Dominicam Passionis; 3.° sabbato sancto. Ex dispensatione a Papa obtenta, conferri possunt etiam extra tempora, aliis scilicet vel Dominicis, vel Festis de praecepto. — Festa autem suppressa reputantur de praecepto quoad Ordines. Ita declaravit S. Congr. Rit. 12 Nov. 1831, et 13 Mart. 1833.

Q. *Quinam est Ordinis minister?*

R. Minister ordinarius est solus Episcopus 1).

Q. *A quonam Episcopo potest quis ordinari, ut licite Ordines suscipiat?*

R. A proprio, vel ab alio ex ejus facultate.

Q. *Quinam censetur proprius Ordinandorum Episcopus?*

R. Ille est, cujus jurisdictioni quisque subjicitur; idque ex quadruplici capite contingere potest, nempe ratione *originis* ordinandi, seu cum ordinandus in ejus dioecesi natus est, non tamen fortuito casu; ratione *domicilii*, seu cum ordinandus in illius dioecesi verum et proprium domicilium habet, non vero *quasi domicilium* tantum; ratione *beneficii*, seu cum ordinandus *beneficium* in Episcopi dioecesi possidet; et tandem ratione *familiaritatis*, seu famulatus, vi cujus Episcopus potest familiarem suum non subditum ordinare, si per triennium eum secum habuerit, et beneficium, omni remota fraude, statim ipsi conferat. Trid. sess. XXIII cap. 9 de Refor.

Q. *Singuli Ordines suntne Sacramentum?*

R. Est dogma fidei presbyteratum esse sacramentum. Est certum, sed non de fide, diaconatum esse pariter sacramentum, de ceteris est quaestio.

Q. *Quid requiritur in receptione Ordinis majoris?*

R. Titulus sustentationis. Hic est triplex, nempe paupertatis mo-

---

1) Simplex sacerdos, Summo Pontifice committente, potest tonsurae, et quatuor minorum Ordinum extraordinarius esse minister, cum isti in sententia probabiliori sint tantum ecclesiasticae institutionis, et certo nullam conferant directam circa Christi corpus potestatem. — Non potest vero esse extraordinarius minister presbyteratus ex communi sententia, quia cum sit ministerium excellentissimun, a solo Principe Ecclesiae supremam facultatem habente, prout est Episcopus, debet impertiri. — Utrum Pontifex possit praebere simplici sacerdoti facultatem conferendi Diaconatum et Subdiaconatum, controvertitur. Nonnulli affirmant de utroque. Alii absolute negant. Alii denique probabiliter distinguunt Diaconatum inter et Subdiaconatum; negant quoad diaconatum, quia ejus ministerium est immediate ad corpus Christi tangendum, illud fidelibus distribuendo. Affirmant vero quoad subdiaconatum, quia ejus munus non habet relationem tam immediatam ad Christi corpus.

Ad animi instructionem.—Sacra Poenitentiaria interrogata: An clerici juxta leges vigentes exercere possint officia consiliarii municipalis, et membri Congregationis charitatis? Respondit: Quod spectat ad Congregationes charitatis nuncupatas, non posse ecclesiasticos talia officia assumere et exercere, pro quibus in singulis casibus recurrendum erit ad S. Sedem: quod spectat ad clericos consiliarios et assessores municipes, qui vice syndici non fungantur, tolerari; quod vero ad clericos syndicos, vicem syndici gerentes et tesaurarios, *Negative*. Die 22 Decembris 1888.

nasticae, beneficii, vel patrimonii, et pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensae communis Congregationis* 1).

Q. *Quid de Episcopis, qui aliquem ordinat sine titulo beneficii, vel patrimonii?*

R. Episcopi ordinantes aliquem absque titulo beneficii, vel patrimonii peccant graviter, et ex novo codice can. 2373 incurrunt in suspensionem ipso facto per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam 2).

Q. *Quid requiritur ad Ordinem suscipiendum?*

R. Divina vocatio. Signa hujus vocationis: sunt: 1. scientia conveniens; 2. intentio recta vacandi Deo, et saluti animarum; 3. probitas vitae.

Q. *Quid requiritur, ut sit valida Ordinatio?*

R. Requiritur, ut sit mas, baptizatus, viator, et intentionem habeat saltem habitualem suscipiendi Ordinem.

Q. *Quid requiritur ut sit licita?*

R. Ex novo codice can. 974. Ut quis licite ordinari possit, requiruntur. 1.° Recepta sacra confirmatio; 2.° Mores ordini recipiendo congruentes; 3.° Aetas canonica; 4.° Debita scientia; 5.° Ordinum inferiorum susceptio; 6.° Interstitiorum observatio; 7.° Titulus canonicus 3).

---

1) In can. 980 novi codicis habetur: § 1.° « Qui, citra apostolicum indultum, suum subditum in sacris sine titulo canonico scienter ordinaverint aut ordinari permiserint, debent ipsi eorumque successores eidem agenti alimenta necessaria praebere, donec congruae ejusdem sustentationi aliter provisum fuerit. § 2.° Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret ».

2) Ex novo codice can. 2373 hae sunt poenae, quae vigent pro Ordinante et Ordinato. Quoad Ordinantes. « In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt: 1.° Qui alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint; 2.° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint; 3.° Qui aliquem ad ordines majores sine titulo canonico promoverint ».

Can. 2374. Quoad ordinatos. « Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adjuncta puniatur. »

Unde clericus, qui ordinatur absque titulo beneficii aut patrimonii, aut cum falso titulo, aut illud alienat, aut hypothecae subjacet, peccat, sed in nullam poenam incidit.

3) Ad animi instructionem, quae conveniunt personis, rebus, et locis sacris, referuntur.

Immunitas ecclesiastica definitur: Jus quoddam, quo ecclesiae, et alia loca sacra, nec non personae ecclesiasticae, atque res ipsarum liberae et im-

DE SPONSALIBUS.

Q. *Quid sunt sponsalia* 1) ?

R. Mutua promissio futurarum nuptiarum inter personas jure habiles.

---

munes sunt a muneribus et oneribus saecularibus, atque ab actibus earum sanctitati et reverentiae debitae repugnantibus. Haec autem immunitas triplex est *personalis, realis,* et *localis.*

Immunitas *personalis* est illa, qua personae ecclesiasticae liberae et exemptae sunt a jurisdictione cujusvis potestatis laicalis, et ab oneribus personalibus a Superiore saeculari impositis. Certum est personas ecclesiasticas tali gaudere immunitate. In novo codice can. 121 dicitur : *Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt.* Et in can. 120 dicitur: *Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud judicem ecclesiasticum conveniri debent ; nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit* Heic refertur novissimum concordatum anni 1918 inter Pium VII et Ferdinandum I.um quod adhuc viget, ubi in art. 20 statutum fuit causas clericorum in materia civili a foro laicali judicari posse, come per esempio quelle di contratti, debiti, eredità, le quali saranno conosciute e definite da giudici laici.

Utrum autem immunitas ista sit etiam de jure divino, dicendum quod in rebus spiritualibus et mere ecclesiasticis est de jure divino ; in temporalibus est quaestio.

Immunitas *realis* in hoc consistit, quod bona et res omnes ad personas ecclesiasticas, vel ad ecclesias pertinentes liberae et exemptae sint a quavis jurisdictione laicali, et ab exactionibus et oneribus quibuscumque.

Nulli dubium , quod clerici et ecclesiae tali gaudeant immunitate de jure canonico et civili, prout ex innumeris constat locis, utrum talis immunitas sit etiam de jure divino, quaestio est.

Immunitas *localis* quoad asylum est jus competens ecclesiis aliisque locis sacris, quo malefactores in iis confugientes extrahi non possunt, nec in vita, nec in membris puniri queunt.

Nulli dubium adesse hujusmodi immunitatem, uti eruitur ex novo codice can. 1179, ubi dicitur : « Ecclesia jure asyli gaudet, ita ut rei, qui ad illam confugerint, inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae. »

Gaudent hac immunitate : 1. omnes Ecclesiae auctoritate Episcopi erectae, quamvis nondum sint consecratae, neque in eis adhuc sint divina officia celebrata ; item Ecclesiae dirutae (dummodo non sint dirutae auctoritate Episcopi), et subsit spes reaedificandi ; et ipse locus designatus, in quo construitur Ecclesia , jam solemniter injecto primo lapide. 2. Coemeterium quamvis ab ecclesia separatum, modo sit auctoritate Episcopi designatum. 3. Porticus et atrium Ecclesiae, ejusque sacristia, modo sit Ecclesiae aut coemeterio coherens, vel altare habeat. 4. Episcoporum domus, monasteria, seminaria, xenodochia etc.

1) Heic notandum sponsalia a jure non esse praescripta, sed ubi fiunt ex consuetudine, sunt celebranda juxta formam indictam in novo codice can. 1017.

At ex matrimonii promissione, licet valida sit, nec ulla justa causa ab

Q. *Quomodo debent fieri sponsalia?*

R. Ex novo codice can. 1017 matrimonii promissio sive unilateralis sive bilateralis sive sponsalitia irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus 1).

Q. *Quid si contrahentes scribere nesciant?*

R. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotandum est, et alius testis est addendus, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus scripturam subsignet. Ex novo cod. can. 1017.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad sponsalia?*

R. 1. Ut sint vera; 2. libera; 3. externe expressa 4. mutua seu repromissa; 5. acceptata; 5. et inter personas jure habiles.

Q. *Sponsalia ficte celebrata, suntne valida?*

R. Si fuerunt ficte celebrata, quia sine animo promittendi sunt nulla; si sine animo se obligandi, etiamsi jurata, quaestio; si sine animo exequendi sunt valida, quia animus exequendi est accessorius. S. Alph. VI. 832.33.

---

eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem: datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur. Can. 1017.

Unde eruitur sponsalia non esse impedimentum impediens neque dirimens matrimonium. At quoniam promissio est contractus naturalis et contractus validus obligat in conscientia, sequitur sponsalia afferre tantum obligationem inconscientia ea adimplendi; excipe si intervenit justa causa, quae ea solvit.

Quaesitum fuit commissioni pro interpretatione Novi Codicis: 1.° Si quis reclamet jus suum ex sponsalibus valide contractis contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium eritne suspendendum usque dum actum fuerit de justa causa dispensationis priorum sponsalium, et de damnorum reparatione, si qua debeatur? Resp. *Negative seu non amplius admitti actionem de justa causa dissolutionis sponsalium, actionem vero reparationis damnorum non suspendere matrimonii celebrationem.* 2.° Utrum actio reparationis damnorum pertineat ad forum ecclesiaticum, an ad civile? Resp. *Actionem reparationis damnorum de qua in can.* 1017 *esse mixti fori.*

1) Nomine parochi hic et in celebratione matrimonii venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae, sed in regionibus, ubi paroeciae canonicae erectae non sunt, etiam sacerdos, cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatur. Ex decreto *Ne Temere.*

Nomine Ordinarii heic venit etiam Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, Abbas Nullius, Vicarius aut Administrator Apostolicus, et quicumque exercet jurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem.

Q. *Qui ficte promittit sponsalia, peccatne?*

R. Maxime: quia decipit proximum in re gravi.

Q. *Qui ficte celebrat sponsalia, nempe animo tantum extorquendi copulam, tenetur postea ducere defloratam?*

R. Vi sponsalium non tenetur, quia non existunt: tenetur tamen vi damni illati, et vi contractus innominati *facio ut facias*, dummodo deflorata sit honestae vitae, et aequalis conditionis 1).

Q. *Adsunt casus, in quibus fictus promissor non tenetur ducere puellam, quamvis sit honestae vitae, et aequalis conditionis?*

R. Maxime: et sunt: 1. quando puella se virginem simulabat, et talis non erat, quia tunc deceptio unius compensatur deceptione alterius; 2. quando fictus promissor vult puellam ducere, et illa, vel ejus parentes nolunt; 3. quando ex tali matrimonio sequerentur scandala, rixae, discordiae, quia virtute justitiae nemo obligari potest ad id, quod exequi non potest sine peccato; 4. quando ipse dedit sufficiens signum suae deceptionis, quia tunc deflorata non fuit decepta, sed decipi finxit.

Q. *Sponsalia facta per metum suntne valida?*

R. Si per metum gravem injuste incussum a causa libera, ad extorquendum consensum, sunt nulla: secus valida 2).

Q. *Teneturne ad sponsalia, qui contrahit illa ignorando eorum obligationem.*

R. Quaestio 3). At si intendat facere, quod alii faciunt, probabilius tenetur.

Q. *Qui dubitat de sponsalibus, teneturne ad illa?*

R. Si dubium est de contractione, non tenetur, quia lex dubia non obligat: quidquid dicant alii. Si dubium est de intentione, tenetur; actus enim praesumitur factus ut fieri solet.

Q. *Quotuplici modo possunt celebrari sponsalia?*

R. Duplici modo, absolute et conditionate 4).

1) Hinc si deflorata non est aequalis conditionis, sed honestae vitae, tenetur eam dotare, vel de nuptiis providere ad damnum reparandum. Si vero non est honestae vitae, tenetur tantum ad mulctam.

2) Sponsalia facta per vim sunt semper nulla, quia non libera.

3) Nonnulli negant, quia non habet veram voluntatem se obligandi, qui obligationem ignorat. Alii affirmant, quia obligatio est effectus necessarius liberae promissionis; hinc si libere promittit, utique suscipit obligationem.

4) In aliquibus locis usu receptum est, ut per aliqua signa, vel per aliqua munera determinata sponsalia celebrentur. Ista munera, signa vel verba nunc temporis per novum codicem vim non habent, quia non fiunt per scripturam.

Q. *Sponsalia conditionata suntne valida?*

R. Vel sunt celebrata sub conditione impropria, et sunt valida, modo sit vera; vel sub conditione propria, honesta, et possibili, et sunt valida verificata conditione; vel sub conditione propria turpi, et impossibili et etiam sunt valida, quia haec conditio rejicitur a jure; excipe si haec conditio opponatur uni ex tribus bonis substantialibus matrimonii, quia tunc sponsalia sunt nulla 1).

Q. *Quaenam verba requiruntur ad sponsalia?*

R. Verba determinata exprimentia praesentem voluntatem contrahendi in futuro.

Q. *Debentne sponsalia esse etiam acceptata ex altera parte?*

R. Maxime: taciturnitas in onerosis non valet pro consensu.

Q. *Adsunt casus in quibus valet taciturnitas?*

R. Maxime: quando nempe parentes 2) promittunt, et acceptant

---

1) Bona substantialia matrimonii sunt tria · nempe *bonum fidei*, idest fidelitas servanda inter conjuges; *bonum prolis*, idest susceptio et naturalis educatio prolis (idest eam generandae, et conservandae, ita D. Thomas, d'Annib. et alii communiter); *et bonum sacramenti*, idest indissolubilitas matrimonii.

Hic adverte quod si Titius celebrat sponsalia cum vidua praegnante sub conditione, ut eliminet prolem, quam jam utero gerit, sponsalia sunt valida, quia ista conditio, uti turpis, rejicitur, nec respicit bonum prolis suscipiendae in matrimonio celebrando. Idem dic, si celebret sponsalia sub conditione, ut sponsa ante contractionem matrimonii alium cognoscat. E contra si Cajus celebrat sponsalia cum Berta sub conditione *si prolis generationem evites, si soboles futura enecetur*, sponsalia sunt nulla, quia conditio est contra *bonum prolis*.

Adverte, quod sponsalia conditionata evadunt absoluta per adimpletionem conditionis, et per consequens non requiritur novus consensus. Evadunt etiam absoluta per copulam carnalem, quia, copula carnali interveniente, praesumitur conditionem remitti. Ex cap. *Per tuas*. Unde si Titius celebravit sponsalia conditionata cum Berta, et postea rem habet cum ea, si conditio non verificatur, non potest tuta conscientia resilire a sponsalibus, quia interveniente copula post celebrationem sponsalium praesumitur remissa conditio.

Adverte, quod si Titius contraxit sponsalia conditionata cum una, et postea alia sponsalia absoluta cum tertia persona, cum qua habuit etiam copulam, secunda sponsalia sunt nulla, quia res uni promissa alteri repromitti non potest: et licet conditio priorum non verificetur, semper sunt nulla, quia quod a principio non subsistit, tractu temporis convalescere non potest. Imo si secunda sponsalia fuerunt jurata hoc juramentum esset per se stans, quod nec etiam virtute religionis obligaret, cum vergat in damnum tertii nempe prioris sponsae.

Tandem sciendum, quod obligatio eorum, qui contrahunt sponsalia conditionata, est expectare eventum conditionis et non reddere se impotentes.

2) Si spondent, vel acceptant tutores etc., licet per scripturam, sunt nulla; solis enim parentibus hoc privilegium lex concedebat.

sponsalia pro filiis praesentibus, tacentibus, et interne consentientibus. At nunc temporis per novum codicem can. 1017 debent a parentibus fieri per scripturam a filiis subsignatam 1).

Q. *Debentne sponsalia esse etiam repromissa?*

R. Maxime: talis est enim eorum natura 2).

Q. *Quid intelligitur, quod sponsalia debent esse inter personas jure habiles?*

R. Intelligitur, quod sponsi non debent esse irretiti aliquo impedimento, quod dirimat sponsalia. Impedimenta, quae dirimunt sponsalia ex novo codice can. 1058 sunt: votum virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros, et amplectendi statum religiosum; insuper omnia impedimenta quae dirimunt matrimonium, dirimunt etiam sponsalia 3). Tandem sponsalia facta cum una dirimunt sponsalia cum alia 4).

---

1) Ratio est, quia in praesenti disciplina, ut sponsalia sint valida, et effectus canonicos habeant, idest inducant reparationem damnorum, debent fieri per scripturam. Quod si filii tacent, subscribunt, et interne non consentiunt, sponsalia in foro interno sunt nulla.

2) Hinc si promittens sponsalia intendit se obligare sine onere repromissionis, idest quin alter repromittat, tenetur ad sponsalia, sed vi simplicis promissionis, non vero sponsalium, quia sponsalia eorum natura debent esse mutua seu repromissa.

3) Sive impedimenta sint dirimentia, sive impedientia semper dirimunt sponsalia. Si sunt dirimentia, esset promissio de re impossibili, et promissio de re impossibili est nulla. Si sunt impedientia, tunc esset illicitum matrimonium, et promissio de re illicita est nulla, unde si quis est irretitus sive impedimento dirimente, sive impediente, sponsalia sunt nulla.

4) Si quis celebrat sponsalia irretitus aliquo impedimento dirimente, sub conditione: *si Papa dispensaverit*, et Pontifex in eo non solet dispensare, sponsalia sunt nulla; si vero Pontifex solet dispensare, duae sunt sententiae. Nonnulli dicunt illam promissionem sponsalitiam esse nullam, ideoque requiri novum consensum, ut promissio convalescat, ac proinde licitum esse utrique contrahenti ante renovatum consensum, etiam altero invito, resilire; nam sicut sunt inhabiles ad contrahendum, ita ad promittendum. Quod firmant praxi tribunalium, ex quibus habentur haec sponsalia nulla omnino, et in ipsa radice invalida. Alii docent, quod illa sponsalia habenda sunt uti vera sponsalia conditionata, nempe suspensa ante dispensationem ob impedimentum dirimens, hinc ante conditionis verificationem, ut pote conditionata, remanent sponsi obligati ad expectandum eventum conditionis, et sponsalia cum alia persona inita essent nulla, fides enim data servanda est. Quare nulla est ratio, cur consensus sit renovandus, quia contractus differtur ad tempus verificationis conditionis, quo veniente, jam contractus validus fit, et absolutus sine novo consensu. Haec secunda est probabilior, quam amplectitur D. Ligorius III. 650, et alii plures Theologi.

Q. *Quaenam aetas requiritur ad celebranda sponsalia?*

R. Aetas usus rationis.

Q. *Si impubes celebrat sponsalia, suntne omnino valida?*

R. Sunt suspensa 1), quia adepta pubertate, potest resilire 2).

Q. *Adsunt casus, in quibus impuberes, adepta pubertate, non possunt resilire* 3)?

R. Maxime: 1. quando in impubertate copulam habuerunt; 2. quando proximi pubertati 4) sponsalia juramento firmaverunt: 3. quando adepta pubertate, sponsalia ratificaverunt.

Q. *Estne licitum pactum lucrativum in sponsalibus* 5)?

R. Minime: quia matrimonium non est mercimonium. Esset tantum licitum, si apponeretur ratione dotis, vel donationis ob inaequalitatem aetatis, vel natalium, vel quando apponeretur, a tertia persona.

Q. *Estne licita poena conventionalis?*

R. Minime: quia esset contra libertatem matrimonii, esset tantum licita contra injuste resilientes.

Q. *Suntne licitae arrhae* 6)?

R. Maxime: et celebrato matrimonio, restituendae sunt tradenti; si non celebratur ex culpa tradentis, sunt recipientis; si non celebratur ex culpa recipientis, iste debet restituere duplum post sententiam judicis. Si non celebratur, sed nullius culpa, restituendae sunt tradenti.

Q. *Suntne licitae donationes?*

R. Maxime: et celebrato matrimonio, sunt donatarii. Si non celebratur, restituendae sunt donanti. Si vero interfuerint tactus, oscula etc., sponsa donataria potest retinere aliquid in compensationem.

Q. *Sponsalia celebrata insciis parentibus suntne licita?*

R. Minime: excipe si parentes sint irrationabiliter inviti 7).

---

1) Dummodo fiant juxta formam praescriptam a novo codice in canone 1017 idest per scripturam — Minor, si masculus, censetur pubes a decimoquarto, si femina a duodecimo anno completo. Ita in can. 88.

2) Impuberibus a jure conceditur triduum a die cognitionis adeptae pubertatis, ut possint resilire.

3) Si impuberes sponsalia contraxerunt, vel pubes cum impubere, durante impubertate, sponsalia non possunt dissolvi, ne daretur locus infinitis sponsalibus. Si duo impuberes sponsalia contraxerunt, et unus perveniat ad pubertatem citius altero, statim potest, si vult, dissolvere sponsalia, etiam altero contradicente.

4) Proximi pubertati dicuntur mas a X. anno cum dimidio usque ad XIV, femina a IX. cum dimidio usque ad XII.

5) Pactum lucrativum est, quando paciscitur aliquid dari causa contrahendi matrimonium.

6) Arrhae sunt pignus futuri matrimonii.

7) In novo codice can. 1034 habetur: *Parochus graviter filiosfamilias*

Q. *Sponsi committentes fornicationem cum persona extranea, debentne in confessione dicere se esse sponsos?*

R. Quaestio.

Q. *Quot sunt effectus sponsalium?*

R. Sponsalia a jure naturae inducunt gravem obligationem justitiae contrahendi matrimonium. Et juxta aliquos etiam inducunt jus inchoatum ad corpus alterius.

Q. *Quibus ex causis dissolvuntur sponsalia?*

R. Pluribus causis dissolvuntur: 1. per mutuum dissensum; res enim per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur; 2. per impedimentum dirimens superveniens, quia evadunt de re moraliter impossibili 1); 3. per lapsum temporis appositi non ad sollicitandam, sed ad finiendam obligationem; 4. per discessum in longinquum sine justa causa, et sine venia alterius partis 2); 5. per matrimonium subsequens 3);

minores hortetur, ne nuptias ineant insciis aut rationabiliter invitis parentibus quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario.

1) Impedimenta dirimentia supervenientia certe sponsalia dissolvunt ex parte innocentis, cum matrimonium nequeat amplius locum habere, uti esset, si sponsus initis sponsalibus cum una, postea contrahat matrimonium cum alia, tunc adest impedimentum ligaminis. Ex parte vero nocentis utrum dissolvant, quaestio est; nonnulli putant dissolvi sponsalia, quia, exorto tali impedimento, jam factum est impossibile matrimonium; alii vero communius et probabilius docent sponsalia non solvi ex parte nocentis, quia aequum non est, ut commodum ex sua iniquitate ipse reportet, et alteri fidem frangat. Unde obligatio sponsalium suspenditur, usque dum tollatur impedimentum per mortem conjugis.

2) Si vero adest justa causa, sed non adest venia alterius partis, ista debet expectare tempus a judice ecclesiastico taxandum.

3) In hoc casu statim solvuntur sponsalia ex parte innocentis. Utrum sint etiam extincta ex parte delinquentis, quaestio est. Alii affirmant; tum quia obligatio semel extincta non amplius reviviscit; tum quia obligatio fortior obligationem extinguit minus fortem; quare matrimonium cum sit vinculum fortius, praecedentia sponsalia omnino extinguit. Sed ex veriori sententia negatur esse omnino extincta ex parte delinquentis: 1. quia nullo jure probari potest per matrimonium subsequens omnino irritari antecedentia sponsalia; non jure positivo, quia nullibi hoc statuitur; non jure naturali quia cum possit subsequens matrimonium dissolvi per conjugis mortem, non est impedimentum perpetuum ad matrimonium ineundum cum priori sponsa; quare suspendit tantum praecedentia sponsalia, non autem omnino extinguit; 2. quia si ita esset, commodum ferret ex suo peccato, 3. quia altera pars, cum sit innocens, absque sua culpa invita expoliaretur jure suo.

6. per professionem religiosam 1), vel susceptionem sacri ordinis 2); 7. per notabilem mutationem in pejus 3).

DE MATRIMONIO.

Q. *Quid est matrimonium?*

R. Matrimonium duplici pacto considerari potest, uti contractus,

1) Utrum per ingressum in Religionem unius sponsi solvantur sponsalia contracta, quaestio est. At sententia communior, cui adhaeret D. Ligorius tenet dissolvi sponsalia tantum ex parte manentis in saeculo, tum quia alter ingrediendo religionem censetur cessisse juri suo, tum quia ex ejus parte tunc, accidit notabilis mutatio, cum dedecori aestimetur nubere cum eo, qui Religionem deseruit; non autem dissolvuntur ex parte ingredientis, si postea ad saeculum redeat, quia per ingressum ipse non redditur inhabilis ad contrahendum matrimonium, sicut redderetur per professionem. S. Lig. VI 870.

2) At dubium est, utrum votum simplex castitatis servandae perpetuo dirimat sponsalia jam inita. Nonnulli cum D. Thoma affirmant; tum quia ubi occurrunt duae obligationes, potior est praeferenda; tum quia promissio sponsalium censetur facta sub conditione: *nisi meliorem statum elegero.* Alii vero negant, tum quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissae, et ab eo acceptatae; tum quia hoc non statutum est in jure. In jure enim admittitur tantum professio religiosa; hinc si exceptio firmat regulam dicendum quod votum simplex castitatis servandae perpetuo non dirimat sponsalia jam inita, idcirco quaestio est. At omnes, etiam primae sententiae defensores docent, quod duo sunt casus, in quibus iste vovens debet matrimonium celebrare: 1. quando procreati sunt filii, et sunt legitimandi; 2. quando consulendum est famae puellae, vel familiae, cum aliter his malis non possit occurri. Cap. VII. *de spon,.* et Bulla *Auctorem fidei,* prop. 58.

3) Intelligitur haec mutatio sive in corpore, sive in animo, sive in fama. sive in bonis fortunae, quae si praevisa fuisset, sponsalia non fuissent contracta. Sint igitur hae duae regulae: *Prima,* pro causis supervenientibus ad sponsalia, sufficit illa causa, quae si esset praevisa, sponsalia non fuissent contracta; ita communiter. Ratio, quia sponsi sub hac conditione censentur obligati, *nisi accedat notabilis mutatio,* qua praevisa, minime consensissent. *Secunda* regula, pro causis ignotis anterioribus ad sponsalia, illa sufficit, quae si superveniret, jam esset sufficiens ad illa rescindenda, quia in tali casu etiam adest notabilis mutatio, quae si ab initio fuisset cognita, jam sponsalia impedivisset. S. Lig. VI, 855. Hinc fornicatio habita ante sponsalia a sponsa, et cognita a sponso post sponsalia, dissolvit sponsalia, et vir potest eam relinquere, quia fit vilior. E converso non potest mulier rescindere sponsalia ob fornicationem sponsi cum alia, ante sponsalia habitam, ex opposita ratione, nisi, ut ait Sanchez, vir prolem ex alia habuerit, vel etiam nisi ipse noscatur fuisse deditus huic vitio, cum pluribus feminis se commiscendo. Si vero fornicatio habita fuerit a sponsa post sponsalia, certum est posse sponsum mulierem relinquere, si ipsa voluntarie fornicata sit, et juxta communiorem et veriorem sententiam etiamsi per vim fuerit ab alio deflorata, quia sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior redditur. Lig. VI. 861. Immo si sponsa permittat se tangi impudice ab alio per oscula et

et uti sacramentum. Uti contractus est conjunctio maris et feminae legitimo consensu ad individuam vitae rationem ; uti sacramentum est

---

amplexus, potest sponsus resilire a sponsalibus ; sed non viceversa sponsus id faciat, non est dedecus sponsae, nec mutatio alicujus momenti. Excipe, ut ait Sanchez, et Salm., si talia oscula, et tactus sint ita frequentes, ut indicent valde propensum sponsi animum in alteram, et merito timeri possit, ne sponsae sit fidem servaturus. Lig. VI. 860. Si vero ambo fornicati sunt post sponsalia cum aliena persona, utrum utrique liceat resilire, tres adsunt sententiae. Prima affirmat ; nam licet fornicatio sponsae turpior sit, tamen sponsus, cum etiam per suam fornicationem violet fidem datam, jam tribuit sponsae justam causam resiliendi. Secunda sententia dicit neutrum posse resilire, sed dari compensationem, ita ut neuter queat a sponsalibus recedere. Ratio, quia sicut post matrimonium contractum, si uterque conjux adulteretur, neuter potest petere divortium, ita si post sponsalia uterque sponsus fornicetur, neuter potest resilire. Tertia vero sententia probabilior et communis docet sponsum bene posse resilire, non vero sponsam. Ratio, quia in hoc non daretur aequa compensatio cum longe turpior sit fornicatio sponsae, quam sponsi. Dispar autem est ratio divortii propter adulterium, quia obligatio matrimonii *quoad torum* difficilius solvitur, quam sponsalium obligatio, quae solvi potest ex quacumque rerum notabili mutatione (sicut esset haec) superveniente. Lig. VI. 862.

Quid si alterutri sponsorum superveniat ingens haereditas ? Nonnulli negant sponsalia dissolvi ; tum quia sponsus non est deceptus in conditione sponsae, in qua nulla facta est mutatio : idem dic de sponsa, si ipsi haereditas nova superveniat ; tum quia non fit magis onerosum matrimonium. Alii affirmant eo quod in tali casu jam accedit notabilis rerum mutatio, unde sicut non tenetur sponsus sponsalia exequi cum magno suo damno, ita nec tenetur ad ea cum amissione magni lucri, quod haberet ditiorem puellam desponsando ; talis enim amissio gravi damno aequiparatur. Et viceversa. Lig. loc. cit. Si igitur quaestio est, in praxi non est imponenda certa obligatio pro re dubia.

At dissensus parentum estne causa solvendi sponsalia ? Quaestio. Nonnulli affirmant, quia si Trid. sess. 24. cap. 2. declaravit esse prohibita matrimonia sine consensu parentum, et si novus codex can. 1034 imponit parocho ne assistat matrimonio minorum, qui insciis aut rationabiliter invitis parentibus volunt inire matrimonium, nisi consulto prius loci Ordinario, sequitur dissensum parentum esse verum impedimentum impediens matrimonium. Alii communiter id negant, quia parentum consensus non de necessitate, sed tantum de honestate a jure canonico requiritur. Excipiunt tamen, nisi magnum scandalum ex tali matrimonio timeatur, eo quod virtus justitiae non potest obligare ad actum, qui sine peccato impleri nequit. At S. Lig. sic ait : ego censeo dicendum cum Ronc. quod si pater injuste dissentiat a tali matrimonio, filius non potest a sponsalibus recedere, et tam ipse, quam pater peccarent, si vellent ea dissolvere. Secus vero, si pater juste contradicat, nempe si matrimonium vergeret in dedecus familiae ; tunc enim sponsalia illa non obligant, cum nemo possit obligari ad exequendam rem injustam. — Potest etiam filius solvere sponsalia, ait Ligorius, si pater injuste minetur exhaeredationem, quia omnia sponsalia intelliguntur contrahi sub hac conditione *si non accedat talis mutatio* ; modo hoc periculum non praeviderit, cum sponsalia contraxit, quia tunc merito censetur juri suo cessisse. S. Alph. VI 877

signum sensibile a Christo Domino institutum gratiae collatae viro ac mulieri legitimo consensu copulatis ad perpetuae vitae consuetudinem 1).

Q. *Quotuplex esse potest matrimonium?*

R. Triplex: legitimum, ratum, et consummatum; primum est, quod habetur apud infideles, et habet tantum rationem contractus; secundum est, quod habetur apud fideles, et habet rationem sacramenti 2);

---

1) Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis: secundarius mutuum adjutorium et remedium concupiscentiae — Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti. Ita Novus Codex can 1013. Hinc certum est, quod si quis contraheret animo non suscipiendi obligationem reddendi debitum, vel contrahendi ad tempus non solum peccaret, sed nullum iniret matrimonium.

At peccatne, qui matrimonium init principaliter propter remedium concuscentiae? Nonnulli cum D. Thoma affirmant istum peccare venialiter, quia remedium concupiscentiae, licet sit etiam finis honestus matrimonii, est tamen secundarius, cum primarius sit procreatio prolis: quare est quaedam inordinatio, licet levis, finem secundarium prae primario intendere. Alii vero tenent istum nullatenus peccare, ne venialiter quidem, matrimonium enim, saltem post hominis lapsum, a Deo est institutum non solum ad prolem procreandam, sed etiam in remedium concupiscentiae; uti constat ex illo Apostoli: *si non se continent, nubant, melius est enim nubere, quam uri.*

Utrum autem sit licitum matrimonium contrahere principaliter ob fines extrinsecos; nonnulli absolute affirmant, quia semper ac retinentur fines proprii, non videtur illicitum ordinare matrimonium ad fines ei indifferentes extrinsecos. Alii cum D. Thoma absolute negant: dicunt enim esse quandam inordinationem dirigere rem sacram ad profanam, sacramentum nempe ad finem temporalem, et matrimonium contrahere ob fines ab illo alienos. Sed ex veriori sententia sic potius est distinguendum. Si finis est per se honestus, uti ad pacem conciliandam, ad amorem fovendum, ad conservandum familiae honorem, ad sanitatem tuendam, ad vitandam solitudinem, ad habendum solatium, adjutorium etc., tunc licitum est, quia ex superius dictis, non est inordinatio intendere aliquem finem honestum prae fine primario, modo iste non excludatur. Si vero finis per se non est honestus, uti esset causa voluptatis, vani honoris, divitiarum cupiditatis etc., tunc est illicitum, quia nullatenus licet quamlibet nostram deliberatam actionem ad finem dirigere per se non honestum: adest enim evidens inordinatio in hoc, quod ad finem inhonestum et turpem dirigatur res sacra. Ita D. Thomas.

2) Haeretici et schismatici juxta novum codicem can. 1099 baptizati in secta haereticali inter se contrahentes non tenentur ad formam praescriptam in dicto codice, et quocumque modo contrahunt, dummodo absque ullo impedimento dirimente, valide contrahunt, et sacramentum recipiunt, cum nihil sit, quod valori hujus Sacramenti obstare possit; per Baptismum enim susceptum fiunt capaces Sacramentorum. Hoc confirmat praxis Ecclesiae, quae nullimode eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si resipiscentes ad catholicae Ecclesiae unitatem redeunt.

Quid, si de Baptismi validitate adsit dubium? S. Officii Congreg. 5 Febr.

tertium est, quod etiam per copulam carnalem completum est. Matrimonium invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de ejusdem nullitate certa evadat. Ita novus codex can. 1015.

Q. *Quinam sunt ministri hujus sacramenti?*

R. Ex doctrina ecclesiae sunt ipsi contrahentes, et parochus venit ut testis auctorizabilis; uti eruitur ex Syllabo 1).

Q. *Quaenam est materia et forma?*

R. Materia sunt corpora contrahentium, forma est consensus expressus per verba, vel per signa 2).

Q. *Quinam debet esse consensus in matrimonio?*

R. Debet esse verus, plene deliberatus, liber, externus, mutuus, et de praesenti. 3).

1831 hoc decretum edidit: « Generatim qui convertuntur ad catholicam fidem habendi sunt ex cap. *Baptismi* tanquam valide conjugati; nisi forte certe et evidenter constat in aliquo particulari casu haereticum, de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum. Et hoc etiam docet N. Cod. can. 1070 id est si baptismus est dubius, standum est pro valore matrimonii.

1) Si enim ex Syllabo non datur matrimonium, quin sit sacramentum, sequitur quod in illis casibus, in quibus juxta N. Cod. can. 1098 potest celebrari matrimonium absque praesentia parochi, illa matrimonia non essent sacramenta, quia deficit minister, nempe parochus. At illa sunt vera sacramenta: ergo dicendum ministrum non esse parochum, sed ipsos contrahentes.

2) Valentes loqui, si contrahunt per signa, valide contrahunt, quia Christus non destruxit naturam contractus, sed peccant contra gravem consuetudinem ecclesiae.

3) En quid statuit Novus codex de consensu matrimoniali. Can. 1081. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat jus in corpus, perpetuum et esclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.

Can. 1082 1.° Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos. 2.° Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

Can. 1083 Error circa personam invalidum reddit matrimonium. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum: 1.° si error qualitatis redundet in errorem personae: 2.° si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.

Can. 1084. Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.

Can. 1085. Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit.

Can. 1086. 1.° Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis. 2.° At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut

Q. *Estne validum matrimonium celebratum per procuratorem?*

R. Maxime 1); ut autem valide ineatur, ex novo codice can. 1089, requiritur 1.° mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus. 2.° Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur, qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est. 3.° Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit 2); aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint. 4. Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi can. 1089 3).

Q. *Matrimonium celebratum sub conditione estne validum?*

R. Idem dicendum, quod dictum est de sponsalibus celebratis sub conditione. 4).

---

omne jus ad conjugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

Can. 1087. 1.° Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et injuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium 2.° Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secum fert.

1) Ratio est, quia Christus elevans matrimonium ad dignitatem sacramenti non immutavit naturam contractus, quare potest, sicut alii contractus per procuratorem celebrari. Et quoniam, uti declaravit Pius IX Alloc 27 Sept. 1852, dari non potest inter fideles contractus matrimonialis, quin sit sacramentum, sequitur quod quando procurator consensum declarat, ipso illo tempore sacramentum conficitur, et conjugibus gratia sacramenti confertur. Mirum itaque videri poterit primo intuitu gratiam sic conferri absenti, et forsan dormienti, sed Deus gratiam largiri potest absenti, sicut et praesenti; nec repugnat in dormiente effectum consequi ob consensum antea habitum tempore vigiliae.

2) In aliis contractibus si revocatio non innotuerit mandatario, lex supplet consensum; secus in matrimonio, in quo requiritur consensus de praesenti.

3) Adverte, quod ut valide contrahatur per procuratorem, non requiritur diversitas sexus. Adverte etiam, quod si procurator assistit matrimonio in peccato mortali, juxta aliquos peccat leviter; mandans vero si est in peccato mortali, peccat graviter. Denique adverte, quod si principalis dormiat, dum procurator contrahit, validum est matrimonium; nam intentio, quae tunc habetur, verius dicenda est virtualis, quam habitualis, cum procurator contrahat virtute mandati, seu vi consensus a principali praestiti. Ita S. Lig. VI. 82.

In D. N. vero ad licite celebrandum matrimonium per procuratorem requiritur gravissima causa cognoscenda et probanda ab Ordinario vel ejus Vicario.

4) Adverte, quod si conditio opponatur bono fidei vel prolis, ut reddat matrimonium nullum, requiritur, ut sit deducta in pactum. Si vero opponatur bono sacramenti, sufficit, ut sit mente retenta, quia eo ipso quod haec

Q. *Matrimonium celebratum sub modo estne validum?*

R. Maxime: licet modus sit turpis vel impossibilis; excipe si sit contra bona substantialia matrimonii.

Q. *Matrimonium celebratum sub causa motiva non existente estne validum?*

R. Maxime: causa enim motiva in matrimonio esse debet semper consecutio bonorum substantialium matrimonii, aliae vero causae censentur semper impulsivae.

Q. *Matrimonium celebratum sub demonstratione falsa estne validum?*

R. Si demonstratio falsa est circa personam, matrimonium est nullum, quia deficit consensus; si demonstratio falsa est circa qualitatem, et non est deducta in pactum, matrimonium est validum.

Q. *Matrimonium celebratum adjectione temporis estne validum?*

R. Si tempus apponitur pro duratione matrimonii, est nullum; si apponitur pro inceptione obligationis, est validum.

De matrimonio civili.

Q. *Quid est matrimonium civile?*

R. Est actus mere civilis, ex quo vir et mulier fideles contra Ecclesiae praescriptum uti veros conjuges se habent 1).

---

conditio mente retineatur, non habetur consensus ad verum matrimonium, cum non possit absque perpetuitate concipi verum matrimonium. E contra matrimonium verum potest haberi sine fidelitate et prole.

Adverte, quod si matrimonium celebratur sub conditione cum duobus, illud est validum, cujus conditio prius verificatur. Si simul et semel verificatur conditio utriusque, neutri standum, quia incertitudo vitiat actum.

Adverte etiam, quod si dubitatur, utrum conditio sit apposita uti *conditio* vel uti *modus*, existimari debet uti *modus* in favorem matrimonii.

Quid si matrimonium contrahatur sub conditione servandi perpetuam castitatem? Multi docent pactum illud excludere jus radicale utendi matrimonio, ejus essentiam laedere, ac illud nullum facere. Alii vero plures, et quidem probabilius, id negant; nam potestas bene separari potest ab usu, ideo hunc excludere, non est illam destruere. Sane sola potestas copulae est de matrimonii essentia, non vero illius usus, et sicut usus abdicatio fieri potest post contractum matrimonium, ita non repugnat, ut fiat in ipso contractu. Neque ideo conjugium caret suo effectu essentiali: nam qui sic contrahit, vi matrimonialis vinculi est inhabilis ad contrahendum cum alia persona; item si conjuges posthabito proposito velint conjungi, non erunt fornicarii, etsi infideles in promissis.

At quid de conditione educandi prolem in idololatria vel haeresi? Utraque conditio est turpis, et neutra est contra substantiam matrimonii, unde pro non adjecta habetur. Nam pro bono prolis intelligitur procreatio prolis, et educatio ipsius, idest ejus generatio, et conservatio. Ita D. Thomas. Suppl. 94. 2 ad 1. d' Annib. et alii communiter.

1) Interrogata S. Poenitentiaria: An Officialis civilis, idest Syndicus, possit assistere matrimonio, ita dicto civili, etiamsi praevideat, aut suspi-

Q. *Estne contractus coram Deo et Ecclesia?*

R. Minime: nam inter christianos non potest dari contractus matrimo-

---

cetur sponsos nunquam celebraturos esse matrimonium coram Ecclesia? Respondit: *Posse tolerari, dummodo officiales civiles in conficiendis hujusmodi actis intendant exercere caeremoniam mere civilem, et nihil peragant aut suadeant contra sanctitatem matrimonii, et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia, quinimo hortentur ad illud coram ipsa Ecclesia contrahendum: habitis prae oculis sanctissimis religionis nostrae legibus, et litteris Bened. XIV* Redditae sunt Nobis, *de quibus, ad scandalum removendum, contrahentes moneant. Quod vero attinet ad casus, in quibus appareat, fideles ad caeremoniam civilem accedentes, male esse dispositos, neque matrimonium (quod regulariter praemitti debuisset) coram Ecclesia esse celebraturos, sed sub praetextu contractus civilis in concubinatu permansuros, ipsos officiales dirigendos esse juxta regulas a probatis auctoribus, ac praesertim a S. Alphonso* lib. II. trac. 3 cap. 2 dub. 5 art. 3) *circa cooperatores traditas.* Die 20 Martii 1885. D. Lig. loco citato docet, quod quando actio per se est bona et indifferens, et quando adest justa causa et proportionata ad gravitatem peccati alterius, cooperatio est materialis et licita.

An vero officialis civilis possit conjungere in matrimonio civili illum, qui jam conjunctus est cum alia in matrimonio ecclesiastico, abstractionem faciens a vero matrimonio, et intendens tantum applicare effectus civiles? S. U. Inquisitio die 27 Maji 1886, declaravit non posse. En quaesitum: « Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus conjugem, ad alias nuptias transire attentantem, civiliter cum alio jungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia, vivatque altera pars? » Respondit: *Negative.*

Jus civile haec admittit impedimenta dirimentia.

I. *Amentia;* nempe semel amens interdictus est, non valet illius matrimonium, etsi habeat lucida intervalla (art. 61, et 11).

II. *Defectus parentum consensus* (vel eorum qui parentum vices sustinent), si filius nondum compleverit annum 25, et filia 21 (art. 63).

III. *Error et vis,* attamen « Non è più ammissibile la domanda di nullità... se vi fu la coabitazione continuata per un mese, dopo che lo sposo ha riacquistata la sua piena libertà, o conosciuto l'errore (art. 105. 106.)

IV. *Cognatio naturalis et affinitas.* (art. 58): « In linea retta il matrimonio è vietato tra tutti gli ascendenti e discendenti legittimi o naturali, e gli affini della medesima linea (art. 59): « In linea collaterale è vietato: 1. tra le sorelle e i fratelli legittimi o naturali: 2. tra gli affini del medesimo grado, 3. tra lo zio e la nipote, la zia ed il nipote. »

V. *Crimen:* « Chi fu in giudizio criminale convinto reo o complice di omicidio volontario commesso, mancato o tentato sulla persona di uno dei conjugi, non può unirsi in matrimonio coll'altro conjuge (art. 62) ».

VI. *Ligamen* (art. 56): « Non può contrarre altre nozze chi è vincolato da un matrimonio precedente »;

VII. *Aetas* (art. 55): « Requiruntur anni 18 completi pro viro, 15 completi pro femina. En art. 110: « Il matrimonio contratto da persona, delle quali anche una sola non fosse pervenuta all'età fissata, non potrà più essere impugnato: 1. quando sieno trascorsi sei mesi dopo compiuta l'età richiesta; 2. quando la sposa, ancorchè non giunta a tale età, sia rimasta incinta ».

VIII. *Impotentia.* (art. 107): « L'impotenza manifesta e perpetua, mo-

nialis, quin sit sacramentum, uti eruitur ex prop. damnatis a Pio PP. IX, in Syllabo 1).

Q. *Quid dicendum de matrimonio coram officiali civili?*

R. Si celebratur animo postea contrahendi in faciem Ecclesiae, est actus mere civilis ad effectus civiles obtinendos 2); secus nihil aliud est, nisi turpis et exitialis concubinatus, uti declaravit Pius IX. Alloc. 27 Sept. 1852 3):

Q. *Matrimonium civile inducitne impedimentum publicae honestatis?*

R. Minime: uti declaravit S. C. C. 13 Mar. 1879, et Pontifex Leo XIII. confirmavit 4). Idem eruitur ex Novo Codice.

Q. *Si ex civiliter nuptis unus coram Ecclesia contrahere omnino recuset, potestne peti dispensatio in radice?*

R. Si ambo contrahentes certi erant de nullitate matrimonii, non potest, defectu veri consensus a principio 5); si vero, etsi cognita illicei-

---

quando sia anteriore al matrimonio, può essere proposta per causa di nullità dall' altro conjuge ».

IX. *Cognatio legalis* (art. 60): Il matrimonio è proibito fra l' adottante, o l' adottato e i suoi discendenti; tra i figli adottivi della stessa persona; tra l' adottato e i figli sopravvenuti all' adottante; tra l' adottato ed il conjuge dell' adottante; e tra l' adottante ed il conjuge dell' adottato.

1) Prop. 66: « *Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est* ». Prop. 73: « *Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est aut contractum semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur* ».

2) S. Poenitentiaria die 15 jan. 1866, monuit parochos curare, ut fideles actum civilem a lege decretum peragerent, tum ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum. Acta S. Sedis tom. 17 n.° 508.

3) De jure communi civiliter contrahentes si postea in concubinatu publice vivant...excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint. Ita in can. 2357; secus in nullam poenam incidunt. Clerici vero e contra ex sola contractione matrimonii sic dicti civilis incidunt in excom. simpliciter. Sedi Apostolicae reservatam. Vide in impedimento *Voti et Ordinis*.

In dioecesi nostra Qui, actis civilibus matrimonii initis, quin matrimonium coram Ecclesia celebraverint, vitam instituerint maritalem, incidunt in casum reservatum sine censura.

4) S. Cong. Concilii propositum fuit: An actus, qui vulgo dicitur matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis? S. C. die 13 Mart. 1876 respondit: *Negative, facto verbo cum SS. ut id decernere et declarare dignetur per decretum generale.* . Et hoc confirmatur ex N. Codice can. 1078.

5) Ratio est, quia cognita matrimonii invaliditate, nequit dari in illud verus ac proprie dictus consensus; sed habetur tantum intentio vivendi in concubinatu, et proinde consensus sanari nequit, cum a principio fictus fuerit.

tate, ad valorem non attenderunt, olim quaestio erat, sed pluries S. Poenit. hanc dispensationem concessit. Et nuperrime Ordinario Neap.no eamdem facultatem sanandi in radice nonnulla matrimonia civiliter contracta delegavit 1).

De indissolubilitate matrimonii.

Q. *Matrimonium estne indissolubile quod ad vinculum?*

R. Vel loquimur de matrimonio consummato, et nunquam potest dissolvi; vel de matrimonio rato, et potest dissolvi per dispensationem Papae, aut per professionem religiosam 2); vel de matrimonio legitimo et potest dissolvi per dispensationem Papae 3), aut per conversionem unius ad fidem 4).

---

1) Idest eam concessit cum consuetis formulis, en verba: *dummodo prior consensus perseveret, et imposita mulieri obligatione prudenter monendi virum de hujusmodi sanatione obtenta ad hoc, ut ipse sciat se in legitimo matrimonio versari, nec non remoto scandalo quod occasione similium sanationum oriri potest.* Die 8 Martii 1892.

2) Solemnis dicitur professio, quae fit in religione aliqua a Sede Apostolica approbata: unde excluduntur Congregationes, in quibus vota tantum simplicia emittuntur, et etiam vota simplicia post biennium emissa in Societate Jesu, etsi ex singulari privilegio Gregorii XIII, constituant impedimentum dirimens, ita Suarez, *De Religione.* — Anteacto tempore Ecclesia novis conjugibus concedebat bimestre intra quod tempus nemo habebat jus consummandi matrimonium, et nemo habebat obligationem reddendi. Unde non consummato matrimonio unusquisque conjugum poterat invito altero Religionem ingredi et profiteri. Sed ex novo codice can. 1111, hoc privilegium abrogatum est; nam dicitur: *Utrique conjugi ab ipso matrimonii initio aequum jus et officium est quod attinet ad actus proprios conjugalis vitae.* Hinc si quis, celebrato matrimonio, renuit consummare, peccat; at si ingreditur religionem, et profitetur, valida est professio, si praecessit validus novitiatus, si praecessit professio simplex temporaria, et fuit a legitimo Superiore receptus juxta novum codicem can. 512, sed illicita, quia laedit jus alterius partis. S. Lig. VI. 958.

3) Ratio est, quia si Summus Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, eo potius potest in legitimo, post conversionem non consummato, uti declaravit Urbanus VIII, die 20 Octobris 1626. Et Benedictus XIV, de Synodo lib. VI, cap. 4 n. 5, refert S. Pium V, et Greg. XIII solvisse post conversionem ad fidem quaedam matrimonia in infidelitate contracta. S. Alph. VII 897, et 956.

4) Matrimonium legitimum in infidelitate contractum et consummatum ex privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso, et ab Apost. Paulo promulgato, dissolvi potest etiam quoad vinculum, quando nempe alter conjugum christianam fidem amplectitur, et baptismum suscipit, et alter in sua infidelitate manet. Sic ait Apostolus 1.° Cor. VIII. *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si quae mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat*

De divortio.

Q. *Quid est divortium?*

R. Est legitima separatio conjugum, manente vinculo conjugali.

Q. *Quotuplex est?*

R. Perpetuum 1), et temporale; quod ad torum tantum, vel quod ad habitationem tantum; vel quod ad torum et habitationem simul.

---

virum... Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi. Sed pars conversa tenetur interpellare partem non baptizatam. 1.° An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere. 2.° An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. 3.° Hae interpellationes fieri semper debent, (excipe si Sedes Apostolica justa causa dispensaverit), si infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata jus habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi ipsa post baptismum dederit parti non baptizatae justam discedendi causam. Ita N. C. can. 1121-23. Dictum est quod *pars baptizata jus habet novas nuptias contrahendi*, quia matrimonium non statim dissolvitur per susceptionem baptismi (*in baptismo crimina solvuntur, non conjugia*), sed quando conjux conversus et baptizatus transit ad alias nuptias, vel ad professionem religiosam, et tunc etiam conjux, qui manet in infidelitate valide et licite potest aliud matrimonium inire. Quare si pars fidelis nondum statum mutaverit, et pars infidelis ad fidem etiam se converterit, tenetur partem conversam recipere. — Conjux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, jus tamen novas celebrandi nuptias cum parte catholica non amittit, ideoque potest hoc jure uti, si conjux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine justa causa, vel jam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris. Ita in can. 1124.

Sed si ambo conjuges convertuntur ad fidem, matrimonium non solvitur, immo juxta communiorem sententiam per Baptismum perficitur, et habet rationem sacramenti; tum quia conversi ad fidem non debent gratia sacramentali privari absque evidenti ratione; tum quia per Baptismum matrimonia infidelium evadunt etiam in faciem Ecclesiae probata, rata et insolubilia, ac proinde evadunt etiam Sacramenta. Quando autem id praecise contingat, juxta alios evenit actu ipso, quo infideles Baptismum suscipiunt, quia tunc virtualiter et implicite etiam in praecedens matrimonium consentiunt. Alii vero requirunt novum consensum, id est prioris renovationem; hanc tamen renovationem non curat Ecclesia. Immo si quandoque ad illam hortatur, expresse monet eam minime requiri ad conjugii firmitatem: uti habetur ex responsione S. Officii ad Vicarium Apost. Novae Zelandiae anno 1848, et ex alia ejusdem C. S. Officii 5 Febr. 1870. — Demum si pars conversa plures uxores habeat, et omnes quoque convertantur, prima tantum est retinenda, relictis aliis.

1) Effectus divortii perpetui est posse sumere statum perpetuum. Status perpetuus est professio religiosa, vel susceptio sacri ordinis; sed semper remanet vinculum. Hinc qui post matrimonium sacros Ordines suscipit, aut consummato matrimonio cum venia uxoris, vel per adulterium ab ea patratum in Religione profitetur, si postea suam uxorem carnaliter cognoscit.

Q. *Est licitum?*

R. Maxime: uti ex Tridentino; et ratio instituendi divortium competit tam viro, quam uxori.

Q. *Quotuplici ex capite potest institui?*

R. Vel amore virtutis, vel causa delicti.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut instituatur divortium amore virtutis?*

R. Mutuus consensus, et ut non adsit periculum incontinentiae 1).

Q. *Quibus ex delictis potest fieri divortium?*

R. 1. Ob fornicationem 2); 2. ob lapsum in haeresim; 3. ob conjugis saevitiam; 4. ob periculum animae, vel corporis 3).

Q. *Innocens tenetur facere divortium?*

R. Minime: quia potest cedere juri suo.

Q. *Adsunt casus, in quibus debet?*

R. Maxime: 1. quando requiritur ad emendationem delinquentis; 2. ad tollendum scandalum; 3. quando innocens habet votum castitatis.

Q. *Adsunt casus, in quibus non potest?*

R. Maxime: 1. quando uterque commisit adulterium 4); 2. quando

---

non peccat contra castitatem, quia accedit ad suam, sed tantum contra religionem ratione voti violati.

1) Divortium amore virtutis regulariter loquendo fit semper temporale. Posset tamen fieri perpetuum, quando nempe uxor daret licentiam viro suscipiendi statum perpetuum. In hoc casu uxor deberet emittere votum simplex castitatis; utrum debeat religionem ingredi, quaestio: Hinc si vir sine libera et expressa conjugis licentia, aut sine divortio perpetuo sacros ordines susciperet. Ordinatio esset valida, sed illicita, et ipse in irregularitatem incideret, ex novo codice can. 985. Si vero religionem profiteretur post matrimonii consummationem, professio esset nulla, quia non acceptatur ab Ecclesia.

2) Per fornicationem hic intelligitur concubitus consummatus cum alieno supposito, sive homine, sive bestia. Adverte, quod divortium ex delicto potest fieri perpetuum tantum ob fornicationem. Ita N. Cod. can. 1129.

3) Ex parte animae: ut si conjux incitetur ad graviora peccata, v. g. sodomiam, pollutionem, nam quisque spiritualem salutem omnibus praeponere debet. Huc spectat illud Christi: *si oculus tuus scandalizet te, erue eum, et projice abs te.* Ex parte corporis, v. g. si altera pars sit saeva, et procedat ad percussiones atroces, sit amens, furiosa, malefica, unde grave timendum sit damnum. Item si sit morbo contagioso infecta et illum contrahendi periculum sit.

4) Nam si reciprocum fuit adulterium, nemo habet jus, quia paria delicta mutua compensatione delentur; neque refert, quod unus pluries adulteraverit, quia attenditur ad fidei fractionem.

Facto divortio ob adulterium, si pars innocens etiam adulteretur, tenetur redire ad conjugem eadem ratione, quia paria delicta mutua compensatione delentur. Si vero divortium juridice actum sit, nempe per sententiam judicis, si pars innocens adulteretur, longe probabilius docet Sanchez cum D.

adulterium fuit tantum materiale 1) ; 3. quando adfuit consensus alterius conjugis in adulterio ; 4. quando innocens remisit reo injuriam.

Q. *Qua auctoritate potest fieri divortium ?*

R. Si delictum est publicum potest fieri auctoritate privata ; si est occultum, potest fieri auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de delictis certo constet, et periculum sit in mora. Ita in novo codice can. 1131.

Q. *Facto divortio perpetuo, pars rea potest sumere statum perpetuum ?*

R. Potest : 1. vel quando innocens jam sumpsit statum perpetuum 2. vel quando obtinuit veniam ab innocente 2).

Q. *Facto divortio, debetne restitui dos ?*

R. Si divortium fit amore virtutis, debet ; si causa delicti, distinguo: si ob delictum viri, fructus dotis sunt uxoris, si ob delictum uxoris, debentur ei tantum alimenta.

Thoma (in 4. d. 35. 6), quod nonnisi causa simplicis honestatis tenetur ad compartem redire, sed per se non tenetur, quia per sententiam jam absolutam libera facta est ab illius servitute. Et idem ajunt valere , si adultera pars emendetur (Glossa in c. *Si vir de adult.*).

1) Idest si conjux sine culpa formali adulteretur, puta ob errorem inculpabilem, vel si violenter cognita sit ; nam ubi non est culpa, non debet esse poena, ita omnes. Secus vero, ut notat Sanchez, si per metum consentiret, quia propter metum non excusatur a culpa. S. Alph. VI. 966.

2) En praedictae doctrinae textus Novi Codicis in can. 1129 et seqq. « Propter unius conjugis adulterium, alter conjux, manente vinculo, jus habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse vel tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit. Tacita condonatio habetur. si conjux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero conjuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit ; praesumitur vero nisi sex intra menses conjugem adulterum expulerit vel dereliquerit , aut legitimam accusationem fecerit : — Conjux innocens, sive judicis sententia, sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla unquam obligatione tenetur conjugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium; potest autem eumdem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit. — Si alter conjux sectae acatholicae nomen dederit ; si prolem acatholice educaverit ; si vitam criminosam et ignominiosam ducat ; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat ; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus sunt pro altero conjuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet , et periculum sit in mora. In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est ; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, conjux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore. — Instituta separatione, fili educandi sunt penes conjugem innocentem, et si alter conjugum sit acatholicus, penes conjugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorundem catholica educatione, aliud decreverit. »

De debito conjugali.

Q. *Actus conjugales suntne liciti?*

R. Maxime: imo aliquando obligatorii, quando nempe conjux petit serio, instanter, et rationabiliter 1).

Q *Ob quem finem possunt haberi?*

R. 1. Ad generandam prolem; 2. ad reddendum debitum; 3. ad tollendam incontinentiam 2).

Q. *Adsunt casus, in quibus conjux non tenetur reddere debitum?*

---

1) Quando conjux petit modo, loco, et tempore debito, tunc petit rationabiliter.

2) Hinc si exercentur ob solam voluptatem, non carent culpa veniali. At licetne conjugibus copulari, si ob senectutem, vel aliam dispositionem plerumque accidat, quod semen extra vas effundatur? Affirmant probabiliter Rossius, Bonac., Sanch., modo adsit *spes probabilis seminandi intra vas*, quia semper ac adest talis spes, jus habent ad copulam, et si semen effunditur, hoc per accidens evenit; secus non possunt. S. Alph. VI. 954.

Propositis sequentibus dubiis: 1. Quando adest fundata suspicio poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario *liceat* a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque Sacramenta deserturos esse? An non potius *teneatur* confessarius prudenter ac discrete interrogare?

2. An confessarius, qui, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione, cognoscit poenitentem esse onanistam, teneatur illum de hujus peccati gravitate, aeque ac de aliorum peccatorum mortalium, monere, eumque (uti ait Rituale Romanum) paterna charitate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eundem dolere de praeterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi?

Sacra Poenitentiaria, attente..... vitium infandum de quo in casu late invaluisse, ad proposita dubia respondendum censuit, prout respondet:

Ad 1.um Regulariter *negative* ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 2.um *Affirmative* juxta doctrinas probatorum Auctorum. Die 10 Martii 1886.

An liceat uxori sine peccato reddere viro volenti seminare extra vas? S. Poenitentiaria sic respondit: *Cum tota actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi retrahit se, et extra vas effundit, ideo si mulier post debitas monitiones nihil proficiat, vir instet minando verbera aut mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa, ut probati Theologi docent, citra peccatum permissive se habere. Cum in his rerum adjunctis ipsa viri peccatum simpliciter permittat, idque re gravi causa, quae eam excusat; quoniam charitas, qua impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat* Die 1. Febr. 1823.

R. Maxime: quando adest grave periculum salutis corporis 1) vel animae, et quando altera pars non habet jus petendi.

Q. *Adsunt casus, in quibus non licet petere?*

R. Maxime: et sunt, quando quis habet votum castitatis, vel quando contraxit cum dubio de valore matrimonii.

De impedimentis matrimonii.

Q. *Quotuplicis generis sunt impedimenta matrimonii* 2)*?*

R. Duplicis generis: alia sunt impedientia, alia sunt dirimentia; prima reddunt matrimonium illicitum, secunda nullum 3).

---

1) Quia nemo est dominus suae vitae, hinc cum gravi periculo salutis conjux non tenetur reddere; sed poteris quandoque ex charitate ob periculum incontinentiae alterius partis, vel ob aliud grave damnum spirituale exinde oriturum. Lig. VI. 950 et seqq.

2) Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum. Ita N. Cod. can. 1073. — Impedimenta ligant etiam ea invincibiliter ignorantes, quia sunt leges irritantes ob bonum commune, et ignorantia non impedit effectum irritationis, nec supplet defectum rei essentialiter requisitae. Quae quidem impedimenta, si sunt juris naturalis, omnes obstringunt etiam infideles, si sunt juris ecclesiastici obligant solummodo fideles.

Nunquam potest contrahi matrimonium cum dubio impedimenti dirimentis juris naturae, vel juris divini, e. g. si dubitatur de morte conjugis, quia Pontifex non potest dispensare in utroque jure. Si vero impedimentum est juris ecclesiastici, et opinio de non existentia impedimenti est probabilis et communiter recepta, et tunc potest contrahi matrimonium cum hoc dubio de valore, quia si Ecclesia tacet, praesumitur dispensare.

Si vero dubium non est juris, sed facti, e. g. utrum copula fuerit perfecta, utrum sint consanguinei, et tunc nunquam potest contrahi matrimonium cum dubio facti, quia si factum existit, contraheretur matrimonium nullum. Attamen in hoc casu nonnulli dicunt a S. Sede petendam esse dispensationem. S. Alph. VI. 902 tenet posse Episcopum dispensare, quia licet dispensatio hujusmodi impedimentorum sit Papae reservata, tamen, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, et restrigenda tantum ad actus certos. Interrogata S. Poenitentiaria anno 1840 de hac re, respondit: *Consulat probatos auctores et in casibus gravioris dubii recurrat ad S. Sedem saltem ad cautelam.*

Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit. Hinc si quis contrahit matrimonium, et per errorem putat fuisse validum, dum fuit nullum ob impedimentum dirimens, si, relicta putata uxore, in longinquum aliud matrimonium contrahit, potuit apponere verum consensum. Ita in can. 1085.

3) In Ecclesia adest potestas statuendi impedimenta dirimentia matrimonium, et oppositum est damnatum ex Trid. Ratio est quia matrimonium est sacramentum: atqui Ecclesia est custos et dispensatrix sacramentorum: ergo ad eam pertinet statuere leges, quibus celebrandum est. Insuper Ec-

Q. *Quaenam sunt impedimenta impedientia?*

R. Ex novo codice can. 1058 impedimenta impedientia sunt: votum simplex virginitatis, votum castitatis perfectae, votum non nubendi, votum suscipiendi ordines sacros, et votum amplectendi statum religiosum 1).

Q. *Quaenam sunt impedimenta dirimentia?*

R. Error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, aetas, affinis, si clandestinus, et impos, raptave sit mulier nec parti reddita tutae. Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Q. *Quomodo dispescuntur impedimenta dirimentia juxta novum codicem?*

R. Ex can. 1042 § 1.° Impedimenta dirimentia alia sunt gradus minoris, alia majoris.

§ 2.° Impedimenta gradus minoris sunt:

1.° Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis;

2.° Affinitas in secundo gradu lineae collateralis;

3.° Publica honestas in secundo gradu;

4.° Cognatio spiritualis;

5.° Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.

§ 3.° Impedimenta majoris gradus alia sunt omnia 2.)

Q. *De quo jure sunt ista impedimenta?*

---

clesia habet divinam missionem ducendi homines ad virtutem et aeternam felicitatem: atqui impedimenta matrimonii ad haec maxime conferunt, quia per ea tuetur sanctitas sacramenti et bonum spirituale contrahentium: ergo Ecclesia habet potestatem ea statuendi — Ex novo codice can. 1040 Praeter Romanum Pontificem nemo potest impedimenta juris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare; item nec in eisdem dispensare, nisi jure communi aut speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit.

1) Ex can. 1058. Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit.

2) In canone 10 novi codicis habetur: «Leges respiciunt futura non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur». Hinc quaesitum uitf Commissioni pro interpretatione novi codicis: Quid dicendum de matrimoniis antea contractis cum aliquo impedimento, fiuntne matrimonia illa valida ipsa promulgatione novi codicis, vel post dictam promulgationem indigent dispensatione? Resp. *Negative* ad primam partem. *Affirmative* ad secundam. Ratio, est quia lex non habet vim retroactivam.

R. De jure positivo, exceptis his, quae continentur in hoc versiculo : Errans 1), invitus 2), conjunctus 3), junctus 4), et impos 5).

Q. *Qui celebrat matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, peccatne, et incidit in aliquam poenam ?*

---

1) Idest error circa personam.

2) Idest vis absoluta.

3) Idest consanguinitas. Haec in primo gradu lineae rectae dirimit matrimonium de jure naturae penes omnes, in aliis gradibus ejusdem lineae rectae, utrum dirimat de jure naturae vel de jure positivo, quaestio ; in primo gradu lineae transversalis etiam quaestio, utrum dirimat de jure naturae, vel de jure positivo, in aliis gradibus de jure ecclesiastico. Dixi in primo gradu lineae rectae consanguinitatem dirimere matrimonium de jure naturae, quia proles naturali jure magnam reverentiam ac submissionem debet parenti suo ; per carnalem autem copulam aequaretur parenti, quasi una caro cum ipso effecta, quod est contra debitam reverentiam, ac submissionem erga parentes ; ideoque nulla est natio tam barbara, in qua se misceant parentes cum filiis. Dixi in caeteris gradibus ejusdem lineae quaestionem esse. Nam nonnulli affirmant de jure naturae irritum esse matrimonium, quia nepotes non minus per se dependent ab avo, tanquam principium generarionis suae, quam a proprio parente, cum causa causae sit etiam causa causati : consequenter nepotes avis suis non minorem reverentiam et filialem submissionem (cui usus conjugalis adversatur) naturali jure debent, quam propriis parentibus. Alii negant, quia solus parens dicitur principium filii, reliqui progenitores tantum per accidens, ideoque minor debetur eis reverentia. Dixi in primo gradu lineae transversalis quaestionem esse, utrum consanguinitas dirimat matrimonium de jure naturae, vel de jure ecclesiastico. Nam nonnulli affirmant esse de jure naturae 1.° quia inter fratres et sorores ob sanguinis conjunctionem est quidam naturalis pudor, ac reverentia, cui valde adversatur actus conjugalis, turpitudinem alterius detegens ; 2.° quia omnes gentes bene instructae ab hujusmodi matrimoniis se abstinent, et quae illa permittebant, tanquam incultae et barbarae notantur a viris probis ; 3.° quia nunquam Ecclesia in hoc gradu dispensavit ; 4.° quia Innoc. III cap. *Gaudemus de divortiis* statuit infideles conversos ad fidem non separandos esse a matrimonio tempore infidelitatis inito in 2.° et aliis ulterioribus consanguinitatis gradibus, hinc tacite insinuavit separandos esse, quando sunt conjuncti in 1.° gradu. Alii negant 1.° quia mundi initio fratres ducebant sorores suas, nec constat de divina dispensatione. Immo adeo dedecet statim ipso mundi exordio jus naturae infringi, ut potius debuisset Deus aliter providere propagationi generis humani ; 2.° quia cum frater et soror non sint directe una caro, ut sunt pater et filius, nec inter ipsos repugnet aequalitas, nec sit mutua reverentia debita, cum neuter superior sit, dicendum matrimonium inter eos non esse jure naturae irritum, sed tantum ecclesiastico. Nec valet cap. *Gaudemus de divortiis* a contrariis allatum, quia Innoc. III declaravit quod certum erat, relinquens primum gradum, quis sub judice est, utrum dirimat de jure naturae.

4) Idest matrimonium cum una dirimit matrimonium cum alia.

5) Idest impotentia antecedens et perpetua, sive sit absoluta, sive relativa.

R. Peccat graviter contra praeceptum Ecclesiae, contra religionem, contra justitiam, si altera pars est in bona fide; et si celebrat cum impedimento voti solemnis, incidit in excommunicationem latae sententiae Sedi Ap. simpliciter reservatam. Ita in can. 2388.

Q. *Qui matrimonium nulliter celebratum consummat, praeter peccatum contra castitatem committit speciale peccatum, et incidit in aliquam poenam?*

R. Tunc committit speciale peccatum, quando laeditur etiam alia virtus 1); et si matrimonium est nullum ob impedimentum voti solemnis, incurrit in irregularitatem ex delicto. Ita in novo codice can. 985.

De impedimento erroris, et conditionis.

Q. *Estne validum matrimonium celebratum per errorem?* 2).

R. Si error est circa personam, sive sit antecedens, sive sit concomitans matrimonium est nullum, quia deest consensus 3). Si error est circa qualitatem, matrimonium est validum; dummodo qualitas non sit apposita uti conditio 4), vel non redundet in personam 5).

---

1) Hinc si matrimonium fuit nullum ob impedimentum consanguinitatis aut cognationis spiritualis, aut affinitatis praeter peccatum contra castitatem peccat etiam contra pietatem; si fuit nullum ob impedimentum voti aut ordinis, peccat etiam contra religionem; si fuit nullum ob impedimentum ligaminis, peccat etiam contra justitiam.

2) *Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.* Ita in cod. can. 1084.

3) Error circa personam dirimit matrimonium ipso jure naturae; persona enim contrahens est objectum substantiale, ideo si erratur circa personam, erratur circa substantiam contractus, qui consequenter erit prorsus invalidus. Id tenet, etiamsi error sit concomitans, est semper error, errantis autem nulla voluntas, ideo in actu non habetur consensus. — Error antecedens dicitur ille, qui si non adesset, matrimonium non fuisset celebratum. Error concomitans dicitur ille, qui si non adesset, matrimonium etiam fuisset celebratum, sed non tam de facili. Hinc matrimonium Jacob cum Lia fuit nullum, quia ipse putabat eam esse Rachelem, quare nonnisi accedente postea consensu, validum evasit. At si quis intendit contrahere cum muliere praesenti, quaecumque ea sit, valet matrimonium, quia circa eam versatur consensus.

4) Hinc si quis ducit Bertam putans esse divitem, quae dives non est, matrimonium est validum, quia error est circa qualitatem. Si tamen contraxit hoc modo: *contraho tecum, dummodo sis dives*, tunc si dives non est, matrimonium est nullum, quia qualitas apposita fuit uti conditio. Et licet contraxisset hoc modo: *contraho tecum, dummodo sis dives; et si dives non esses, adhuc contraherem tecum;* si dives non est, matrimonium etiam est nullum, quia deest consensus de praesenti.

5) Illa qualitas dicitur redundare in personam, quae substantialiter mutat personam, uti est primogenitura in magnatibus.

Haec dicta circa qualitates valent pro foro interno (in quo explorandus

Q. *Quid est impedimentum conditionis ?*

R. Est servitus ignorata.

De impedimento voti, et ordinis.

Q. *Ex quonam voto , et ex quo ordine oritur impedimentum dirimens matrimonium ?*

R. Ex voto sollemni 1) emisso in professione religiosa, et ex ordine sacro a clericis suscepto 2).

---

est ipse contrahentis animus), ut docet D. Thomas ; in externo enim generatim judicium ferri solet pro matrimonii validitate, nisi conditio expressa fuerit in ipsa celebratione ; talis enim censetur consensus matrimonialis, qualis per verba exprimitur in faciem Ecclesiae coram parocho et testibus. Idque merito, secus de pluribus conjugiis actum esset ; nam quisque facile protestari posset, se nonnisi sub hac vel illa conditione contraxisse.

1) *Votorum solemnitas*, uti ait cl. Philippus de Angelis, *consistit in vi per dispositionem Ecclesiae illis addita, irritandi nonnullos, actus religiosae professioni contrarios.* Haec sententia hodie videtur apud canonistas evasisse communior.

2) En textus N. Cod. can. 1072-73. *Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti. Item invalide matrimonium attentant religiosi, qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi.* Vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit dirimendi matrimonium contrahendum, sunt vota emissa a novitiis Societatis Jesu, peracto biennio probationis.

An uxor, quae dedit licentiam viro sumendi statum perpetuum, praeter votum castitatis (quod certo ab ea est emittendum ex capite *Conjugatus*), teneatur etiam Religionem ingredi, quaestio est. Nonnulli affirmant. Alii verius negant, uti eruitur ex cit. cap. *Conjugatus*, ubi dicitur : *Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Non dicitur *Religionem* profitente, sed continentiam. Excipiendum tamen est ; 1.° si vir ad Episcopatum assumatur, tunc enim uxor omnino debet Religionem ingredi ob decentiam Episcopatus, ut statuitur in cap. *Sane* ; 2.° si vir fieret Religiosus, et uxor esset juvenis, ex cap. *cum sis.* S. Lig. VI 812 — Professio emissa post matrimonium consummatum sine conjugis licentia, et sine divortio perpetuo est nulla ex cap. *Quidam*, quia conjux iste, causa vinculi conjugalis, sui corporis potestatem non habens nihil habet quod ad religionem deferat. Unde post mortem conjugis non tenetur redire ad Religionem, quia professio fuit nulla. — Vota vero simplicia perpetua, quae ex novo codice can. 574 debent fieri a novitiis ad triennium in quolibet Ordine tam virorum quam mulierum, peracta probatione, ante sollemnem professionem, impediunt, non dirimunt matrimonium, quia non sunt vota sollemnia. — Haec autem vota simplicia licet sint perpetua ex parte voventis, tamen si professi votorum simplicium a Superioribus Ordinis a religione dimittuntur, et a votis in actu dimissionis solvuntur, vel a S. Sede dispensationem a votis obtinent, evadunt ab omni dictorum votorum

Q. *Votum sollemne emissum in professione religiosa, et ordo sacer dirimuntne eodem modo matrimonium?*

R. Minime: nam votum emissum in professione religiosa dirimit matrimonium contrahendum, et etiam contractum, dummodo non sit consummatum. Ordo sacer dirimit matrimonium contrahendum, non contractum 1).

Q. *An voto sollemni castitatis ligati, vel sacro ordine insigniti matrimonium contrahere praesumentes incidunt in poenas?*

R. Ex novo cod. can. 2388. 1.° Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excom. latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adjunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur. 2.° Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus, quam in Congregationibus religiosis, omnes excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata 2).

De impedimento cognationis.

Q. *Quid est cognatio, et quotuplex?*

R. Est vinculum personarum ortum a natura, vel a lege. Est triplex: carnalis, spiritualis, et legalis.

vinculo liberi, et non tantum valide, sed etiam licite contrahere possunt matrimonium. Ita S. Congr. super statu Regularium. Die 12 Junii 1858. Cf. Monitore Eccles. Vol. V. par. 1. pag. 35-36, ubi referuntur declarationes super hac re.

1) Hinc si quis fecit prius votum ingrediendi in religionem, et postea contraxit matrimonium, non solum peccavit contrahendo, sed peccat etiam pro prima vice petendo vel reddendo, posset enim adhuc implere votum, non consummando matrimonium, et ingredi in religionem. Si quis vero fecit votum suscipiendi sacros ordines, et postea contraxit matrimonium, peccavit tantum contrahendo, sed non peccat petendo vel reddendo quia per solam contractionem matrimonii evasit prorsus inhabilis ad ordines suscipiendos.

Adverte, quod si quis fecit votum simplex castitatis, et postea celebravit matrimonium, peccavit celebrando matrimonium, semper peccat petendo, quia debet servare votum modo quo potest. Si vero fecit votum non nubendi, et postea contraxit matrimonium, peccavit tantum celebrando; at nunquam peccat petendo vel reddendo, cum non possit amplius servare votum.

Omnia vero expressa vota reviviscunt post conjugis mortem, aut divortium perpetuum.

2) Ordo sacer dirimit matrimonium ex jure ecclesiastico; an vero votum emissum in professione religiosa dirimit etiam matrimonium jure divino, disputant Doctores.

Q. *Quid est cognatio carnalis?*

R. Est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione 1).

Q. *Quid est stipes?*

R. Est illa persona, a qua aliae descendunt per carnalem propagationem 2).

Q. *Quid est linea?*

R. Est series personarum, quae ab eodem stipite descendunt, et est *recta*, vel *transversalis*. Linea recta est series personarum, quarum una ab altera descendit; et subdividitur in lineam ascendentium, quando nempe progredimur a genitis ad genitores, et descendentium, quando progredimur a genitoribus ad genitos. Linea transversalis, seu obliqua est aequalis, et inaequalis; prima habetur inter personas aequaliter distantes a communi stipite, secunda habetur inter personas inaequaliter distantes a communi stipite.

Q. *Quid est gradus?*

R. Est distantia cognatorum.

Q. *Quomodo computantur gradus?*

R. In linea recta jus civile et jus canonicum conspirant, et utriusque regula est: quot sunt generationes, tot sunt gradus. In linea obliqua tam aequali, quam inaequali eadem est regula in jure civili. Jus canonicum vero pro linea obliqua aequali statuit hanc regulam: quot gradibus personae cognatae distant a communi stipite, tot gradibus distant inter se 3). Pro linea obliqua inaequali hanc aliam regulam: quot gradibus persona remotior distat a communi stipite, tot gradibus personae cognatae distant inter se 4).

Q. *Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?*

1) Consanguinitas matrimonium dirimit etiam inter eos, qui tantum vel ex eodem patre, vel ex eadem matre nati sunt; item inter consanguineos ex illegitimis natalibus genitos can. 1076. Ratio est, quia diversitas patris aut matris, vel illegitimitas non impedit quominus carnalis consanguinitas inter eos existat. Hinc habetur cognatio carnalis seu consaguinitas semper ac adest copula; et nihil refert utrum licita an illicita sit, ut ab Innocentio III. expresse declaratum fuit; ideoque matrimonium aeque prohibetur inter cognatos et agnatos, uterinos, consanguineos, et germanos. Lig. lib. VI.

2) De stipite remoto in linea transversali nulla habetur ratio, alioquin omnes homines essent consanguinei, quia omnes ab uno Adam descendunt.

3) Hinc duo fratres sunt in primo gradu inter se, quia quisque uno gradu distat a communi stipite, nempe a patre; duo consobrini sunt in secundo gradu inter se, quia quisque duobus gradibus distat a communi stipite. Secus in jure civili quo duo fratres sunt in secundo gradu inter se, quia habentur duae generationes, duo consobrini sunt in quarto gradu, quia habentur quatuor generationes.

4) Hinc fratris filius est in secundo gradu cum suo patruo; etenim fratris filius (qui est persona remotior) est in secundo gradu cum communi sti-

R. Ex novo codice can. 1076 : In linea recta extenditur inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales. In linea collaterali usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur, quoties communis stipes multiplicatur 1).

Q. *Quid est cognatio spiritualis ?*

R. Est propinquitas personarum orta ex collatione veri baptismi etiam privati ; 2) vel ex susceptione in baptismo, aut in confirmatione : ait enim novus codex can. 797, *etiam ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis.*

Q. *Inter quas personas contrahitur cognatio spiritualis, et ex qua cognatione oritur hoc impedimentum ?*

R. Ex novo codice can. 768 ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans, et patrinus: ex confirmatione contrahunt tantum confirmatus et patrinus. Ex canone 1079 ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768, idest quae oritur ex baptismo.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur , ut patrinus contrahat cognationem ?*

R. Istae : 1. ut sit baptizatus, 3). 2. ut teneat in baptismo valido, licet privato 4) 3. ut habeat intentionem praestandi officium patrini ;

---

pite, nempe cum avo, et ideo est in secundo gradu cum patruo. In jure civili autem est in tertio gradu, quia computantur tres generationes ; avus enim genuit patruum, et genuit patrem, a quo postea ipse genitus est.

1) Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium partes esse consanguineas in aliquo gradu lineae rectae, aut in primo gradu lineae collateralis. Ita novus codex can. 1076.

2) Hoc eruitur ex textu, quia si in canone 716 dicitur : *Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur ; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem.* Ergo ex opposito si patrinus interfuit, et tenuit in baptismo privato, dum collatus fuit, contraxit spiritualem cognationem.

3) Ad cognationem contrahendam baptismus est conditio necessaria quoad omnes, quia hoc impedimentum est de jure ecclesiatico ; proinde si infideles (licet catechumeni), tenent in baptismo, cognatio ab ii non contrahitur. Quocirca postquam ad fidem conversi essent, possent contrahere matrimonium cum prole a sacro fonte suscepta.

Certum est autem hanc cognationem contrahi etiam ab haeretico tum, si baptizet, tum si teneat in sacro fonte aliquem infantem fidelis filium. Ratio quia quisquis characterem baptismalem habet, est capax hujus cognationis, et legibus Ecclesiae subditur. — Nota sunt SS. Congregationum decreta , quibus interdicitur, ne aut catholicus haereticorum filios in baptismo elevet, aut haereticus admittatur ad officium patrini in baptismo catholici.

4) Quod si dubitatur de valore primi baptismi collati, et iteratur sub conditione, si tenet idem patrinus, qui adfuit in collatione primi baptismi, de cujus valore dubitatur, contrahit cognationem ; si non est idem patrinus sed

4. ut sit ad hoc designatus 1); 5. ut nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus; 6. ut baptizandum in ipso actu per se vel per procuratorem physice tangat, can 775 (2).

Q. *Quid est cognatio legalis?*

R. Est propinquitas personarum orta ex adoptione perfecta 3).

Q. *Quinam sunt effectus adoptionis perfectae?*

R. Impedimentum dirimens, et alii effectus civiles, uti in codice.

Q. *Inter quas personas contrahitur?*

R. Novus codex can. 1080 quoad hoc impedimentum statuit: Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi juris canonici matrimonium inter se valide contrahere. En dispositio legis civilis art. 60. Il matrimonio è proibito tra l' adottante, l' adottato e i suoi discendenti; tra i figli adottivi della stessa persona; tra l' adottato e i figli sopravvenuti all' adottante; tra l' adottato e il conjuge dell' adottante; e tra l' adottante ed il conjuge dell' adottato.

De impedimento criminis.

Q. *Quid est impedimentum criminis?*

R. Est illud, quod oritur ab uno ex his quatuor capitibus: 1. ex homicidio cum conspiratione; 2. ex adulterio cum homicidio; 3. ex adul-

---

alius neuter contrahit cognationem, en textus: 1.° *Cum baptismus iteratur sub conditione, idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit: extra hunc casum in baptismo conditionato patrinus non est necessarius:* 2.° *Iterato baptismo sub conditione, neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque posteriori, cognationem spiritualem contrahit nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit.* Can. 763.

1) In baptismo ex N. Cod. can. 764. *Patrinus unus tantum licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur.* Isti possunt designari ad officium patrini. Hinc si plures tenent successive, duo primi tantum contrahunt cognationem; si vero tenent simul, quaestio.

2) Hinc adverte, quod si conjux baptizat, vel tenet filium in baptismate ex ignorantia vel ex necessitate non peccat, nec contrahit impedimentum ad petendum debitum; si vero id facit praeter necessitatem et ex malitia, peccat, sed certo ex novo codice non contrahit cognationem cum matre infantis, quia baptizans tantum cum baptizato eam contrahit can. 768.

3) Adoptio est assumptio alienae personae extraneae in filium. Si fit auctoritate principis, dicitur perfecta, et haec requiritur ad inducendum impedimentum vi juris canonici. Ut princeps suam interponat auctoritatem in adoptione, jus civile aliquas requirit conditiones tam ex parte adoptantis, quam ex parte adoptati, uti in cod.

S. Poenit., 17 Maji 1826, declaravit: « Cum hoc impedimentum innitatur super leges civiles, in dubio an in aliquo casu adsit cognatio legalis, juxta vigentes leges civiles judicandum erit ».

terio cum mutua promissione matrimonii, 4. ex adulterio cum matrimonio attentato etiam per civilem tantum actum, ex novo codice 1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in primo capite?*

R. Istae: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adsit conspiratio ex utraque parte; 3. ut sequatur mors ex conspiratione; 4. ut sequatur causa contrahendi matrimonium 2).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur pro secundo capite?*

R. Istae: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum, et formale 3); 3. ut homicidium sequatur causa contrahendi cum adultera; 4. ut homicidium et adulterium sint sub eodem matrimonio.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur pro tertio capite?*

R. 1.° Ut matrimonium antecedens sit validum, 2.° ut adulterium sit perfectum et formale. 3.° ut adulterium et promissio sint constante

---

1) En textus: « Valide contrahere nequeunt matrimonium. 1.° Qui perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt, et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium etiam per civilem tantum actum attentarunt. 2.° Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt, eorumque alter conjugicidium patravit. 3. Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem conjugi intulerunt ». Can. 1075.

2) Hinc si Titius contraxit matrimonium nullum cum Caja, et postea pertaesus Cajae conspirat cum Berta, et occidunt Cajam, qua occisa, contrahit matrimonium cum Berta, valide contrahit. Si Sempronius contraxit validum matrimonium cum Antonia, et postea volens contrahere cum Francisca occidit Antoniam, Francisca contradicente, non adest impedimentum. Si vero Francisca assentit, et Sempronius vulnerat Antoniam, sed Antonia non moritur ex vulnere accepto, sed ex incuria medicorum, non adest impedimentum; in dubio utrum mortua fuerit ex vulnere accepto, an ex incuria medicorum, non potest Sempronius matrimonium contrahere cum Francisca, sed opus est dispensatione, quia dubium est facti, et cum dubio facti non potest celebrari matrimonium sine dispensatione, quia si factum existit, fieret matrimonium nullum. Denique si Sempronius contraxit cum Antonia, et postea conspirante Francisca, occidit Antoniam non causa contrahendi cum illa, sed ex odio, non adest impedimentum.

Mandans ad occidendum si revocavit mandatum et revocatio innotuit mandatario, non contrahit impedimentum, quia non ex vi mandati sequitur mors; si vero revocatio non innotuit, tunc contrahit impedimentum, quia ipse est causa mortis; nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Qui vero ratam habet occisionem nomine suo factam, non contrahit, quia ratihabitio non influit in actionem.

3) *Perfectum*, idest copula perfecta. *Formale*, idest cognitum ab utraque parte, quia sumus in odiosis, et stricta facienda est legis irritantis intepretatio.

Hinc si Titius rem habet cum Berta nupta, putans esse solutam, et Berta occidit virum suum causa contrahendi cum Titio, non adest impedimentum, quia adulterium fuit materiale ex parte Titii. Si vero Titius sciebat illam esse nuptam, et, ipso contradicente, illa occidit virum suum, adest im-

eodem matrimonio 1) 4. et ut promissio sit vera, mutua, externa, absoluta, et acceptata 2).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur pro quarto capite?*

R. 1. Ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum, et formale; 3. ut attentatio matrimonii fiat vivente altero conjuge; et sit non solum materialis, sed etiam formalis, sive sit ante sive post adulterium 3).

---

pedimentum, quia in hoc capite non requiritur conspiratio in homicidio. Si vero sciens esse nuptam, occidit virum suum causa liberius fornicandi, nec etiam adest impedimentum, quia non occidit causa contrahendi matrimonium.

1) Hinc si Titius uxoratus rem habet cum Berta soluta, postea moritur sua uxor, et contrahit cum alia, deinde promittit Bertae matrimonium, si secunda uxor moriatur, hac mortua, potest ducere Bertam, quia adulterium et promissio non fuerunt constante eodem matrimonio. Si Cajus uxoratus promisit Antoniae matrimonium, et postea revocavit promissionem, qua revocata rem habuit, non adest impedimentum, quia promissio revocata habetur, aeque ac si non fuisset facta; si vero rem habet et promittit, et postea revocat promissionem, adest impedimentum, quia adulterium per revocationem promissionis non est sublatum, et impedimentum semel inductum semper durat. Pariter si Titius promisit Bertae conjugatae matrimonium post viri mortem, et postea duxit in uxorem Amaliam, et stante hoc matrimonio rem habuit cum Berta, mortuo viro Bertae et Amalia, potest Titius cum Berta contrahere matrimonium, quia per matrimonium cum Amalia implicite fuit retractata promissio.

2) Hinc si Titius provocans Bertam Cajo conjugatam ad copulam carnalem ei matrimonium promittat, si vir ejus moreretur, et Berta provocationi acquiescit, sed nihil dicit, seu tacet, non est inductum impedimentum tum quia juxta novum codicem, promissio non fuit mutua, tum quia non fuit acceptata; unde mortuo Cajo, potest Titius matrimonium contrahere cum Berta, nam adulterium solum non inducit impedimentum criminis, nisi accedat non tantum mutua promissio matrimonii, sed etiam acceptatio proprie dicta: promissio enim in contractu non valet sine acceptatione: atqui in casu non habetur talis acceptatio, nam Berta concedendo usum corporis de nuptiis futuris tacuit: ergo nullum datur impedimentum. Sed *dices* Berta non contradixit promissioni; ergo censenda est acceptasse: *qui enim tacet, consentire videtur.* At hoc non valet. Licet enim in favorabilibus valet axioma: *Qui tacet, consentire videtur:* non tamen idem praesumitur *in onerosis* juxta illud axioma: *in onerosis taciturnitas non valet pro consensu.* Ergo ex taciturnitate Bertae praesumi non debet acceptasse promissum, sed potius ex motivo libidinis explendae, vel ex alia causa consensisse in copulam. Ita Elbel, Bonac, Sanchez et alii non pauci contra alios, qui censent taciturnitatem adulterae esse sufficiens signum consensus.

3) Nempe ut revera conjux sit vivens, et ab ipsis cognoscatur, sive attentatio matrimonii adulterium praecedat, sive subsequatur.

Hinc si Titius uxoratus rem habet cum Berta, et postea putans uxorem suam esse mortuam, contrahit matrimonium cum Berta, non adest impedimentum criminis, quia attentatio fuit tantum materialis. Si vero putabat uxorem esse viventem, quae revera mortua erat, et contrahit cum Berta adul-

De impedimento disparitatis cultus.

Q. *Quando habetur hoc impedimentum?*

R. Quando baptizatus in Ecclesia catholica, vel ad eamdem ex haeresi aut schismate conversus vult contrahere matrimonium cum persona non baptizata. Hoc impedimentum inductum est ob periculum subversionis 1).

---

tera, nec etiam adest impedimentum, quia attentatio fuit formalis tantum.

Si quis post attentationem *materialem* tantum, sciens conjugem esse viventem, copulam habeat cum ea, cum qua matrimonium attentavit, impedimentum contrahit; licet enim ab initio sola *materialis* fuerit attentatio, postea tamen per adulterium fit etiam formalis in usu; ita communiter. Minime autem inducitur impedimentum, si postea habita notitia ejus existentiae, non amplius carnaliter se cognoverint, quia attentatio fuit materialis, nec evasit formalis in usu; unde mortuo conjuge, possunt celebrare matrimonium.

Cum hoc sit impedimentum de jure ecclesiastico, infideles ei non subjiciuntur; hinc duo infideles hoc crimen committentes, ad fidem conversi, possunt inter se matrimonium inire, et ita declaravit S. C. de Propag. Fide, die 23 Aug. 1852. — Quod si in infidelitate sit inceptum delictum, et post eorum conversionem completur, nec etiam inducitur impedimentum: sumus enim in odiosis, et stricta facienda est legis irritantis interpretatio. Ita Sanchez lib. 7 disp. 78 n. 43; Filliuc., Schmatz. tom. 7 n. 3 et alii.— Si autem fidelis haec delicta committat cum infideli, et postea infidelis veniat ad fidem, non potest cum hac contrahere, si delictum ex parte fidelis completum habeatur, quamvis sit contra solius infidelis matrimonium; Ecclesia enim directe punit fidelem inhabilitando illum ad contrahendum cum complice delicti, ita Sanchez lib. 7 disp. 78 n.º 3, Henriquez, Filiuc, Bonac, et alii. Secus vero si delictum completum sit solum ex parte infideli, quamvis contra matrimonium fidelis, quia cum sit hoc impedimentum de jure eccles. infideles ei non subjiciuntur; et hoc etiamsi in parte delictum habeatur in fideli, quia iste non subjicitur poenae, seu impedimento, nisi ex suo integro delicto. Ex. gr. fidelis post adulterium commissum cum muliere infideli conjugata occidit ejus virum infidelem causa contrahendi cum ipsa, in hoc casu inducitur impedimentum, quia integrum completum delictum habetur ex parte fidelis, quamvis contra matrimonium infidelis. Ex opposito impedimentum non inducitur, si post ejusmodi adulterium non ipse fidelis, sed mulier infidelis suum occidit virum causa contrahendi cum adultero fideli, quia ex parte fidelis tantummodo habetur adulterium, non vero homicidium. Ex eadem ratione impedimentum minime contrahitur, si mulier infidelis post commissum adulterium cum fideli conjugato, istius uxorem ipsa occidit causa contrahendi cum adultero fideli, quamvis in casu delictum sit contra matrimonium fidelis.

1) En textus codicis: » Nullum est matrimonium contractum a persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eamdem conversa cum persona non baptizata. Si haec tempore contracti matrimonii tamquam baptizata vulgo habebatur, aut ejus baptismus erat dubius, standum est pro valore matrimonii, donec certo probetur primam baptizatam, alteram vero non baptizatam esse. Ita

De impedimento vis.

Q. *Matrimonium celebratum per vim estne validum?*

R. Si est vis absoluta, est nullum de jure naturae. Si est metus, est

---

N. Cod. can. 1070. — Hinc non subjciuntur huic impedimento disparitatis cultus baptizati in secta haereticali, quia hic canon afficit eos, qui sunt baptizati in Ecclesia catholica, unde non adest impedimentum disparitatis cultus, si baptizatus in secta haereticali vult contrahere matrimonium cum non baptizata. — Hoc impedimentum inductum fuit non jure scripto, sed consuetudinario, videlicet communi Ecclesiae catholicae consuetudine, uti Benedictus XIV. in Const. *Singulari nobis*, edita die 9 Feb. 1749. hisce verbis declaravit: *Qua quidem in re omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure sacrorum canonum sed generali Ecclesiae more.*

Adverte, quod si catholicus contrahit matrimonium cum haeretica baptizata, vel viceversa, matrimonium dicitur mixtum. et est validum servata forma N. Cod., sed illicitum. Esset autem licitum, quando adesset dispensatio Pontificis. At ex novo codice can. 1061 Ecclesia super mixto matrimonio non dispensat nisi: 1.° urgeant justae ac graves causae: 2.° cautionem praestiterit conjux acatholicus de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, et uterque conjux de universa prole utriusque sexus catholice tantum baptizanda et educanda: 3.° moralis habeatur certitudo de cautionum implemento. Cautiones regulariter in scriptis exigantur. — Conjux autem catholicus obligatione tenetur conversionem conjugis acatholici prudenter curandi, can. 1061-62.

Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio, super impedimento mixtae religionis, conjuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum, uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si parochus certo noverit sponsos hanc legem violaturos esse, vel jam violasse eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo, et consulto prius Ordinario. Non improbatur tamen quod lege civili jubente, conjuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia. Ita novus codex can. 1063.

In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes de consensu fieri debent a parocho, et celebrari debent nuptiae extra Ecclesiam. Sed omnes sacri ritus prohibentur: quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur. Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere. Can. 1102.

Absterreantur fideles a matrimonio contrahendo cum iis, qui notorie aut catholicam fidem abjecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt. Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adjunctis, ei permittere poterit, ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa, et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius judicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis, et remotioni periculi perversionis alterius conjugis. Ita N. Cod. can. 1065.

certo nullum de jure positivo 1), quando metus est gravis, injuste incussus ab extrinseco, a quo ut quis se liberet eligere cogatur matrimonium, N. Cod. can. 1087 2).

Q. *Qui incutit injuste metum alteri ad contrahendum matrimonium peccat, et incidit in aliquam poenam?*

Quaesitum fuit anteacto tempore S. R. U. Inquisitioni : « Quid agendum quando vir baptizatus, sed apostasiam a fide verbis et corde profitens, asserensque nominatim se non credere Sacramentis Ecclesiae, petit matrimonium coram ejusdem Ecclesiae facie unice, ut desiderio sponsae satisfaciat ? » (Isti viri impii vulgo dicuntur liberi pensatores). Responsum fuit : « Quoties agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae a fide ita defecit, ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscripserit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis. Quod si agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae fidem abjecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscripsit, quando parochus nullo modo potest hujusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur), et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, rem deferendam esse ad R. P. D. Episcopum, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adjunctis, permittere poterit, ut parochus matrimonio passive intersit tamquam testis auctorizabilis, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliisque similibus conditionibus ». Die 30 Jan. 1867 et die 25 Maji 1897. At per novum cod. can. 1102 parochus debet exquirere et excipere contrahentium consensum.

1) Utrum sit nullum etiam de jure naturae, quaestio est. Nonnulli negant, 1.° quia in tali matrimonio jam adest sufficiens voluntarium, et licet libertas ex metu minuatur, tamen non tollitur, unde ex tali diminutione nequit reddi nullum matrimonium ; secus irritari deberent etiam conjugia ex metu intrinseco inita ; 2.° quia non minus obstat libertati dolus, quam metus ; et sicut matrimonium, cui dolus causam dedit, non est irritum jure naturae, ut si contraheres cum ignobili, vel paupere, quam nobilem, vel divitem judicabas, ita matrimonium sub metu gravi initum non est nullum jure naturae. Alii affirmant, et forte probabilius : 1.° quia omnes contractus metu initi non sunt firmi et perpetui, ac ideo per restitutionem in integrum rescindi possunt, contractus autem matrimonii, cum sit per se perpetuus, et indissolubilis, non aliter gaudere potest restitutione in integrum, nisi ab ipso jure naturali dispositum sit, quod ab initio sit nullus : 2.° quia matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter conjuges ; hic autem mutuus amor non potest consistere, cum matrimonium metu est initum, quia nemo adhaerere solet rei, quam tenet invitus : ergo oportet de se esse nullum ; 3.° quia si tale matrimonium naturaliter valeret, natura approbaret actum, ex quo gravissima mala contra commune bonum orirentur, nempe quod saepe innocens cogeretur vitam duram ducere, et reus commodum ex sua iniquitate reportaret, quae res non sunt naturali rationi consonae.

2). Hinc si metus incutitur justa de causa, et qui eum patitur, de se matrimonium eligit ad malum effugiendum, valet matrimonium, quia nulla intervenit injuria, ex gr. valet matrimonium, si illud contrahit deflorator virginis ad vitanda mala, vel alias poenas ex criminis delatione futuras, quia libere ipse eligit conjugium.

R. Peccat graviter contra justitiam, quia laedit jus alienum, et contra religionem, ob violationem rei sacrae ; sed ex N. Cod. in nullam poenam incidit.

De impedimento ligaminis.

Q. *Quando habetur hoc impedimentum ?*

R. Quando quis, vivente suo conjuge, contrahit matrimonium cum altera persona 1).

Q. *Quaenam certitudo requiritur de morte conjugis, ut possit contrahi aliud matrimonium ?*

R. Certitudo moralis. Ideo non sufficit longa absentia, vel simplex fama communis de morte.

De impedimento publicae honestatis.

Q. *Quid est hoc impedimentum ?*

R. Ex novo codice can. 1078. Impedimentum publicae honestatis est illud quod oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu ; et nuptias dirimit in primo et

1). Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non tamen licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit. Can. 1069.

Hoc impedimentum fuit ab ipso mundi initio, ex illo Gen. 2. *Erunt duo in carne una*, ideoque prohibetur polygamia plurium simul uxorum, qua unius caro in plures divideretur. Hinc inferendum cum Sanchez, Bellarm., et aliis hoc impedimentum non solum esse juris divini positivi, sed etiam naturalis, quia polygamia plurium simul uxorum est contra aequalitatem contractus, siquidem quaelibet uxor integre se traderet viro : secus vero vir, cum in plures divideretur ; et etiam quia impedit optimam prolis educationem, et pacem domesticam.

Dispensavit autem in eo Deus ipse post diluvium cum Hebraeis ad mutiplicandos praesertim fideles, ut notat Bellarm. uti ob honestos fines concessit etiam occisionem primogenitorum, et acceptionem bonorum Aegyptiorum. At in lege evangelica cessavit ea dispensatio, nam Christus Dominus reduxit matrimonium ad primaevam sui institutionem, uti constat ex Luca XVI. 18 *Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit moechatur*, et a fortiori moechatur, qui, priore retenta, alteram ducit. Et constat pariter ex Trid. sess. 24. can. 2. : « *Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Hinc neque fidelibus, neque infidelibus amplius facultas est plures habere uxores ; ac proinde si infidelis, qui plures uxores habet, ad baptismum admitti velit, debet retinere unam tantummodo uxorem, nempe primam valide acceptam, alias vero uti illegitimas dimittere.

Polygamia vero successiva, quae evenit, quando vir, mortua conjuge, aliam ducit, est licita.

secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineos mulieris, ac vice versa 1).

Q. *Cur inductum est hoc impedimentum?*

R. Ob aliquam decentiam servandam in moribus.

Q. *Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?*

R. Hoc impedimentum dirimit matrimonium in primo et secundo gradu lineae rectae. Can. 1078.

De impedimento affinitatis.

Q. *Quid est affinitas?*

R. Affinitas ex novo codice can. 97 oritur ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato 2).

Q. *Usque ad quem gradum extenditur?*

R. Ex novo codice can. 1077 in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu, in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.

Q. *Inter quas personas contrahitur hoc impedimentum?*

R. Inter virum et consanguineos mulieris, inter mulierem et consanguineos viri 3).

Q. *Quomodo computantur gradus?*

---

1) Unde matrimonium dirimit inter virum et mulieris aviam, matrem, filiam, nepotem; et inter mulierem et viri avum, patrem, filium, nepotem.

2) Ex hac definitione eruitur ex copula illicita non oriri affinitatem nec impedimentum dirimens matrimonium. Id confirmavit Commissio Pontificia pro interpretatione novi codicis. Die 19 Januarii 1919. — Affinitatis impedimentum multiplicatur, quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis, a quo procedit. Can. 1077.

3) Unde duo fratres ducere possunt duas sorores alienae familiae, vel pater et filius matrem et filiam; vitricus contrahere potest cum vidua sui privigni, vel vitrici vidua cum privigno viri sui etc., *quia affinitas non parit affinitatem.*

Jure veteri contrahebatur affinitas non solum inter virum et consanguineos mulieris, et vicissim; sed etiam inter consanguineos unius et consanguineos alterius, nec non inter virum et affines mulieris, ac vicissim. At Innoc. III. in Concilio Lateran. IV, retinuit tantum affinitatem ortam inter virum et consanguineos mulieris, et vicissim. Insuper jure veteri affinitas dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum; deinceps fuit coarctatum impedimentum usque ad quartum gradum, tam ex copula licita, quam ex copula illicita. Novissime vero a Concilio Trid. statutum fuit affinitatem dirimere matrimonium usque ad quartum gradum ex copula licita, usque ad secundum ex copula illicita. Denique novus Codex statuit affinitatem oriri ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato, et dirimere matrimonium usque ad secundum gradum in linea collaterali, in linea recta in quolibet gradu.

R. Hoc modo: eo gradu affinitatis vir distat a consanguineis mulieris, quo gradu consanguinitatis mulier distat a consanguineis suis, et vicissim.

Q. *Quo jure affinitas dirimit matrimonium?*

R. Affinitas in primo gradu lineae rectae, utrum dirimat de jure naturae vel de jure ecclesiastico, quaestio: in aliis gradibus de jure ecclesiastico 1).

De impedimento aetatis.

Q. *Quaenam aetas requiritur ad valide matrimonium contrahendum?*

R. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt. Hinc ante praedictam aetatem est nullum. Can. 1067.

De impedimento impotentiae.

Q. *Quid est impotentia?*

R. Est inhabilitas ad copulam habendam 2). Potest esse absoluta, si est respectu omnium; respectiva, si respectu alicujus; antecedens, si est ante matrimonium; consequens, si post; perpetua, si tolli nequit, temporalis, si tolli potest.

Q. *Quaenam impotentia dirimit matrimonium?*

R. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri, sive ex

---

1) Ecclesia tamen nunquam dispensavit in affinitate primi gradus lineae rectae orta ex legitimo matrimonio, ne fierent matrimonia nulla. Unde si Titius contraxit matrimonium cum Berta vidua, et consummavit, postea mortua Berta, vult contrahere cum matre istius Bertae, vel cum filia ex alio matrimonio, non potest, et forsan de jure naturae; si cum aliis consanguineis usque ad secundum gradum, nec etiam potest, sed de jure canonico. — Cum tamen certum non sit utrum affinitas in primo gradu lineae rectae orta ex legitimo matrimonio consummato sit impedimentum dirimens de jure naturae, sequitur quod si duo infideles, tali matrimonio contracto, ad fidem venirent, sine Pontificis dispensatione separari non possent. Vid. Schamalzgr. lib. VI. tit. 14 n. 101.

Sed affinitas ex valido matrimonio, sive sit impedimentum dirimens ex jure naturae, sive ecclesiastico, certe est vinculum naturale, cum per conjunctionem carnalem vir et mulier fiant una caro; infidelis ad fidem conversus contrahere non potest cum consanguineis uxoris in gradibus vetitis absque dispensatione. Ratio, quia vinculum naturale oritur etiam inter infideles, et manet etiam post baptismum, unde advenientes ad fidem cum hoc vinculo subjacent legi Ecclesiae irritantis conjugia inter affines.

2) Hinc si quis est habilis ad coeundum, et impos ad generandum, potest contrahere; sterilitas enim non est impedimentum ad matrimonium; steriles enim etsi sint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam,

parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta, sive relativa ipso jure naturae matrimonium dirimit. Can. 1068.

Q. *In dubio an fuerit antecedens, vel perpetua, quid agendum?*

R. Standum est pro valore matrimonii. Ait enim Novus Codex can. 1068. » Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio juris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum. Sterilitas matrimonium nec dirimit, nec impedit. »

De impedimento clandestinitatis.

Q. *Quid est clandestinitas* 1)*?*

R. Est quando celebratur matrimonium non coram parocho 2) vel

---

atque adeo sunt capaces omnis juris, et obligationis matrimonii. Susceptio enim prolis, licet sit praecipuus, non tamen est unicus finis matrimonii, habetur etiam mutuum adjutorium et remedium concupiscentiae. Item valide contrahit ille, qui paulo post est moriturus, quia in eo manet potentia ad coitum, etsi per accidens vi morbi impediatur; eadem ratione validum est matrimonium cum constituta in articulo mortis. —Eunuchi et spadones utroque teste carentes invalide contrahunt, quia non emittunt verum semen aptum generationi. Si vero uno tantum teste carent, valide et licite matrimonium contrahere possunt. Ex Const. Xisti V *Cum frequenter* — Hermaphrotidus, qui pollet utroque sexu, contrahere potest secundum sexum valiorem: at si utroque sexu sit aeque potens, juramentum praestare debet n quo sexu velit matrimonium contrahere. ac proinde validum est eorum matrimonium.

S. R. et Univ. Inquisitioni proposito dubio: *An adhiberi possit artificialis mulieris foecundatio?* Omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem E.mi Cardinales respondendum mandarunt: *Non licere.* Die 24 Martii 1897. Feria vero VI, die 26 ejusdem mensis Sanctitas Sua Leo PP. XIII. resolutionem E.morum Patrum adprobavit, et confirmavit.

Interrogata Congregatione S. Officii: Num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat ac liceat, necne? Respondit: *Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum.* Die 3 Februarii 1887. Et postea interrogata: Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria, et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? Re mature perpensa, respondit: *Matrimonium non esse impediendum.* Die 30 Julii 1890.

1) Quod heic dicitur relate ad clandestinitatem, est juxta novum codicem, qui vim habet in toto orbe catholico etiam in partibus infidelium, ubi sunt Missiones catholicae. Ecclesia semper detestata est matrimonia clandestina. Unde Conc. Trid, statuit matrimonia clandestina antea celebrata fuisse valida, sed illicita, postea vero si forte fierent esse nulla.

2) Nomine parochi et Ordinarii hic intelligitur ille idem expressus in tractatu de sponsalibus. *Nota* quod parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alteri sacerdoti licentiam dare, ut

loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato 1); et duobus saltem testibus. Si vero matrimonium celebratur absque denuntiationibus dicitur clandestinitas impropria.

Q. *Quid requiritur ut parochus aut loci Ordinarius matrimonio assistat?*

R. Ex novo Codice can. 1095 requiruntur hae conditiones: 1.° ut habuerit possessionem beneficii, aut initi officii; 2.° ut non sit publico decreto nominatim excommunicatus aut suspensus; 3.° ut intra limites

---

infra limites sui territorii matrimonio valide assistat. Ita N. Cod. can. 1095. *Nota* quod si parochus aut Ordinarius publico decreto nominatim fuerit excommunicatus, vel ab officio suspensus invalide assistit matrimonio ex Novo Codice. Insuper *nota* quod parochus valide assistit matrimonio, etsi Episcopus hanc facultatem ei interdixerit, uti declaravit S. C. Concilii apud Fagnanum, quia per hoc non desinit esse parochus, etsi graviter peccet violando grave Superioris praeceptum.

1) Delegatio debet dari 1.° sacerdoti determinato ex novo codice, en verba: *Licentia assistendi matrimonio concessa dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia, cui addicti sunt, secus irrita est.* Can. 1006. 2.° debet dari intra limites proprii territorii: 3.° debet esse expressa, nec sufficit tacita, aut praesumpta, ut eruitur ex textu, cum haec vera non esset delegatio. Ita quoque declaravit C. S. Off. en quaesitum « An, ut sacerdos, qui non sit proprius contrahentium parochus, eos matrimonio conjungere possit, sufficiat tacita licentia? S. C. *censuit non sufficere, sed requiri vel commissionem generalem administrandi omnia sacramenta, vel si haec non adsit, specialem et expressam licentiam* » 4.° debet esse ab utente acceptata; sacerdos enim agere debet ex vigore licentiae sibi concessae, quod locum habere nequit, nisi delegationem acceptet. Ratio est, quia privilegia gratuita effectum non habent nisi post notitiam et acceptationem privilegiati. Sanchez lib. III disp. 36 n. 2. Et ideo S. C. Concilii declaravit nulla illa matrimonia, quae fuerunt benedicta a sacerdote, qui in actu celebrationis respectivi parochi licentiam ignorabat, die 10 Martii 1771, 4 Junii 1763; 29 Aug. 1772. Et ad dubium: Utrum matrimonium contractum coram sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio parocho unius ex contrahentibus, et ignorat se habere illam, prout unus ex contrahentibus ignorat, sit validum? S. Cong. respondit: *matrimonium ut supra contractum coram sacerdote, qui neque certam neque praesumptam scientiam habuit de licentia a proprio sponsorum parocho obtenta non esse validum.* Die 5 Dec. 1626 et 15 Apr. 1628, ap. Pallottini tom. XIII n. 56.

Licentia autem assistendi matrimonio, ab Ordinariis vel a parocho potest dari sacerdoti verbo, vel scripto, aut alio signo. Ratio est, quia Novus Codex requirit, ut licentia concedatur sacerdoti determinato, nec addit ut fiat in verbis, aut scriptis. — Licentia vero per metum extorta, cum satis voluntaria sit, nec ullibi irritetur, sufficit ad validitatem matrimonii. Ita Sanchez: De matrimonio lib. III. Barbosa de Off. et potestate Ep.um Alleg. XXXII. At ex N. Codice delegatus, licet obtinuerit licentiam per metum, tamen ut validum sit matrimonium, neque vi neque metu gravi constrictus debet requirere et excipere contrahentium consensum.

dumtaxat sui territorii nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum matrimonio assistat 1) ; 4.° ut invitatus ac rogatus, et neque metu gravi constrictus requirat et excipiat contrahentium consensum 2). Harum una si deest, matrimonium est nullum.

Q. *Quid requiritur ut parochus aut loci Ordinarius licite matrimonio assistat ?*

R. Requiritur : 1. ut sibi constet de statu libero contrahentium 3) ;

---

1) Cappellani castrenses territorium nec absolute, nec cumulative habentes cum alio parocho, at jurisdictionem directe exercentes in personas aut familias possunt tantum eorum matrimoniis assistere, ubicumque inveniuntur, ex responsione S. C. Concilii die 1.° Februarii 1908. — Parochi qui cumulative cum alio vel aliis parochis territorium retinent, possunt matrimoniis tum subditorum, tum non subditorum assistere in territorio cumulative habito, ex responso S. C. Concilii die 1.° Feb. 1908. — Parochus qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, potest tantum suorum subditorum matrimoniis assistere, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SS., ex resp. ejusdem S. C. Concilii, die 1.° Feb.1908.—Cappellani seu rectores piorum cujusvis generis locorum a parochiali jurisdictione exemptorum, si ipsis commissa est plena potestas parochialis, valide assistunt matrimoniis absque parochi vel Ordinarii licentia pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi jurisdictionem exercent, ex resp. S. C. Concilii die 1. Feb. 1908.

2) Hinc si parochus per metum aut per vim detineatur, et audiat consensum contrahentium, matrimonium est nullum, — et idem dicendum si per dolum detinetur, quia libere non excipit contrahentium consensum. — Si parochus est in Ecclesia et deprehensus contrahentes coram eo et duobus testibus exprimunt consensum, pariter matrimonium est nullum, quia non invitatus nec rogatus nec libere requisivit et excepit contrahentium consensum. Unde ex Novo Cod. non sufficit quod parochus sciat, quid fiat, sed requiritur, ut omnino libere interroget et excipiat contrahentium consensum. — Quaesitum fuit S. Cong. ni Concilii An Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite *invitati et rogati*, dummodo tamen neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum valide matrimoniis assistere possint. « Respondit *Affirmative*. Die 28 Martii 1908.

3) De jure requiruntur denuntiationes, examen contrahentium, et testium, ut possit constare de statu libero contrahentium. En quomodo exprimitur circa hanc rem novus codex in canone 1022 et seqq. « Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum.— Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio. — Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu conjecturas super status libertate colligendas praescribat. — Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio removeatur. — Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis, aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum solemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat.

2. ut sibi constet de domicilio vel quasi domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contra-

---

Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur. — Publicationes ne fiant pro matrimoniis, quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit, et mentio omittatur religionis partis non catholicae.— Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare. — Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti judicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare. — Si plures sint Ordinarii proprii, ille jus habet dispensandi, in cujus dioecesi, matrimonium celebratur, quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest. — Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de earum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddat parochum, qui matrimonio assistere debet. — Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulat, tres dies decurrerint ab ultima publicatione. — Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur. ».

Matrimonium sine denuntiationibus esset illicitum.. at quandoque est licitum, nempe in matrimoniis conscientiae et in extremis.

Matrimonium conscientiae seu secretum est illud quod, omissis denuntiationibus, contrahitur coram Parocho, et duobus testibus fidelissimis ea lege, ut non reveletur.

Circa matrimonium conscientiae Bened. XVI in Bulla *Satis vobis* haec statuit : 1.° requiritur licentia Episcopi, qui determinare debet parochum pro benedictione matrimonii : 2.° testes debent praestare juramentum de non revelando matrimonio ; 3.° debet Episcopus habere librum in sua Cancellaria clausum et sigillo munitum, in quo scribuntur haec matrimonia, et in alio libro debet signare prolem, et baptismum susceptum ; 4.° parentes debent revelare intra 30 dies prolem natam, et baptizatam ; secus Episcopus habet jus aperiendi librum, et publicum reddendi matrimonium. *Quoad effectus civiles*. in hac Bulla praelaudatus Pontifex recognoscit jus filiorum succedendi in haereditatem parentum, unde monet ministrum conjuges hortari, ut bonis temporalibus filios gaudere patiantur, sed minime eis hoc tribuit jus, quatenus dicat effectibus civilibus gaudere, quia ad legem civilem haec dispositio pertinet. Ut vero possit celebrari hoc matrimonium, requiruntur hae duae causae 1.° infamia conjugum : 2.° scandalum fidelium.

Matrimonium in extremis est illud, quod, stante periculo mortis, contrahitur coram parocho, et duobus testibus absque bannis ; et ex Novo cod., si haberi nequeat parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, potest contrahi coram sacerdote, vel coram solis testibus can. 1098.

Ut parochus et, eo deficiente, sacerdos possit his matrimoniis assistere : 1.° debet esse certus de statu libero contrahentium : 2.° debet ei constare

hentis in loco matrimonii, 1) 3. si hoc deficit, ut habeat licentiam parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis 2) ; 4. *quoad vagos* parochus eorum matrimonio assistere non potest sine licentia Ordinarii aut sacerdotis ab eo delegati can. 1032 3) ; 5. tandem ut celebretur matrimonium coram parocho sponsae 4). Ita in can. 1097.

Q. *Adsunt casus, in quibus valet matrimonium coram sacerdote non parocho ?*

R. Maxime : imminente mortis periculo, quando parochus vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, duobus adhibitis testibus 5) ; vel quando adest error communis, et titulus coloratus 6).

---

nullo canonico impedimento esse irretitos : secus debet prius dispensare, juxta concessionem Novi Cod. ab impedimento canonico, quo contrahens est irretitus, excepto presbyteratus ordine, et affinitate in linea recta consummato matrimonio. Can. 1044. Potest hoc matrimonium celebrari per has causas : 1.° ad consulendum famae mulieris : 2.° ad legitimandam prolem : 3.° ob nimium affectum erga ipsos illicite conjunctos.

1) Sufficit igitur commoratio paucorum dierum cum animo ibi manendi per majorem anni partem., nec non commoratio unius mensis, licet sine animo ibi manendi.

2) Nisi gravis intercedat necessitas, quae a petenda hac licentia excusat, ex Novo Cod. can. 1097 uti esset, si urget matrimonii celebratio, quatenus contrahentes illico sint discessuri, et deest tempus petendi licentiam a parocho vel Ordinario proprio alterutrius contrahentis ; vel quando timentur gravia damna, si matrimonium differtur. Et notandum heic agi de consensu proprii parochi aut Ordinarii alterutrius contrahentis, non de vera delegatione, hinc posset valere consensus praesumptus et etiam intepretativus. Monit. Eccles. Vol. XIX pag. 415-416.

3) Excipe casum necessitatis, idest quando urget celebratio matrimonii, et non adest tempus petendi licentiam ab Episcopo, aut a sacerdote ab eo delegato; sed hoc intelligendum est, si in illo loco, ubi contrahunt matrimonium, per mensem non commoraverint. En textus: *Matrimonio vagorum parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit.*

4) Nisi aliqua justa causa excuset, ex eodem Novo Cod. Et heic notandum non requiri causam gravem, nec urgentem, sed sufficit justa causa convenientiae aut utilitatis a partibus adducta.

5) Habetur in novo codice can. 1098 : « Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus, qui matrimonio assistant. 1.° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus ; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam. 2.° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et una cum testibus matrimonio assistere debet, salva conjugii validitate coram solis testibus ».

6) Hinc intrusus parochus, idest sine ulla legitimi Superioris auctoritate in parochia positus, nunquam valide assisteret matrimonio; nam fideles

Q. *Quomodo est matrimonium clandestine celebratum ab acatholicis?*

R. Est validum: acatholici enim sive baptizati 1), sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Q. *Matrimonia mixta clandestine celebrata suntne valida?*

R. Minime: catholici enim contrahentes cum haereticis aut non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem tenentur ad leges statutas in novo codice, idest celebrandi matrimonium coram parocho et duobus testibus 2).

Q. *Valetne matrimonium clandestine celebratum, extra mortis periculum, si haberi nequeat neque parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab eis delegatus?*

R. Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistat coram solis testibus validum et licitum est matrimonium, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam. Can. 1098 3).

Q. *Quinam possunt esse testes in matrimonio?*

R. Omnes quicumque intelligunt id, quod agitur. Tam testium quam parochi praesentia debet esse simul physica et moralis.

Q. *Omittere duas vel omnes tres denuntiationes estne grave peccatum?*

R. Sine justa causa est grave peccatum: secus non. Parochus qui sine licentia jure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat 4). Can. 1097.

non possunt eum habere uti verum parochum, quia saltem apparentem non habet titulum, ideoque deest error communis. Hoc constat ex Instructione Pii VI ad Episcopos Galliae, 26 Sept. 1780. Utrum autem sufficiat solus error communis absque titulo colorato, quaestio est.

1) Et heic intelliguntur baptizati in sectis haereticalibus: unde acatholicorum matrimonia, celebrata juxta leges et consuetudines propriorum locorum sunt valida.

2) Ait enim novus cod. can. 1099. Ad statutam formam servandam tenentur: Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi..., si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, matrimonium contrahant.

3) Quaesitum fuit S. C.ni de disciplina sacramentorum. « Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat, qui in regionem, ubi Parochus non adest, *in fraudem legis se conferat.* » Respondit: *Affirmative.* Die 12 Martii 1910.

4) In D. N. Si quis moratus sit per quatuor menses in nova paroecia, ibi faciendae sunt omnes denuntiationes; si vero per minus tempus moratus sit, una denuntiatio facienda est in paroecia nova et duae in veteri. Factis denuntiationibus tenentur omnes fideles, et a fortiori parentes, consanguinei, vel affines sponsorum ad impedimenta aperienda sub gravi ex motivo religionis et charitatis, licet judicialiter id probare nequeant; serviet enim ad indagandum: immo etsi impedimentum sciverint sub secreto commisso, etiam

De impedimento raptus.

Q. *Quid est raptus?*

R. Est violenta abductio feminae de loco in locum, causa contrahendi matrimonium 1).

Q. *In quas poenas incidunt raptores?*

R. Ex novo codice qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris ae-

---

jurato. Verum si oritur ex delicto occulto, oportet prius admonere sponsos, ut a matrimonio desistant, si vero hoc non proficiat, debent ipsi parocho manifestare. Facienda est autem denuntiatio sub gravi, uti dictum est a qua obligatione excusantur: 1.° qui nequeunt ea revelare sine magno suo damno vel scandalo aliorum, ut si impedimentum proveniat ex crimine: 2.° qui ea cognoscunt in sacramentali confessione: 3.° qui ea sciunt sub secreto consilii 4.° qui fructum ex revelatione sperare non possunt: 5.° qui audierunt ab homine fide non digno: 6.° qui sciunt sponsos occulte petiisse dispensationem, quod si esset publica fama de impedimento, et dispensatio esset occulta, tunc illud denunciare tenentur. S. Alph. VI. 904-905.

1) En textus: *Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris, manserit, nullum potest consistere matrimonium. Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea cammoratur, vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet.* Can. 1074.

Vis autem ad habendum raptum potest esse tam physica, e. g. violenta manuum injectio, quam moralis, e. g. dolus, deceptio, metus gravis, sive inferatur per se, sive per alios; nam qui per alium facit, per se facere censetur, uti eruitur ex S. C. Cong.ne 25 Jun. 1864. Si femina consentit, vel si dissentiens abducitur de loco in locum non causa matrimonii, sed causa explendi libidinem, non est raptus canonicus, et non adest impedimentum, sed raptor incidit in poenis ex N. Cod. Si femina rapit virum, nec etiam adest impedimentum; quia N. Cod. tantum de viro raptore loquitur. Item communiter cum Sanchez non inducit impedimentum solus raptus seductionis, qui tunc locum habet, cum mulier blanditiis, muneribus, promissis illecebris voluptatis, aut quolibet alio modo illecta, invitis iis a quibus ipsa pendet, raptorem voluntarie sequitur, et matrimonium neunt. Ita Tridentinum communiter interpretantur auctores, uti Alasia afferens declarationes S. C. C. 3 Martii 1714. Vecchiotti, in *tractatu canonico de Matrimonio*, cap. 5, par. 64 etc. Sed hodie maxime firmatur ex litera responsiva Pii VII, 27 Junii an. 1805, ad Napoleonem I. — Utrum sponsalia inter raptorem et raptam sint valida, quaestio est. Nonnulli negant, quia etiam libertatem expetunt sicut matrimonium, lex autem poenalis rite extenditur, ubi eadem militat ratio. Sed alii probabilius affirmant, quia sponsalia minorem libertatem requirunt, quam matrimonium, eo quod ipsa semper remanent rescindibilia: ergo non currit in eis eadem ratio, quae currit in matrimonio, quod nunquam rescindi potest. S. Alph. VI, 1107. At hoc hodie intelligendum est de sponsalibus per scripturam contractis juxta formam praescriptam in novo codice.

tatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso jure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur. Can. 2353.

Q. *Matrimonium celebratum a raptore cum rapta estne validum?*

R. Si mulier est posita in loco tuto, est validum ; si non est posita in loco tuto, etiamsi consentiat, est nullum 1).

De modo, quo convalidari potest matrimonium nullum, et de dispensatione in impedimentis.

Q. *Quomodo convalidatur matrimonium nullum?*

R. Ex novo codice can. 1133 «Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens requiritur ut cesset, vel dispensetur impedimentum, et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia 2)

Q. *Quid dicendum de singulis impedimentis?*

R. Si matrimonium est nullum defectu consensus, puta per errorem, per metum, per vim, convalidatur per appositionem consensus, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret 3) si nullum ob disparitatem cultus, per novum consensum post baptismum ; si ratione raptus

---

1) Si mandatarius celebrat matrimonium cum puella, quam ipse rapuit non pro se, sed nomine mandantis, validum est matrimonium, quia puella non fuit rapta a mandatario causa contrahendi cum ipso, sed cum mandante.

2) Ex novo codice can. 1133 et seqq. *Haec renovatio jure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit, nec postea revocaverit. — Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium, quod constet ab initio fuisse nullum. — Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma jure praescripta. — Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto. — Si est occultum, et uni parti ignotum satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret.*

3) Ex novo codice can. 1136 : « *Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, jam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret. — Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars, quae non censenserat, interius consentiat. — Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma jure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus. - Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma* ».

Nota. Si matrimonium celebratum fuit per vim, vel per metum, vel per errorem, postquam error aut metus cessaverit, tunc per pacificam cohabitationem et vitam conjugalem convalidatur matrimonium, quando quis scit priorem consensum fuisse nullum, et nullum matrimonium, quia secus reapse non consentit, nam nil volitum quin praecognitum ; quomodo enim posset quis cohabitatione et copula carnali praestare consensum in matrimonio, si ignorat nullum fuisse suum matrimonium ?

per novum consensum, postquam rapta posita sit in loco tuto ; si ob impedimentum ligaminis, per novum consensum post mortem conjugis 1) ; si ob clandestinitatem, per novum consensum coram Parocho et testibus ; si est nullum ob aliud impedimentum, fit validum per dispensationem.

Q. *Quinam potest dispensare in impedimentis impedientibus ?*

R. Distinguo : in tempore sacrato et vetito ex justa causa potest Episcopus 2) ; in voto potest etiam Episcopus, dummodo non sit reservatum, quia in votis reservatis dispensat Pontifex; in sponsalibus vero, si non adest justa causa, nec etiam dispensat Pontifex, quia sunt jure naturae.

Q. *Quinam in impedimentis dirimentibus ?*

R. Etiam distinguo : in iis, quae sunt de jure naturae, nemo potest dispensare, in iis vero, quae sunt de jure positivo, dispensat Pontifex, At ex delegatione potest etiam Episcopus in mortis periculo dispensare tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici sive occultis sive publicis, etiam multiplicibus ; quin imo potest etiam Episcopus extra periculum mortis dispensare in omnibus impedimentis sive publicis sive occultis etiam multiplicibus super quibus Sedes Apostolica dispensare solet, quoties impedimentum detegatur, cum jam omnia sunt parata ad matrimonium, et sine probabili gravis mali periculo differri nequeat 3). Ita novus codex.

---

1) Adverte quoad impedimentum ligaminis ; si duo, ex errore ducti de morte conjugis, matrimonium inter se inierunt, et postea vivum adhuc esse scientes, in eodem illicito commercio permanserunt, mortuo in posterum revera conjuge, non valet consensus ad convalidationem matrimonii, sed requiritur dispensatio ab impedimento criminis ob adulterium cum attentatione matrimonii ; quia adhuc vivum esse cognoscentes, et in criminoso commercio perdurantes, formalem reddiderunt attentationem, quae materalis fuit ab initio, uti antea dictum invenitur in impedimento criminis.

2) In novo Cod. can. 1108 habetur : Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex justa causa, monitis sponsis ut a ninia pompa abstineant.

3) En textus novi codicis : can. 1043. Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio terri-

APPENDIX

De dispensationibus matrimonialibus

Tribunalia a quibus peti potest dispensatio ab impedimentis matrimonii juxta vigentem disciplinam ecclesiae sunt : 1.° Congregatio S. Officii ad dispensationes obtinendas ab impedimentis disparitatis cultus et mix-

---

torio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus.

Can. 1044. In eisdem rerum adjunctis de quibus in can. 1043 et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum sacerdos, qui matrimonio assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum.

Can. 1045. 1.° Possunt Ordinarii locorum, sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur, cum jam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit, usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur. — 2.° Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii jam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem. — 3.° In iisdem rerum adjunctis eadem facultate gaudeant omnes de quibus in can. 1044, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti.

Can. 1046. Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat ; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

Can. 1051. Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur jam rata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega.

Can. 1052. Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis concessa in aliquo impedimenti gradu valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera existens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum ejusdem speciei in aequali vel inferiori gradu.

Can. 1055. Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exequatur Ordinarius qui literas testimoniales dedit, vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, aut quasi domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt.

Can. 1056. Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum can-

tae religionis can. 247.; 2.° Congregatio de disciplina sacramentorum ad dispensationes matrimoniales habendas in foro externo tam pauperibus quam divitibus can. 249.; 3.° S. Poenitentiaria dumtaxat ad dispensationes obtinendas in foro interno, can. 258; unde externi fori dispensationes circa matrimonium ad Congregationem S. Officii et de disciplina sacramentorum pertinent.

Dispensatio a Congr. S. Officii, et a Congr. de disciplina sacramentorum semper per Episcopum petenda est. Dispensatio autem a S. Poenitentiaria immediate ab oratore, vel ab ejus confessario, vel a consanguineis infra quartum gradum peti potest.

In petenda dispensatione non requiritur consensus oratorum, et etiam, iis insciis, peti potest dispensatio. Ut autem applicari possit, requiritur oratorum acceptatio, ait Lig. VI. 1145, cum Sanchez, et Salmantic. quia beneficia invitis non conferuntur. Excipe dispensationem in radice, quae potest peti et applicari utraque parte illius ignara. Ratio est, quia nullo modo cognitio dispensationis requiritur, ut Ecclesia possit tollere effectum legis, seu obstaculum, quod oberat efficaciae consensus; potestas enim Ecclesiae a tali cognitione est omnino independens 1). Gury.

---

cellariae in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt, occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi haec facultas a Sancta Sede expresse eis data fuerit, et si exegerint, tenentur ad restitutionem.

Can. 1057. Qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant ».

Praxis.—Si parochus suum filianum, aut confessarius suum poenitentem noverit invalide contraxisse matrimonium, tunc si impedimentum non est dispensabile, et est publicum debet imponere separationem.—Si est occultum, et utrique parti incognitum, et censet non posse separari absque gravi scandalo et damno, prudenter sileat, et relinquat in eorum bona fide. — Si uni parti est notum, debet ei interdicere usum conjugii, et si pro ea adest grave periculum fornicandi, debet ei imponere, ut compartem dimittat. — Si utrique est notum debet jubere separationem, vel, si nullum adest incontinentiae periculum, poterit eis permittere, ut simul ad instar fratris et sororis cohabitent.

Si impedimentum est dispensabile, et nullitas matrimonii est publica, debet imponere separationem ad reparandum scandalum, petere dispensationem, qua obtenta, ut possit probari coram Ecclesia. — Si nullitas est occulta, et utrique parti est nota debet imponere separationem a toro, petere dispensationem, qua obtenta , debet curare ,ut ambo inter se renovent consensum, ne detur locus scandalis et partium diffamationi, et constat etiam ex praxi constanti S. Poenitentiariae.— Si uni parti tantum est notum, debet ei imponere, ut se abstineat ab usu conjugii, petere dispensationem, qua obtenta, ipsa tenetur renovare consensum, et sufficit consensum privatim et secreto renovare, dummodo altera in consensu praestito perseveret. Ita novus cod. can. 1135. Si neutri parti est notum, et confessarius censet monitionem non esse profuturam ob periculum separationis, prudenter sileat, et relinquat in eorum bona fide, aut petere potest dispensationem in radice.

1) Dispensatio in radice est proprie abrogatio legis, non dispensatio, ideo-

In petenda dispensatione a Congr. S. Officii, et a Congr. de disciplina sacramentorum exprimendum est nomen et cognomen oratoris, dioecesis originis, et domicilii utriusque sponsi 1), impedimentum, causa.

In petenda dispensatione a Sacra Poenitentiaria exprimendum est nomen, et cognomen oratoris sub litera N.N.., postea impedimentum, causa, dein persona et domicilium, cui literae sunt dirigendae.

De causis dispensationis.

In petenda dispensatione ab impedimento matrimonii semper est exponenda aliqua causa, sin ad valorem, quia superior posset etiam sine causa dispensare in lege sua, tamen ad liceitatem ; ait enim Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 5, *De reformatione matr. :* « In matrimoniis contrahendis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur ».

Attamen licet Superior posset etiam sine justa causa valide dispensationem concedere in impedimentis matrimonii, tamen non intendit dispensare sine causa motiva hic et nunc subsistente.

Causae aliae sunt *honestae*, aliae *famosae* ad scandala vitanda. *Honestae* sunt : 1.° *Aetas puellae*, quae, 24. aetatis annum jam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. — 2.° *Defectus dotis*, si puella nullam habeat, aut non sufficientem, ut viro paris conditionis nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. — 3.° *Angustia loci*, idest si mulier in loco originis, vel domicilii, paris conditionis virum invenire non possit. — 4.° *Graves inimicitiae* sedandae inter consanguineos et affines. — 5.° *Lites* dirimendae super rebus magni momenti ortae inter virum et mulierem, vel inter eorum parentes — 6.° *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata. — 7.° *Praerogativa dignitatis regiae* — 8.° *Conservatio illustris familiae* — 9.° *Conservatio bonorum in eadem familia* — 10.° *Excellentia meritorum erga Ecclesiam.* — 11.°

---

que differt a ceteris dispensationibus, quae sunt verae gratiae et favores S. Sedis.

1) Quaesitum fuit S. Poenitentiariae : 1. Se attese le norme date dalla S. U. I. il dì 20 Febbraio 1888, si può dall' Ordinario dell' oratore, che ha dato le testimoniali, eseguire *validamente* una dispensa quando per errore si è detto nelle testimoniali medesime che l' oratore era della stessa diocesi, mentre sia per origine, sia per domicilio, apparteneva ad una diocesi diversa — 2.° Posto che si possa *validamente* eseguire una siffatta dispensa, la si può pure *lecitamente* senza un nuovo ricorso alla S. Sede ? — S. Poenitentiaria ad praemissa respondit : *Ad utrumque affirmative. sed si error animadversus fuerit, corrigendus est.* Datum Romae in S. Poenitentiaria die 6 Februarii 1895.

Virtutes christianae, quae in altero viro probabiliter non invenirentur — 12.° *Largior eleemosyna* in pia opera refundenda.

Causae famosae sunt : — 1.° *Copula* secuta inter contrahere volentes, et legitimatio prolis 2.° *Nimia familiaritas*, suspecta et periculosa, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non potest.—3.° *Infamia mulieris*, sive ex falsa suspicione orta, unde mulier cogitur remanere diffamata vel innupta, vel disparis conditionis viro nubere. — 4.° *Periculum matrimonii civilis*. — 5.° *Periculum matrimonii mixti vel coram acatholico*. — 6.° *Periculum incestuosi concubinatus*. — 7.° *Cessatio publici concubinatus*.—8.° *Remotio gravium scandalorum*, ne iterum fornicentur, ne inimicitiae exardescant. — 9.° *Revalidatio matrimonii*. Instruc. S. C. de Prop. Fide. Die 9. Maji 1877.

Notetur :1. Quo propinquior est gradus consanguinitatis, vel affinitatis, eo major causa requiritur ; 2. Saepe sufficere plures causas unitas, etsi non sufficerent singulae earum. 3. Expressio causarum ad validitatem pertinet, cum sit tota ratio dispensandi, uti declaravit Bened. XIV, in Const. *Ad Apostolicae servitutis*.

De iis, quae in supplicatione sunt exponenda.

Ne ulla sit obreptio vel subreptio in supplici libello, exponenda sunt sequentia 1).

1. Oratorum nomina, cognomina et dioecesis, vel dioeceses, unde originem habent, vel actualis domicilii, si petitur dispensatio a Congr. S. Officii, aut a Congr, de disciplina sacramentorum ; si vero petitur a S. Poenit, tacentur nomina et alia, sed tantum exprimenda est persona et locus, quo literae sunt dirigendae.

II. Vera et legitima causa efficaciter movens ad impetrandam dispensationem, quia Superior non intendit dispensare nisi sub causa motiva hic et nunc subsistente ; hinc dispensatio esset nulla, non defectu jurisdictionis in Superiore, sed defectu intentionis. In dubio autem an causa, ob quam jam dispensatum est, fuerit finalis, vel tantum impulsiva, vera vel falsa, valida censenda est dispensatio, quia in dubio standum est pro valore actus.

III. Genus impedimenti ; unde si consanguinitas pro affinitate exprimatur, aut vicissim, nulla est dispensatio, nisi in concessione dispensationis etiam affinitas nominetur ut aliquando fit.

IV. Species distincta ejusdem impedimenti, v. g. Si honestas, an proveniat ex matrimonio invalido, vel ex publico vel notorio concubi-

---

1) Obreptio habetur, quando exponitur falsitas. Subreprio habetur, quando reticetur veritas.

natu juxta novum codicem. Si crimen, an sit ex adulterio, aut machinatione, an ex utroque simul etc.

V. Numerus impedimentorum ; v. g. si praeter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex vel multiplex consanguinitas vel affinitas, vel aliud quodcumque impedimentum. — Et hoc dicendum sive impedimenta sint dirimentia, sive sint impedientia, ita ut si tacentur impedimenta impedientia, et exprimuntur tantum dirimentia, invalida erit dispensatio, uti habetur in Instruc. S. C. de Propaganda fide, *Super dispensationibus Matrimonialibus*, die 9 Maij 1877.

VI. Linea ; utrum sit recta an lateralis, si agitur de affinitate. Si vero agitur de consanguinitate, nihil refert, si linea omittatur, semper enim intelligitur de linea transversa seu laterali.

VII. Gradus, in quo dispensandi conjuncti sunt ; an sit primus, secundus, vel tertius. In gradu vero inaequali olim quaestio erat, utrum ad valorem dispensationis inter consanguineos et affines uterque gradus, nempe propinquior, et remotior exprimendus esset. Verum S. Pius V, in quodam Motu proprio incipiente *Sanctissimus* omnem quaestionem e medio sustulit, et sanxit necessariam non esse gradus propinquioris mentionem, sed sufficere mentionem remotioris, obtentis postea litteris declaratoriis super propinquiori, dummodo gradus reticitus, sive bona sive mala fide, non sit primus. Idipsum expresse declaravit Benedictus XIV, in Brevi *Etsi matrimonialis*, ubi, relato supradicto decreto S. Pii V. docet illicitum tantum esse, non invalidum matrimonium contractum ope dispensationis obtentae in gradu inaequali, nulla facta mentione gradus propinquioris, modo non sit primus. Quod si est illicita dispensatio, reticito gradu propinquiori (dummodo non sit primus), tenentur oratores sub peccato obtinere a S. Sede literas declaratorias super illo gradu reticito, ut dispensatio evadat etiam licita, et sic oratores possint ea uti. In gradu vero inaequali exprimendo utrumque gradum, exprimi debet primo sexus nobilior, ut cognoscatur quinam sit stipiti proximior vir an mulier, quia difficilius conceditur dispensatio, si petitur, ut nepos ducat amitam, quam patruus neptem ; major enim perversio ordinis est, ut nepos constituatur amitae caput.

VIII. Iam obtenta dispensatio, si sit super eadem materia, et quidem peccaminosa, quia relapsus retrahit Superiorem a dispensando, ipsamque dispensationem difficiliorem reddit, uti si quis ad contrahendum cum una jam fuerit dispensatus ab impedimento criminis, et nunc petat dispensari ab eodem impedimento ad contrahendum cum alia, prima jam defuncta. Secus si non sit ex aliquo crimine , vel in crimine diverso. Lig. VI, 1139.

Ex veteri jure ad valorem dispensationis exprimenda erat copula habita inter consanguineos et affines, nec non si copula habita fuerit cum

intentione facilius obtinendi dispensationem ; nunc temporis nec copula incestuosa, nec pravus animus est amplius exprimendus. Revera SS. Dominus Noster Leo Papa XIII die 25 Junii 1885 revocavit quidquid alias per Congr. S. Officii et Sacram Poenitentiariam statutum fuit, et decrevit *dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel auxilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.*

Si vero agitur de impetranda dispensatione super matrimonio invalide contracto exponendum est :

1. An ambae partes vel alterutra tantum bona vel mala fide, nempe cum notitia impedimenti, an non matrimonium inierint ; 2. An sub spe dispensationis facilius obtinendae ; 3. An matrimonium consummaverint ; 4. An clandestine, aut in faciem Ecclesiae ; an praemissis bannis, vel non contraxerint. Item exprimendum est, si matrimonium ita dictum civile celebratum fuit in contemptum matrimonii eccles., idest sine intentione celebrandi in faciem Ecclesiae, an non ; si vero celebratum fuit, ut legi civili tantum pareatur, necesse non est, ut exprimatur. Quod si initum fuit cum intentione facilius obtinendi dispensationem, etsi non conveniant canonistae, tamen satius erit exprimere, quia difficilior evadit dispensatio. Instruc. S. C. de prop. Fide. Die 9 Maji 1877.

Quaeritur 1. Utrum pro pluribus impedimentis possit divisim dispensatio impetrari. Nonnulli affirmant, quod possit divisim impetrari dispensatio, quia nullibi praescribitur, quod impedimenta sint simul exponenda. Alii negant, tum quia haec est Curiae praxis, tum quia impedimenta simul conjuncta difficiliorem reddunt dispensationem. At alii melius sic distinguunt : si unum ex altero non augetur, uti esset votum, et consanguinitas, etc., et tunc licet divisim petere dispensationem, quia conjuncta difficiliorem non reddunt dispensationem. Si vero unum ex altero augetur : uti si quis vellet ducere consanguineam, cum qua conspiraverat mortem suae uxoris causa contrahendi matrimonium, et tunc non potest quis divisim petere dispensationem, quia conjuncta difficiliorem reddunt dispensationem. Excipiendum tamen est, si justa detur causa separandi, uti si unum impedimentum esset publicum, et aliud occultum, quod infamiam possit afferre, tunc enim, ne infamentur contrahentes, bene possunt divisim petere dispensationem, nempe petitur primo dispensatio impedimenti publici a Congr. S. Officii, vel a Congr. de disciplina Sacramentorum, (juxta speciem impedimenti) reticito crimine patrato, sed utrumque est postea exprimendum in supplicatione ad Poenitentiariam Lig. VI, 1135.

Quaeritur II. An valeat dispensatio petita in forma pauperum, si oratores non sunt pauperes ? Quidquid sit de veteri quaestione, nunc temporis juxta regulam praescriptam pro Sacris Congregationibus, pro Tribunalibus aliisque Officiis Curiae Romanae, editam ab E.mo Card. Merry Del Val a Secretis Status ex speciali mandato SS. Pii Papae X die 29 Junii 1908, valida est dispensatio; legitur enim cap. XI n. 3. In ogni caso la validità della grazia non verrà mai meno per errore o frode circa lo stato economico del petente.

Resolves — I. Invalida est dispensatio, si exprimitur in petitione unum impedimentum pro alio, ex. gr. affinitas pro consanguinitate etc., etiamsi ex errore inculpabili id fieret ; Superior enim concedit gratiam conditionate, scilicet si preces veritate nitantur. Hinc si exposita de facto sunt falsa, nullam reddunt dispensationem. E contra valet dispensatio, si error ex parte concedentis gratiam, aut ejus scribae proveniat, nempe si incuria secretarii in rescripto Superioris error irrepserit. Ratio est, quia censetur Superior gratiam concedere ad mentem petentis, seu dicere : *Fiat ut petitur.*

II. Invalida item est dispensatio, si exprimitur gradus secundus pro primo ; ratio est, quia difficilius conceditur dispensatio pro gradu propinquiore, quam pro remotiore. Secus autem dicendum est, si ex errore poneretur gradus primus pro secundo, quia dispensatio in majori continet dispensationem in minori ejusdem speciei, ita communiter contra paucos.

III. Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, judicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio. Ita novus codex can. 47.

De dispensationis executione.

In primis animadvertendum est, quod dispensationes nunc temporis ordinarie conceduntur in forma commissoria, non vero in forma gratiosa ; nempe dispensationis executio vel committitur Episcopo, aut ejus Vicario, si agitur de dispensatione obtenta a Congregatione S. Officii, vel a Congr. de disciplina sacramentorum ; vel committitur poenitentis confessario, si agitur de dispensatione obtenta a S. Poenitentiaria. Hinc videndum quid delegatus tam pro primis, quam pro secundis dispensationibus observare debeat.

Quoad dispensationem Congr.is S. Officii, vel Congr.is de disciplina sacramentorum. — I. Delegatus ad dispensandum debet inquirere de veritate causarum. Olim quaestio erat utrum verificatio cau-

sarum ad valorem, an ad liceitatem dispensationis pertinebat, et multum dimicabant graves auctores. At nunc lis finita est, et tantum liceitatem attingit. Enimvero cum immutationes 1) in clausulis dispensationum matrimonialium inductae fuerint, et probatae a SS.mo D. N. Leone Papa XIII a veteribus theologorum sententiis in hac re recedendum est. Nam dicitur sub n.° 4.° praedictarum immutationum :« Clausulae, *si preces veritate niti repereris*, substituatur haec alia, *si vera sint exposita* ». Jam vero si clausula immutata est, diversimode est intelligenda, idest si verificatio non fit, et causa subsistit, dispensatio suo effectu non privatur.

II. Delegatus ad dispensandum in foro externo debet *in scriptis* exprimere in eodem executionis decreto, quod ipse auctoritate Pontificis dispensat. Ita in can. 56.

Si data fuerit dispensatio, et sponsi, mutato consilio, aliud inierint matrimonium, vidui facti, adhuc ea uti possunt, si renuntiatio non fuit acceptata a Superiore 2).

Adverte : — I. Si executio literarum dispensationis ad Ordinarium mittitur, Episcopus, Vicarius Generalis et officialis in matrimonialibus 3) literas aeque potest exequi, cum hi omnes veniant nomine Ordinarii 4) —

---

1) En immutationes — I. in Apostolicis litteris quibus a Dataria Apostolica conceduntur dispensationes matrimoniales omittantur abhinc sequentes clausulae : *a*) « Si veniam a te petierint humiliter. » *b*) « Recepto prius ab eis juramento quod non sub spe facilius habendi dispensationem hujusmodi incestum vel adulterium hujusmodi commiserint, quodque talia nunquam deinceps committant, neque committentibus praestabunt auxilium, favorem. *c*) « Peractis ab iis duabus sacramentalibus confessionibus ». II. In iisdem litteris tollantur sequentia verba : « Volumus quod si tu aliquid muneris aut praemii exigere aut oblatum recipere praesumpseris.....absolutio aut dispensatio nullius sit roboris aut momenti », et dicatur : « vetito omnino ne aliquid muneris aut praemii exigere aut oblatum recipere praesumpseris. » III. Tollatur clausula : « Dummodo in praefata separatione permanserint », et dicatur ejus vice: « remoto, quatenus adest, scandalo, praesertim per separationem tempore Tibi beneviso, si fieri potest. » IV. Clausulae « si preces veritate niti repereris » substituatur haec alia : « si vera sint exposita. » V. Ubi dicitur : « absolvat sive per se sive per alium in forma Ecclesiae consueta » dicatur : « hac vice tantum sive per se sive per alium absolvat » — Die 28 Augusti 1885. — Postea Cong. S. Off. fer. IV, die 4. Maji 1887, decrevit quoad facultatem dispensandi super impedimentis sive mixtae religionis, sive disparitatis cultus, esse demendam in formulis clausulam « exceptis Italis de quibus non constet italicum domicilium omnino deseruisse ».

2) Non possunt exequi ex dispositione juris dispensationes matrimoniales sub poena nullitatis antequam documentum apostolicum ab Ordinario loci fuerit acceptum. Ex novo codice can. 53.

3) In nonnullis enim regionibus Vicarius generalis ita vocatur. Hinc nomine Officialis intelligitur Vicarius generalis.

4) Novus codex circa rescripta, quibus dispensationes conceduntur, statuit can. 38. Rescripta quibus gratia conceditur sine interjecto executore,

II. Delegatus sub poena nullitatis exprimere debet se dispensare, uti S. Sedis delegatum, ex Bened. XIV, Const. *Ad tuas manus*, 2 Aug. 1748. —

effectum habent a momento quo datae sunt litterae, cetera a tempore exsecutionis.

Can. 39. Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorumdem validitate censentur, cum per particulas *si*, *dummodo*, vel aliam ejusdem significationis exprimuntur.

Can. 40. In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio : *Si preces veritate nitantur.*

Can. 41. In rescriptis quorum nullus est exsecutor, preces veritate nitantur oportet tempore quo rescriptum datum est ; in ceteris tempore exsecutionis.

Can. 42. 1.° Reticentia veri, seu subreptio in precibus non obstat quominus rescriptum vim habeat ratumque sit, dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda. 2.° Nec obstat expositio falsi, seu obreptio, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit. 3.° Vitium obreptionis vel subreptionis in una tantum parte rescripti aliam non infirmat, si una simul plures gratiae per rescriptum concedantur.

Can. 43. Gratia ab una Sacra Congregatione vel officio Romanae Curiae denegata, invalide ab alia Sacra Congregatione vel officio, aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Sacrae Congregationis vel officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo jure S. Poenitentiariae pro foro interno.

Can. 44. 1.° Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione ; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat . nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus. 2.° Gratia a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta hujus denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, invalida est ; gratia autem ab Episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari.

Can. 53. Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa.

Can. 57. 1.° Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita. 2.° Si tamen fuerit electa industria personae, exsecutori non licet alteri committere, nisi actus praeparatorios.

Can. 58. Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio, nisi fuerit electa industria personae.

Oportet *pro coronide* hujus materiae distinguere duplicem delegationem, quam S. Sedes Ordinariis concedit. Una respicit purum ministerium, altera concedit jurisdictionem. Prima habetur cum agitur de casibus particularibus jam cognitis, et examinatis a S. Sede, et ab ea decisis utpote in dispensationibus, quae singulis conceduntur. Hae dispensationes pro executione Ordinariis committuntur. Isti igitur et non alii hujusmodi dispensationes exequi possunt, et si aliis subdelegatur, executio est omnino invalida, quia ipsis committitur purum ministerium. Altera habetur cum habitualiter delegatur Episcopis facultas dispensandi in nonnullis impedimentis matrimonii. Hac delegatione non

III. Delegatus nihil, etiam sponte oblatum, hac occasione accipere potest, ex novo codice can. 1056. IV. Delegatus olim non poterat exequi dispensationem si contrahentes in separatione non permanserint, aut violaverint, nunc remittitur prudentiae Ordinarii, si separari non possunt. Id eruitur ex praedictis immutationibus, et quoque id declaravit. S. Poenit. die 12 Aprilis 1889.

Quoad dispensationem S. Poenitentiariae. — Solus confessarius potest eam exequi, quia tantum in foro conscientiae S. Poenitentiaria dispensat. Quapropter tunc impedimentum aufertur, quando confessarius id poenitenti aliquo modo indicat, seu pronuntiat eum dispensare ab impedimento, quo ligatur ; posset enim post absolutionem haec aut similia verba subjungere : Auctoritate Apostolica mihi delegata dispenso tecum super impedimentum N., quod incurristi, ut matrimonium inire (vel initum perficere) valeas. In nomine Patris etc. Nulla formula sub poena nullitatis, immo nec sub praecepto praescribitur, ideoque sufficit, ut cum intentione dispensandi vernacula lingua confessarius poenitenti dicat, se facultate accepta ipsum dispensare. Si impedimentum sit utrique contrahenti notum et communi, uterque e respectivo confessario dispensandus est. Constat ex responsione S. Poenit.ae die 15 Nov. 1748. Idem autem rescriptum duobus confessariis inservire potest, et dilacerandum est ab eo, qui posterius cum suo poenitente illud exequitur. Si vero impedimentum uni tantum notum sit, unica executio requiritur. Ita Collet, Bouvier etc.

At S. Poenitentiaria in concedendis dispensationibus nonnullas in rescripto apponit conditiones, utpote essentiales, quarum nonnullae respiciunt matrimonium contrahendum, aliae matrimonium contractum.

Declarantur clausulae appositae a S. Poenitentiaria pro matrimonio contrahendo.

I. *Si ita sit*, sive *si preces veritate nitantur*. Quoniam hujusmodi dispensationes conceduntur in forma commissoria, causae debent esse verae tempore executionis, non tempore petitionis. Ita N. Cod. can. 41.

---

committitur purum ministerium, sed jurisdictio quoque, id est cognoscendi singulos casus, et eos judicandi, utrum nempe possit vel non concedi dispensatio. Unde si committitur jurisdictio, potest Episcopus facultatem dispensandi alteri subdelegare, uti eruitur ex responsione S. Officii ad quaesitum : « An possit Episcopus dioecesanus subdelegare, absque speciali concessione, suis Vicariis generalibus, aut aliis ecclesiasticis generali modo, vel saltem pro casu particulari facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas ? « Respondit *affirmative* dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi jus pro aliquibus tantum coarctetur : in hoc enim casu servanda erit adamussim forma Rescripti. Die 14 Decembris 1898.

II. *Audita prius sacramentali confessione.* Confessio ad valorem dispensationis necessaria est, quia nonnisi in ipsa confessione confessarius valide dispensare potest. At non requiritur valida absolutio ; revera Sacra Poenitentiaria statuit : « dispensationem validam fore, etsi confessio sit nulla et sacrilega, et absque sacramentali absolutione concedi posse, si forte urgens aliqua necessitas id suadeat ». Verum sacrilega matrimonii susceptio caveri debet ac proinde in quantum fieri potest, ad actum perfectae contritionis confessarius poenitentem excitet.

III. *Sublata occasione peccandi.* Quae quidem verba indicant poenitentem nec absolvendum, nec dispensandum, antequam occasionem voluntariam revera amoverit. Si vero occasio est necessaria, auferri debet saltem ex animo, nempe ut adhibitis mediis occasio e proxima evadat remota. Theologi dicunt hanc clausulam non poni sub poena nullitatis, sed tantum ad monendum confessarium quid ab ipso agendum sit.

IV. *Dummodo impedimentum sit occultum ;* idest non notorium. Si dicitur omnino occultum (ut solet poni in impedimento criminis,) non est amplius tale, si potest per duos testes probari. Si dicitur simpliciter occultum, non obstat juxta Fagnanum, si notum sit 4 aut 5 personis loci ; vel juxta alios si cognitum sit 7 aut 8 personis in civitate, sex solis personis in oppido. Potest autem delegatus exequi rescriptum, si delictum olim publicum, nunc ex hominum memoria saltem a 10 annis exciderit, ut notat Marcus Leo. Non poterit tamen dispensare, si prudens adsit timor, ne impedimentum ex occulto fiat publicum, vel si impedimentum sit materialiter publicum, sed occultum formaliter. Ita Bened. XIV, qui etiam docet, iterum recurrendum esse, si delictum in loco, quo est contrahendum matrimonium, sit occultum, sed alibi sit publicum (1).

V. *Injuncta gravi poenitentia salutari* (2). Id est juxta vires poenitentis, habita ratione conditionis, aetatis, etc. Talis esset pro omnibus per sex menses jejunium semel in hebdomada , recitatio Rosarii ter in hebdomada , frequens confessio saltem semel in mense, orationes, lectio

---

1) S. Poenit. interrogata anno 1875: « Num in facultate ab eadem Episcopis concessa super impedimentis matrimonii occultis comprehendatur facultas dispensandi super impedimento matrimonii *materialiter* publico, sed *formaliter* occulto ? » Respondit : *Non comprehendi.*

2) S. Poenit. declaravit quod si non adimpletur poenitentia, aut acceptatur sine animo eam adimplendi non invalidatur dispensatio, en textus : « S. Poenit. ad praemissa (idest ad petitionem factam ab Episcopo C.) rescribit : Poenitentias in executione dispensationum matrimonialium omnino imponendas esse, sed omissum earumdem adimplementum secum non ferre dispensationis invaliditatem. Et notet orator in imponendis poenitentiis, quae non specificantur ab executore rationem habendam esse conditioni aetatis, virium, aliarumque qualitatum personarum, quibus dispensatio impertitur. Datum Romae in S. Poenit. 14 Dec. 1891. »

spiritualis, eleemosyna etc., Aliquando praecipitur poenitentia gravis et longa, vel diuturna, et in hoc casu recitatio coronae singulis hebdomadis per annum est poenitentia gravis et longa ; per tres annos est diuturna, ut commune est.

VI. *Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur.* Unde si impedimentum post dispensationem fiat publicum, ad scandalum vitandum conjuges separentur, donec pro externo foro a Congr. de disciplina sacramentorum obtineatur dispensatio ; attamen secreto, uti conjuges haberi possunt, quia revera impedimentum sublatum est.

VII. *Praesentibus laceratis sub poena excommunicationis latae sententiae.* Clausula haec sane non est irritans : destructio literarum imposita statim facienda est, sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem executam. Si autem in literis non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur, quando matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed hujusmodi dispensatio debet a Parocho caute adnotari in libro, qui non possit a quopiam alio aspici, quo ipse scilicet, ubi opus fuerit, possit facere fidem de dispensatione impetrata. Lig. VI, 1143.

DECLARANTUR CLAUSULAE, QUAE IN RESCRIPTO APPONUNTUR A S. POENITENTIARIA PRO MATRIMONIO CONTRACTO.

I. *Si separatio fieri non possit absque scandalo, aut ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur.* Hoc autem ut plurimum semper verificatur. Nam evidens est personas pro legitimis conjugibus palam habitas nec posse separari sine scandalo, nec secum invicem cohabitare sine periculo proximo incontinentiae, quatenus possint vivere tanquam frater et soror. Ideoque confessarius de hac clausula agitari non debet.

II. *Uterque inter se de novo secreto, ad evitanda scandala, contrahere valeat.* Itaque debent contrahentes sine Parocho et testibus renovare consensum ; secus plura scandala evenirent, partes exponerentur diffamationi, multaque alia incommoda inducerentur.

III. *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii* (ut de novo consensus emittatur) ; *sed ita caute, ut oratoris delictum nunquam cognoscatur.* At ex Novo Codice can. 1135 satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret idest non retractaverit.

Si uterque conjux impedimentum ignorat, et ex manifestatione adest periculum separationis, recurratur ad S. Sedem pro dispensatione in radice.

Dispensatio in radice est abrogatio legis ecclesiasticae quae impedimentum induxit, in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum, qui etiam antea ex lege subsecuti sunt. Ita Bened. XIV.

Dispensatio in radice differt a simplici dispensatione, quia dispensatio in radice effectum habet a tempore, quo fuit celebratum matrimonium, aliae dispensationes effectum habent a tempore, quo conceduntur. Hinc dicitur *dispensatio in radice*, quia destruit effectum impedimenti a radice, seu a principio matrimonii, scilicet: 1. sanando vitium consensus; 2. validitatem matrimonio tribuendo; 3. legitimitatem filiis conferendo in ordine ad effectus spirituales. Utrum autem dispensatio in radice conferat legitimitatem filiis, etiam quoad effectus civiles extra ditionem Pontificiam, quaestio est, ut ait Sanchez.

Tres autem conditiones requiruntur, ut matrimonium ope dispensationis in radice convalidari possit, scilicet:

1. Ut conjunctio conjugum habuerit speciem extrinsecam justi matrimonii, neque fuerit manifeste fornicaria, ita Bened. XIV; et ratio est, quia secus non adesset verus consensus, et proinde nullo modo posset adesse matrimonium, seu non adesset radix matrimonii.

2. Ut consensus utriusque perseveraverit. Ecclesia enim consensum etiam ex una tantum parte retractatum convalidare non potest.

3. Ut adsit urgens et gravissima causa, ita Bened. XIV. Hoc verificatur, quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis alteri manifestari non posset 1).

Formulae ad dispensationes postulandas a sacra poenitentiaria.

Pro matrimonio contrahendo.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

N. N. vivente sua uxore rem habuit cum Berta, et sibi mutuo promiserunt matrimonium, quam promissionem unusquisque acceptavit. Nunc mortua uxore, vult cum ea matrimonium contrahere. Impedimentum est occultum; et si conjugium non contraheretur, plura evenerint scandala (vel

---

1) Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede, ita in can. 1141. — Certissimum est sanari posse a Pontifice matrimonium in radice, etiam post alterutrius conjugis obitum, uti, post Barbosa, Sanchez, aliosque, late ostendit Benedictus XIV. in Quaest. can. 178, et firmavit S. Rota in Decis. 455. Ratio est, quia dispensatio in radice directe revocat matrimonium ad tempus, quo matrimonium cum impedimento contractum fuerat, et impedimentum auferens, matrimonium ratum habet ab initio. Cum igitur res spectetur in suo principio, in quo ambo conjuges vivebant, nihil refert, si postea unus eorum mortuus sit.

alia), ideo supplicat Eminentiam V. ut dignetur ei dispensationem concedere. Favebit responsum mittere Neapolim (vel indicatur alius locus) *etc. ad confessarium approbatum N. N.*

Pro matrimonio contracto revalidando.

Eminentissimz ac Reverendissime Domine,

N. N. ignarus (vel *conscius*) *impedimenti contraxit in faciem Ecclesiae matrimonium cum muliere; cum qua rem habuerat, vivente sua uxore, sibi mutuo promittendo matrimonium, quam promissionem unusquisque acceptavit. Quare cum absque scandalo separari non possit, et impedimentum sit occultum humillime supplicat pro absolutionis, et dispensationis remedio. Dignetur etc. ut supra.*

Pro obtinenda dispensatione a voto simplici castitatis.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

N. N. votum castitatis emisit, at nunc est in gravi et imminenti periculo incontinentiae (aut exprimatur alia causa), ideo supplicat Eminentiam V., ut dispensare dignetur in dicto voto, et sic possit orator matrimonium inire etc.

(Foris).

All' Eminentissimo e Reverendissimo Signore
Cardinale Penitenziere Maggiore
Roma

In revalidatione matrimonii per dispensationem a S. Poenitentiaria obtentam nulla formula in Rit. Romano est praescripta, hinc confessarius post absolutionem his verbis, aut similibus utatur : Ego auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento..., quod incurristi ; ut matrimonium inire (vel initum perficere) valeas. In nomine Patris etc.

Si vero dispensatio fit a voto castitatis, dicitur : Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, dispenso. In nomine Patris etc ; si vero jam contractum sit matrimonium, dici potest : Insuper non obstante voto quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate Apostolica tecum dispenso. In nomine Patris etc.

DE POENIS CANONICIS

Q. *Quot sunt poenae canonicae?*

R. Multae, sed praecipuae sunt septem, nempe excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas, infamia, depositio, degradatio.

Q. *Quaenam praecipua differentia inter has poenas intercedit?*

R. Haec : primae tres vocantur *censurae*, et sunt poenae medicinales, et de sua natura infliguntur ad tempus : aliae sunt poenae vindicativae, et de sua natura sunt perpetuae 1).

De censuris in genere.

Q. *Quid est censura?*

R. Est poena spiritualis et medicinalis pro culpa inflicta, privans fidelem usu aliquorum bonorum spiritualium, per ecclesiasticam potestatem imposita, ut fidelis a contumacia desistat.

Q. *Quotuplex potest esse censura?*

R. A jure, vel ab homine ; latae, vel ferendae sententiae 2) ; reservata, vel non 3).

---

1) Incurritne has poenas, qui ante complementum delicti se confitetur, et absolutionem recipit, aut elicit actum perfectae contritionis, vel charitatis ? Distinguendum : vel sermo est de censuris, et non incurrit ; nam tempore quo contrahenda esset censura, neque culpa, neque contumacia amplius extant in subjecto. Vel sermo est de irregularitate, et verius incurrit ; heic enim non agitur de sola causa morali, quae tollitur per poenitentiam, sed etiam de causa physica, quae semel posita necessario pergit influere in actum.

2) Dicitur censura *a jure*, quae fertur per modum legis, uti esset per Canones, Constitutiones, vel Statuta Ecclesiastica. Dicitur censura *ab homine*, quae ab aliquo Superiore fertur per modum praecepti, vel per sententiam particularem. Prima est perpetua, et durat usque dum lex abrogatur ; secunda mortuo Superiore, vel jurisdictione privato corruit, si non sit contracta. Prima est semper generalis ; secunda potest esse generalis, vel particularis, prout fertur indeterminate in delinquentes, vel determinate in aliquas personas. Nota 1.º quod censurae, quas fert Episcopus in Synodo dioecesana, dicuntur latae per modum Statuti, et hae tamquam latae *a jure* durant post mortem Episcopi. Aliae vero extra Synodum dicuntur latae *ab homine* per modum praecepti, seu mandati, aut sententiae, et hae per mortem ferentis cessant, sive praeceptum sit particulare, sive generale. Nota 2.º quod censurae *ab homine* per modum sententiae particularis semper sunt reservatae.

Dicitur censura *latae sententiae*, quae ipso facto incurritur ante judicis sententiam. Dicitur *ferendae sententiae*, quae non ipso facto, sed post peccatum commissum per judicis sententiam infligi debet. Quando censura exprimitur per verba praeteriti vel praesentis indicativi, est *latae sententiae* ; quando exprimitur per verba futuri, vel praesentis subjunctivi, regulariter loquendo solet esse *ferendae sententiae*. Sed *anathema sit* Tridentini est certo latae sent.

3) « 1.º Censurae aliae sunt reservatae, aliae non reservatae » 2.º Censura ab homine est reservata ei, qui censuram inflixit, sententiam tulit, ejusve Superiori competenti, vel successori aut delegato ; ex censuris vero a jure

Q. *Quinam possunt ferre censuras ?*

R. Superiores Ecclesiae, qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo, ordinariam vel delegatam 1).

Q. *Potest superior ferre censuram in causa propria ?*

R. Si est per modum defensionis, potest ; si per modum judicii, non potest, quia simul esset actor et judex.

Q. *Superior existens extra territorium suum potest ferre censuras contra suos subdttos ?*

R. Quando non perturbat alienam jurisdictionem strepitu judiciali, potest, secus non.

Q. *Quinam potest esse censurae subjectus ?*

R. Baptizatus, rationis compos, delinquens, et contumax. Impuberes excusantur a poenis latae sententiae. Ita N. C. can. 2230. Episcopi non incurrunt in suspensionem et in interdictum nisi expresse nominentur. Can. 2227.

Q. *Incurrit censuram, qui delictum committit extra territorium ferentis ?*

R. Si censura est ab homine per praeceptum particulare, aut delictum effectum habet in territorio ferentis 2), incurrit : secus non incurrit.

Q. *Ligatus una censura potestne altera innodari ?*

R. Maxime.

Q. *Contra quaenam peccata ferri potest censura ?*

R. Contra peccata gravia, externa, completa, et cum contumacia conjuncta 3).

---

reservatis aliae sunt reservatae Ordinario, aliae Apostolicae Sedi. « 3.° E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt reservatae *simpliciter*, aliae *speciali modo*, *aliae specialissimo modo*. Ita N. C. can. 2245.

« 1.° Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre. » 2.° Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exerit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur ; censura vero ab homine est ubique locorum reservata, ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit » 3.° Si confessarius ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat,absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura *ab homine*, aut censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata. Ita in canone 2247.

1) Qui potest censuram ferre, potest etiam eam reservare.

2) Uti esset, quando sub censura alicui imponitur residere in loco beneficii, vel interesse choro, vel intervenire processioni, et longe abest.

3) Debet censura infligi : 1. contra peccatum grave, quia censura est poena gravis, et per se culpa levis est incapax poenae gravis; ideo contra culpam levem potest infligi suspensio ad breve tempus ab aliquo officii usu tantum; 2. contra peccatum externum, quia Ecclesia non judicat de internis judicio poenali ; 3. pro peccato completo, quia in poenis stricta interpretatio facienda est. Excipe si aliter cautum sit in jure, uti in duello, in quo simpliciter provocantes et acceptantes in censuram incurrunt ex novo codice, can. 2351. Praeterea si censura

Q. *Potestne quis ligari censura pro peccato alterius?*

R. Si sermo est de excommunicatione, nunquam; si sermo est de suspensione vel interdicto personali, nec etiam; si de suspensione vel interdicto generali, potest.

Q. *Quibus ex causis censura potest esse nulla?*

R. Vel defectu jurisdictionis in ferente, vel formae substantialis, vel causae 1).

Q. *Quibus ex causis censura potest esse valida, sed illicita?*

R. Quando sine justa causa non fiunt omnes tres monitiones; vel quando non fertur sententia in scriptis; vel quando in ea non exprimitur nomen ferentis, et rei; vel quando in ea non exprimitur causa; vel quando non datur intra mensem exemplum scripturae reo petenti.

Q. *Quomodo tollitur censura?*

R. Absolutione, quae dari potest absolute, vel conditionate, quoad omnes effectus, vel aliquem effectum tantum; potest etiam dari quoad reincidentiam 2).

---

lata est contra delictum aliquod committentes, non includit mandantes vel consulentes, si non sunt expressi; et quando sunt expressi, tunc incidunt in censuram, quando completum est delictum, nisi aliter cautum sit in jure, nempe quando principaliter, ut ait Lig., mandatum et consilium sub censura prohibetur; hoc enim in casu, etiamsi non sit completum delictum, censura incurritur; 4. contra contumaces. Contumacia est *contemptus censurae*, quatenus nempe delinquens scit, nec tamen curat Ecclesiam prohibentem sub censura. Hinc ob peccatum omnino praeteritum, quod nullo modo perseveret, non potest infligi censura, quia non adest contumacia. Qui dedit mandatum vel consilium, et postea revocavit, etiamsi revocatio per accidens non innotuit mandatario vel consulto, non incurrit censuram; nam quando postea evenit delictum, ipse non est contumax, et evenit contra suam voluntatem, dummodo, uti mox dictum est, non sit principaliter sub censura prohibitum mandatum vel consilium. Lig.

1) Deficit jurisdictio in ferente, vel quando eam omnino non habet; vel quando non habet in eum, contra quem fert censuram: vel quando habet jurisdictionem, sed impeditam, puta ob legitimam appellationem debito tempore interpositam.

Deficit causa, quando delictum non adest, et non probatur, vel quando adest, et non probatur; vel quando non adest, et probatur. In 1.° casu censura est nulla; in 2.° quaestio est; in 3.° non ligat in conscientia, sed in foro externo servari debet propter scandalum.

Deficit forma substantialis, quando deest saltem una monitio. Excipe, si censura sit a jure, vel ab homine lata pro culpa futura; quia tunc non requiritur monitio, cum ipsa lex seu praeceptum monitionis locum teneat.

2) Quaelibet censura semel contracta tollitur tantum legitima absolutione. Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit. Can. 2248.

A censuris latis *ab homine* per modum sententiae particularis contra determinatam personam potest absolvere tantum ipse ferens, vel ejus successor,

Q. *Qui ligatus censura non sollicitat absolutionem, peccatne graviter?*

R. Maxime : quia voluntarie se privat magnis bonis spiritualibus.

Q. *Quaenam causae excusant a censura?*

R. Ignorantia, metus, impotentia, et consensus illius in cujus favorem lata est censura.

DE CENSURIS IN SPECIE.

De excommunicatione.

Q. *Quid est excommunicatio?*

R. Est censura ecclesiastica, per quam fidelis separatur a communione ecclesiastica.

R. *Quotuplicis generis sunt excommunicati?*

R. Alii vitandi, alii tolerati. Vitandi sunt illi qui a Sede Apostolica nominatim fuerunt excommunicati, et publice denuntiati ; nec non illi,

---

aut delegato ; tales enim censurae sunt ei, qui eas tulit, specialiter reservatae. Est certum et commune. — Quod si autem judex in foro externo testetur censuratum jam satisfecisse partibus, vel esse emendatum, tunc censetur vel ipse jam absolvere, vel cuilibet absolvendum remittere. Et hic duo sunt notanda : 1. Quod Episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo, quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu judiciali. 2. Quod si quis in alieno territorio delinquit, et ab illius Episcopo specialiter excommunicatur, non potest absolvi ab Episcopo proprio, nisi de Episcopi loci licentia.

A censuris vero latis *ab homine* per modum Statuti, sive sententiae generalis contra personas indeterminatas, v. g. in omnes, qui hoc crimen patrabunt, quinam possit absolvere, litigant Doctores. Nonnulli tenent non ab alio, quam ab ipso ferente absolutionem impertiendam esse, quia censura *ab homine*, juxta regulas juris, ab eo dumtaxat auferri potest, a quo est lata. Sed cum communi probabilius dicendum absolutionem tunc a quocumque confessario impertiri posse, si censura non sit reservata. Ratio, quia hae censurae aequiparantur censuris latis *a jure*, et ideo a quocumque absolvi possunt, cum agatur de re favorabili, quae amplianda est, quantum res patiatur, ex cit. cap. *Nuper*. S. Alph. VII, 70, 72, 73.

Adverte, quod Superior potest absolvere etiam in foro externo reum, quamvis absentem et invitum, licet absolutio illicite daretur invito. Forma vero pro absolvenda censura in foro externo habetur in Rituali Rom. ; in foro interno sufficit illa generalis ; *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti in quantum possum, et tu indiges.*

Si absolutio censurae detur in foro externo, utrumque forum afficit ; si in interno, absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi ; sed, nisi concessio absolutionis probetur, aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit. Can. 2251.

Poenae remissio vi aut metu gravi extorta, ipso jure irrita est. Can. 2238.

qui violentas manus in personam Rom. Pontificis injecerunt 1); ceteri vero sunt tolerati.

Q. *Quinam sunt effectus excommunicationis ?*

R. Effectus directi sunt : 1. privatio activa et passiva sacramentorum ; can. 2261 2. privatio communium ecclesiae suffragiorum ; 3. privatio divinorum officiorum ; 4. privatio jurisdictionis spiritualis ; 5. privatio sepulturae ecclesiasticae ; 6. privatio communionis cum fidelibus ; 7 inhabilitas ad beneficia ; 8. nullitas gratiarum a S. Sede in statu excommunicationis obtentarum 2). Effectus indirecti sunt : 1. si violatur excommuni-

---

Excommunicatio afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere, qui in delictum concurrerint ; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem ; excommunicatio et interdictum etiam laicos ; suspensio, clericos tantum ; interdictum etiam locum ; excommunicatio est semper censura ; interdictum et suspensio possunt esse vel censurae vel poenae vindicativae, sed in dubio praesumuntur censurae. Can. 2255.

(1) « Ex textus : Nemo est vitandus nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata, et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere. Can. 2258.

Qui violentas manus in personam Rom. Pontificis injecerit, excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam ; et est ipso facto vitandus. Can. 2343.

Verum etsi ex juris dispositione non teneamur toleratos vitare, adsunt tamen circumstantiae peculiares, in quibus eos vitare tenemur ex praecepto prudentiae vel charitatis, quoties nempe eosdem non vitando adesset periculum scandali aut damni spiritualis ; vel si eos fugiendo, spes prudens oriretur illorum emendationis, quae omnia in haereticis praesertim locum habere solent. Quare Apostolus : *haereticum hominem post unam , et secundam correctionem devita.* In dubio vero an quis sit vitandus, non tenemur eum vitare, nam odia sunt restringenda.

Attamen quae hactenus dicta sunt de excommunicato, currunt pariter de suspenso et interdicto, ita ut usque dum non sint publice denuntiati, possimus indifferenter communicare cum illis, quia Const. *Ad evitanda* , loquitur universe de quacumque censura.

Vitandus in loco ubi non est denuntiatus, idest cognitus uti talis, considerandus est uti toleratus. Ita S. Alph. VII. 145.

2) Hi effectus excommunicationis stricte accepti respiciunt excommunicatum vitandum, quia in veteri disciplina omnes excommunicati erant vitandi, sed a Martino V. facta distinctione inter excommunicatum vitandum et toleratum, dicendum quod non omnes isti effectus eodem modo respiciunt etiam excommunicatum toleratum, qui ex. gr. non privatur jurisdictione spirituali ; insuper si est requisitus, potest communicare cum fidelibus ; praeterea fruitur gratiis a S. Sede in statu excommunicationis obtentis, uti eruitur ex regulis praescriptis pro Sacris Congregationibus, pro Tribunalibus aliisque officiis Curiae Romanae, editis ab E. mo Card. Merry del Val a Secretis Status ex speciali mandato SS. Pii Papae X die 27 junii 1908, en verba : Le grazie e dispense di qualsiasi genere concesse dalla S. Sede, anche a chi fosse colpito

catio per actum ordinis majoris incurritur irregularitas ; 2. si excommunicatus per annum insurdescit in excommunicatione potest contra eum procedi tamquam in suspectum de haeresi 1).

Q. Excommunicatus si administrat sacramenta, administratne valide et licite, et inciditne in aliquam poenam ?

R. Toleratus valide ministrat ; immo si est petitus, et se disponit per contritionem 2), etiam licite. Vitandus valide ministrat omnia sacramenta, excepto sacramento poenitentiae et assistentia matrimonio, sed semper illicite ; excipe casum extremae necessitatis, in quo valide, et licite ministrat cetera sacramenta 3). Tam toleratus, quam vitandus illicite 4) ministrantes per exercitium ordinis majoris incidunt in irregularitatem 5)

Q. Excommunicatus racipitne valide ac licite sacramenta, et incidit in aliquam poenam ?

R. Tam vitandus, quam toleratus valide recipit sacramenta, excepta poenitentia ; sed illicite, dummodo non sit in necessitate, vel si alias dispositus bona fide accedat. Si verò recipit sacramentum Ordinis, non habet ejus exercitium, donec censura tollatur.

Q. Qui recipit sacramenta ab excommunicato, peccatne , et incidit in aliquam poenam ?

R. Si recipit a tolerato, stante justa causa, non peccat. Si recipit a vitando sine necessitate graviter peccat. Qui recipit Baptismum ab haeretico sic declarato, incidit in irregularitatem 6). Qui vero recipere prae-

---

da censura, sono valide, meno per coloro che fossero nominatamente scomunicati, o nominatamente sospesi *a divinis* dalla stessa S. Sede.

1) Si quis, obturato animo, per annum insurdescit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus. Can. 2340.

2) « Haec autem contritio requiritur, ne committeret sacrilegium ob indignam tractationem rei sacrae, non vero ne incurreret irregularitatem, quae, etiam non praemissa contritione, non incurritur ab eo, qui petitus sacramenta ministrat, quia licite ministrat.

3) En textus novi codicis. § 1.º Fideles possunt ex aliqua justa causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare, neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi. § 2.º Sed ab excommunicatis vitandis, necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem, tum etiam, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia. Can. 2261.

4) « Idest non petiti, si agitur de *toleratis* ; extra casum extremae necessitatis, si agitur de *vitandis*.

5) Sunt irregulares : Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab ejus exercitio poena canonica sive personali, medicinali, aut vindicatica sive locali prohibiti. Can. 985.

6) Sunt irregulares qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt. Can. 985.

sumunt sacramentum Ordinis ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata haeretico vel schismatico, incidit in suspensionem a divinis Pontifici reservatam : quod si bona fide recipit, non habet exercitium ordinis, donec dispensetur 1).

Q. *Qui ministrat sacramenta excommunicato, peccatne, et incidit in aliquam poenam ?*

R. Si scienter ministrat vitando extra casum necessitatis extremae, peccat graviter, et incidit in suspensionem ferendae sententiae 2). Si ministrat tolerato occulte petenti, peccat tantum ; si tolerato publice petenti, non peccat.

Q. *Excommunicatus privaturne Ecclesiae suffragiis ?*

R. Suffragiis privatis nemo privatur, suffragiis communibus privatur vitandus ; at possunt haec tolerato applicari 3).

Q. *Potestne excommunicatus celebrare divina officia* 4), *vel eis assistere ?*

R. Vitandus sub gravi nec celebrare, nec assistere unquam potest divinis officiis; potest tamen concionem audire, et in Ecclesia orare, quando divina officia non celebrantur. Toleratus si est requisitus, potest ; secus non 5).

Q. *Excommunicatus facitne valide et licite, quae sunt jurisdictionis ?*

---

1) En textus Nov. Cod. Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico ; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur. » Can. 2372.

2) En textus novi cod. « Minister qui ausus fuerit sacramenta administrare illis qui jure sive divino, sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua hujus generis delicta jure statutis. » Can. 2364.

3) Suffragium est quodcumque bonum spirituale applicatum proximo, ut preces, orationes, satisfactiones. Si applicatur ab Ecclesiae ministris nomine Ecclesiae, dicitur commune ; si private a persona particulari, dicitur privatum. — An pro excommunicato tantum tolerato possint offerri sacrificia etiam nomine Ecclesiae, olim quaestio erat ; at nunc lis finita est. Ait enim novus codex : *Sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo* (excommunicato) *applicare non prohibentur ; sed, si sit vitandus, pro ejus conversione tantum.* Can. 2262.

4) Nomine divinorum officiorum intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur, et a solis clericis fieri queunt.

5) En textus novi cod. « Excommunicatus quilibet caret jure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei. 2.° Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur ; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi in-

R. Vitandus invalide, et illicite extra periculum mortis. 1) Toleratus valide, et si est petitus, etiam licite.

Q. *Excommunicatus potest communicare cum fidelibus?*

R. Vitandus non potest extra casum necessitatis. Toleratus si est requisitus, potest; secus non potest. Ex S. Poen. 5 Jul. 1867.

Q. *Possuntne fideles communicare cum excommunicato?*

R. Cum tolerato possunt, cum vitando non possunt; et peccant graviter, nisi rationabilis causa excuset 2).

Q. *Adsuntne casus, in quibus fideles communicantes cum vitando incidunt in excomm. Papae reservatam?*

R. Maxime, et sunt: Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes, et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excom. Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. Can. 2338 3).

Q. *In quibus prohibentur fideles communicare cum vitando?*

R. In omnibus casibus, qui continentur hoc versiculo: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*, nisi rationabilis causa excuset 4).

Q. *Adsuntne casus, in quibus est licitum communicare cum vitando?*

R. In his casibus, qui hoc alio versiculo continentur: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse* 5).

Q. *Excommunicatus potestne sepeliri in loco sacro?*

R. Toleratus, si dedit signa poenitentiae, potest 6), vitandus non po-

---

commodo; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut alioquin notorie excommunicatus. Can. 2259.

1) « En textus novi cod.« Actus jurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato (vitando) est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, 2.; secus est validus, imo etiam licitus, si a fidelibus petitus sit, in solo mortis periculo. Can. 2264.

2) Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de conjuge, parentibus, liberis famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset. Can. 2267.

3) Dicitur communicare quis in delicto, quando communicat in eodem delicto, ob quod scit illum fuisse excommunicatum; e. g. si quis cognoscit iterum suam concubinam ob tale crimen excommunicatam; vel si quis post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum etc., impendat ei auxilium aut consilium, ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione.

4) Nempe prohibetur confabulatio, oratio, salutatio, omnis societas, et communicatio in cibo, vel in potu.

5) Nempe magna utilitas spiritualis vel temporalis, lex matrimonialis, subjectio filii vel servi, ignorantia, et necessitas.

6) En textus novi codicis. « Ecclesiastica sepultura privantur excommu-

test ; et qui sponte ei donant ecclesiasticam sepulturam, incidunt in interdictum ab ingressu Ecclesiae Ordinario reservatum ; locus sacer remanet pollutus ; cadaver si secerni potest, debet exhumari. 1) Excipe, si dederit signa poenitentiae.

---

nicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, nisi ante mortem aliqua dederint signa poenitentiae ». Can. 1240.

1) « Si fieri sine gravi incommodo queat, cadaver excommunicati vitandi, qui, contra canonum statuta, sepulturam in loco sacro obtinuit, exhumandum est, et in loco profano reponendum ». Can. 1242.

« Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii. Ordinarius licentiam nunquam concedat, si cadaver ab aliis corporibus certo discerni nequeat ». Can. 1214.

Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam ; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu Ecclesiae Ordinario reservatum. Can. 2339.

Sponte donare ecclesiasticam sepulturam illi proprie dicuntur ad quorum curam spectat *prohibere* vel *admittere* aliquem ad praedictam sepulturam, vel, ut ajunt Filiuc, Avila aliique, ille proprie dicitur, qui ex officio suo debet prohibere, et non prohibet. Unde tantum ii hoc interdicto ligari possunt, qui auctoritatem habent permittendi aut prohibendi sepulturam, uti sunt Parochi, Rectores Ecclesiae vel Coemeterii, quia isti tantum possunt istis sponte donare.

Ad animi instructionem juvat heic referre quid tradit novus codex quoad ecclesiasticam sepulturam.

« Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa.

§ 1.° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae, aut sectae massonicae aliisve ejusdem generis societatibus :

2.° Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam :

3.° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio :

4.° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato :

5.° Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi :

6.° Alii peccatores publici et manifesti.

§ 2.° Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius ; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum ». Can. 1240.

Interrogata Congregatione S. R. et U. Inquisitionis : An liceat dare sepulturam ecclesiasticam suicidis, quoque iis celebrare solemnes exequias et Missas ? Respondit : *Regula est, seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat), nisi ante mortem signa dederint poenitentiae, non licere dare ecclesiasticam sepulturam ; quod praeterea, quando certo constat de iracundia vel desperatione, negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari debent pompae et solemnitates exequiarum ; quando autem certo constet de insania, detur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum : quando tamen dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit ob desperationem vel ob insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum.* Die 22 Februarii 1877.

Q. Collatio beneficii facta ab excommunicato estne valida?

R. Si facta est a vitando, est nulla; si a tolerato, est valida.

Q. Collatio beneficii facta excommunicato estne valida?

R. Sive facta sit vitando, sive tolerato, semper est nulla, quia isti sunt inhabiles ad beneficia.

De excommunicationem ob clerici percussionem.

Q. Quid, et quotuplex clericorum percussio?

R. Est violenta et injuriosa manuum injectio in Clericum vel Monachum 1).

Excommunicato publico, vel publico et notorio peccatori jam mortuo, si consanguinei et familiares asserunt aegrotum sacerdotis operam desiderasse, aut resipiscentiae signa dedisse, osculando Crucifixum, vel alios pietatis actus edendo, dari potest sepultura ecclesiastica, vitatis tamen ecclesiasticis pompis, et solemnitatibus exequiarum. Quod si circumstantiae extraordinariae concurrant, Parochus stet Ordinarii mandatis. Ita Cong. Univ. Inq. 19 Sept. 1877. — Et interrogata S. Poenitentiaria: Venendo a morte uno scomunicato notorio, od un pubblico peccatore senza essersi riconciliato colla santa Chiesa, se però avesse desiderato l' opera del sacerdote, dal quale fu trovato o già morto o destituito dei sensi, e se avesse dato segno di pentimento o baciando il Crocifisso, o facendo altri atti di pietà, dovrà il parroco negargli la sepultura e i funebri onori della Chiesa ? Respondit : *In hisce casibus evulgatis resipiscentiae signis, dari posse sepulturam ecclesiasticam, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum. Quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae concurrant, parochus consulat Ordinarium et stet ejus mandatis. Die* 20 *Martii* 1885.

Dubbii proposti dall' Arc. di Udine, Amministratore Apostolico della diocesi di Mantova alla S. Cong. del S. Ufficio — 1.° Se possa un sacerdote cattolico nei luoghi, ove gli eretici non hanno ministri proprii, accompagnare il cadavere di un eretico dalla casa al cimitero, sia pure che il cadavere non si rechi nella Chiesa, né si suonino campane ? Ed in caso affermativo, 2.° se tale pratica sia permessa o tollerata in alcuni speciali paesi soltanto, o possa estendersi anche alla nostra Italia ? Ed in caso affermativo, 3.° quali indumenti sacri deve usare il sacerdote in questo accompagnamento, se deve farsi precedere dallacroce ? S. Cong. Respondit: *Ad* 1.um *Negative, ad* 2.um *et* 3.um *provisum in primo.* Die 19 Januarii 1886.

1) Violentas manus injicere intelligitur, quoties in personam non verbis, sed re fit injuria, idest quoties laeditur corpus, libertas, dignitas. *Corpus*, nempe Clericum percutiendo, mutilando etc., vel ei venenum praebendo; at cum venenum laedere incipit, tunc communius et probabilius contrahitur excomm.; nam antequam venenum laedat, non adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam inferendam. Lig. VII. 280. *Libertas*, ipsum videlicet carcerando, vel detinendo in loco, a quo sine vi aut dedecore exire nequit. *Dignitas*, puta illum hostiliter insequendo, ab eo per vim crumenam, pileum, pallium etc. eripiendo : ipsum sputo, pulvere, luto foedando vestem qua ipse indutus est, lacerando etc., S. Lig VII. 274.

Q. *In quam poenam incidunt clericorum percussores?*

R. Si violentas manus in personam Rom. Pontificis injiciunt, incidunt in excom. specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam. Si vero in personam S. R. E. Cardinalis vel legati Rom. Pontificis, vel Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum incidunt in excom. speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. Si denique manus injiciunt in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum incidunt in excom. Ordinario proprio reservatam 1).

Q. *Suntne vitandi, an tolerati?*

R. Si violentas manus in personam Rom. Pontificis injiciunt, sunt vitandi, secus tolerati.

Q. *Quinam potest ab hac excommunicatione absolvere?*

R. Si est specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, potest absolvi a Rom. Pontifice, vel ab eo delegato. Si est speciali modo reservata

---

Nomine Clericorum heic veniunt omnes saltem prima tonsura insigniti licet excommunicati, suspensi, vel interdicti, modo habitum deferant, et tonsuram. Nomine autem Monachorum intelliguntur Religiosi utriusque sexus, Novitii, Conversi, Tertiarii in communitate viventes, et etiam Eremitae, qui sub certa regula et Episcopi obedientia alicujus loci sacri servitio sunt addicti.

In veteri jure distinguere oportuit clericorum percussionem in levem, gravem, et enormem, quia si percussio erat levis, et publica poterat Episcopus absolvere Clerici percussorem, si erat gravis, vel enormis, et erat publica poterat clerici percussorem absolvere tantum Papa, aut ab eo delegatus, si erat occulta poterat etiam Episcopus. Lig. VII 279. Ideoque theologi de istis percussionibus mentionem faciebant. At ex novo codice non amplius occurrit haec distinctio, quia, nulla facta distinctione de praedictis percussionibus, dicit : si quis violentas manus injicit in personam Rom. Pontificis, potest absolvi a Rom. Pontifice, vel ab eo delegato. Si violentas manus injicit in Praelatos Majores potest absolvi ab eo, qui habet facultatem absolvendi a casibus speciali modo reservatis , si vero violentas manus injicit in alios clericos , vel utriusque sexus religiosos potest absolvi a proprio Ordinario.

1) En textus : § 1.° Qui violentas manus in personam Romani Pontificis injecerit : 1.° Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam : et est ipso facto vitandus. 2.° Est ipso jure infamis. 3.° Clericus est degradandus.

§ 2.° Qui personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Rom. Pontificis : 1.° in excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam : 2.° Est ipso jure infamis : 3.° Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus, at quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat.

§ 3.° Qui in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excom. latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.

§ 4.° Qui in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subjaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat. Can. 2343.

potest absolvi ab eo, qui habet facultatem absolvendi a casibus speciali modo reservatis. Si est reservata Ordinario, a proprio Ordinario 1).

Q. *Adsunt casus, in quibus clericum percutiens non incidit in excommunicationem?*

R. Maxime : 1. si quis percussit cum moderamine inculpatae tutelae, aut ad propriam pudicitiam defendendam : 2. vel ignorat esse clericum ; 3. vel ipso facto percutit clericum turpiter agentem cum matre, sorore, filia, uxore ; 4. vel percutit clericum, qui amisit privilegium canonis ; 5. vel causa correctionis, uti Praelatus, magister, pater, aliique propinqui superiores, sed moderate.

De suspensione.

Q. *Quid est suspensio?*

R. Est censura ecclesiastica, per quam clericus privatur usu officii, aut beneficii, aut utriusque simul 2). Hinc potest esse totalis, si ab officio et beneficio ; partialis, si ab alterutro. Potest etiam esse perpetua, et temporalis ; a jure, vel ab homine ; latae, vel ferendae sententiae.

Q. *Actus eliciti a suspenso suntne validi?*

R. Si sunt actus ordinis, semper sunt validi : excipe si suspensus vitandus absolvat. Si vero sunt actus jurisdictionis, distinguo : si sunt eliciti a suspenso vitando, nempe ab eo, qui per sententiam particularem talis est denuntiatus, sunt nulli ; si vero eliciti sunt a tolerato, sunt validi.

Q. *Qui violat suspensionem, inciditne in aliquam poenam?*

R. Si violat per exercitium ordinis majoris, peccat graviter, et incidit in irregularitatem ; excipe si toleratus sit petitus, et se disponat : si per exercitium jurisdictionis, peccat tantum ; excipe, si toleratus sit petitus 3).

---

1) Haec facultas est data dignitati non personae Episcopi, ac proinde est quasi ordinaria, et potest eam alteri delegare.

2) Hinc per suspensionem non privatur clericus passiva sacramentorum receptione, neque communibus suffragiis. Hinc suspensio quoniam non impedit sacramentorum receptionem, suspensus rite dispositus, et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura. Can. 2250. — Nomine officii hic intelligitur omnis spiritualis potestas. Unde suspensus ab officio privatur usu tum jurisdictionis tum ordinis seu cujuscumque ministerii ecclesiastici ; ideo non potest administrare sacramenta, celebrare, excommunicare, absolvere, indulgentias concedere, exercere Pontificalia ; suspensio haec *a divinis* etiam dicitur. Nomine vero *beneficii* heic venit jus percipiendi fructus ejus, illudque administrandi. Quare suspensiones vel tantum *ab ordine* vel tantum a *jurisdictione*, vel tantum *ab audiendis confessionibus*, etc. sunt suspensiones partiales.

3) Suspensio potest esse etiam simplex poena, nempe quando infertur pro delictis praeteritis, quia deest contumacia ; et qui hanc violat, peccat.

Q. Qui a suspenso petit exercitium illius officii, a quo est suspensus, peccat ?

R. Si a tolerato, non peccat : si a vitando, peccat, sed in nullum poenam incidit.

at in nullam incidit poenam. En verba D. Ligorii : *Si suspensio fuerit lata per modum statuti aut praecepti ob crimen futurum vel etiam praeteritum, sed habens tractum successivum, tunc transgrediens incurrit irregularitatem, uti patet ex novo codice can.* 985. *Secus si suspensio sit lata ab homine per sententiam ob meram punitionem criminis omnino praeteriti, quia talis suspensio habet rationem mere poenae non censurae. Censura enim, cum sit medicinalis, nequit ferri ob delictum omnino praeteritum.* S. Lig. VI. 314.

Novus codex canone 1285 confert Episcopis facultatem suspendendi clericos *ex informata conscientia,* nempe ex causis sibi notis ideoque *extrajudicialiter,* nulla praemissa monitione. En canones.

Can. 2186. Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio sive ex parte sive etiam in totum. — Can. 2187. Ad ferendam hanc suspensionem neque formae judiciales, neque canonicae monitiones requiruntur ; sed satis est si Ordinarius simplici decreto declaret se suspensionem indicere. — Can. 2188. Hujusmodi decretum detur in scriptis, nisi adjuncta aliud exigant, designato die, mense et anno ; in eoque 1.° expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia, seu ex causis ipsi Ordinario notis ; 2.° indicetur tempus durationis poenae ; abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda in perpetuum. Potest vero infligi etiam tamquam censura, dummodo hoc in casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur : 3.° clare indicentur actus, qui prohibentur, si suspensio non in totum sed ex parte infligatur. — Can. 2191. Ob notorium delictum suspensio ex informata conscientia nunquam ferri potest. — Can 2192. Suspensio ex informata conscientia valet, si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum. — Can. 2194. Si clericus recursum a suspensione sibi inflicta interponat, Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes, quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod extraordinaria hac poena puniri queat.

Clerici hanc praedictam suspensionem per exercitium ordinis majoris violantes utrum irregularitatem incurrant, quaestio est. Nonnulli negant, quia cum sit ob delictum praeteritum, deest monitio et contumacia, ac proinde est poena, non censura : aliique plures, inter quos Bened. XIV e Syn. dioec. l. XII c. 8 n. 5 affirmant ex respons. S. C. C., in Sägon 21 Junii 1625, et ex alia 8 April. 1848, nec non ex Instru. S. C. de Prop.Fide 20 Octo.1848 n. 11. In praxi cum sit dubia irregularitas, clericus hanc suspensionem violans non est censendus irregularis.

Si suspensio ore tenus fertur, poena dicenda est non censura, quia cum censura non possit licite ferri sine scriptura, non praesumitur Episcopum voluisse delinquere censuram ore tenus ferendo.

An incurrat irregularitatem clericus exercens actum, a quo erat suspensus, si suspensio fuerat lata pro tempore determinato, quaestio est. Prima sententia negat, quia suspensio lata pro tempore determinato habet rationem purae poenae, quae non inducit irregularitatem. Secunda sententia communior affirmat, quia in c. I, *de Sent. et re judic.* in 6.° legitur, quod quidam, cum fuerit suspensus ad tempus, et sic ministraverit, fuit expresse declaratus

De interdicto.

Q. Quid est interdictum?

R. Est censura ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina officia, sacra quorundam sacramentorum et ecclesiastica sepultura. Potest esse *personale*, *locale*, et *mixtum*, prout afficit personam, locum, vel utrumque. Potest etiam esse *generale*, et *speciale*; primum quando afficit generalitatem, puta totam civitatem; secundum quando afficit unum locum, puta unam Ecclesiam, aut aliquam personam.

Q. Officia divina possuntne celebrari tempore interdicti generalis?

R. Ex novo codice dummodo clerici non sint ipsi personaliter interdicti, possunt omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, januis clausis, voce submissa, et campanis non pulsatis. Can. 2271 1).

---

irregularis. Tertia sententia, quae Ligorio videtur absolute probabilior, distinguit, et dicit, quod si suspensio fuerit lata per modum statuti, aut praecepti ob crimen futurum, vel etiam praeteritum, sed habens tractum successivum tunc transgrediens verius incurrit irregularitatem, ut patet ex textu praefato: secus si suspensio sit lata ab homine per sententiam ob meram punitionem cr minis omnino praeteriti, quia talis suspensio habet rationem merae poenae, non censurae; censura enim, cum sit poena medicinalis, nequit ferri ob delictum omnino praeteritum. Lig. VII, 314.

Suspensio tollitur: 1.° per absolutionem, si est vera censura; 2.° per lapsum temporis, quando est temporalis: 3.° per conditionis eventum, si conditionata sit: 4.° per dispensationem, quando est vera poena.

Unde si suspensio rationem habet censurae, tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem, et quidem ab omnibus confessariis, si non sit reservata: si vero sit reservata, vel lata ab homine in personam particularem tollitur a Superiore vel ejus delegato — Quod si lata sit ad certum tempus, vel sub conditione, cessat per se, tempore illo transacto, vel conditione impleta. Quando autem suspensio est pura poena non potest ab illa dispensare, nisi ipse ferens, aut ejus Superior; quoniam sicut legem Superioris, ita et adnexam ei poenam inferior solvere non valet. — Insuper suspensionem latam in communitatem is tantum potest absolvere, qui in ipsam communitatem jurisdictionem habet in foro contentioso, ut communiter tenent Doctores, eo quod talis suspensio ad hujusmodi forum attinet. Denique vi novi codicis can.2237 possunt Episcopi, et probabilius etiam alii Superiores quasi episcopali potestate gaudentes, absolvere ab omni suspensione Sedi Apostolicae gen. mod. reservata, si proveniat ex delicto occulto, et non deducto ad forum contentiosum. Dixi *probabilius*, *posse etiam alios Superiores potestatem quasi episcopalem habentes*, quia licet haec sit quaestio, et quaestio est juris non facti, ex canone 209 novi codicis potest quis uti jurisdictione probabili, quia in dubio positivo et probabili eam supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno.

1) Interdictum personale speciale vera censura est, et requirit culpam personalem rei, qui punitur eumque ubique comitatur can. 2269 at interdictum locale, et interdictum personale generale neque censurae sunt, neque

Q. *Quaenam sacramenta possunt administrari tempore interdicti localis generalis ?*

R. Interdictum locale sive generale sive particulare non vetat morientibus sacramenta et sacramentalia ministrare. Extra vero periculum mortis, in ecclesia cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia, quae unica sit in oppido, in iisque solis permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali. 1) can. 2271.

Q. *In quam poenam incurrunt violatores interdicti ?*

R. Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure contrahunt, donec, arbitrio ejus cujus sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium sunt ipso facto personaliter interdicti. Can. 2338. Clerici et Religiosi violantes interdictum personale per exercitium ordinis sacri incidunt in irregularitatem 2).

Q. *Quid est interdictum ab ingressu Ecclesiae ?*

R. Est censura ecclesiastica, qua quis privatur exercitio ordinis sacri in Ecclesia, assistentia divinis officiis, et sepultura Ecclesiastica 3).

Q. *Quinam possunt ab interdicto absolvere ?*

---

poenae, sed privationes quaedam, adeoque omnes obligant etiam innocentes in illo loco, aut in illa communitate comprehensos can. 2269. Sed personaliter innocentes possunt ab interdicto se eximere, si a loco decedant vel si desinant esse membra illius communitatis. — Interdictum generale locale suspenditur in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis V., et Sanctissimi Corporis Christi, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio. Can. 2270.

1) Ex jure, interdicto principali, nempe toto, est interdictus etiam accessorius, idest pars. Sed interdicto accessorio, nempe capella, non est interdictus totum, nempe Ecclesia. Interdicto populo, non est interdictus clerus, et viceversa.

2) Triplici modo violari potest interdictum per exercitium ordinis majoris : 1. si interdictus ordinem sacrum exercet : 2. si non interdictus in loco interdicto Sacramenta ministrat : 3. si non interdictus in loco non interdicto personae interdictae administrat Sacramenta prohibita. In tertio casu non incurritur irregularitas. Lig.

3) Hinc licite potest taliter interdictus celebrare in oratorio privato, et in ecclesia privatim orare, ac Sacramenta recipere. Scavini.

Violantes tale interdictum per exercitium ordinis sacri incidunt in irregularitatem. Adverte, quod praeter interdictum locale adest etiam *cessatio a divinis*, quae non est censura, sed simplex prohibitio clericis imposita, ut sub gravi se abstineant a divinis officiis in aliquo loco, et ab administratione sacramentorum ob gravem injuriam ecclesiae, vel divino cultui illatam. Eosdem

R. Interdicta localia et personalia generalia possunt tolli ab Episcopo vel ab alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam. Interdictum personale speciale latum *ab homine* non potest tolli nisi ab eo, qui illud tulit. Ab aliis vero interdictis, quae habentur in *jure*, si non sint reservata, quivis confessarius potest absolvere 1).

De irregularitatibus.

Q. *Quid est irregularitas ?*

R. Est impedimentum canonicum ad ordines suscipiendos, susceptosque exercendos 2).

Q. *Quotuplicis generis sunt irregularitates ?*

R. Aliae sunt ex defectu, aliae ex delicto 3).

---

fere effectus habet, quos interdictum ; ejus violatores tamen non fiunt irregulares.

1) Interdictum si est censura, non tollitur nisi absolutione : si est simplex poena tollitur dispensatione.

Si est latum ad certum tempus, vel sub aliqua conditione, elapso tempore, vel conditione adimpleta, statim per se cessat.

2) Hinc irregularis potest jurisdictionem exercere, quia ista non privatur. Utrum collatio beneficii viro irregulari facta ipso facto nulla sit, gravis est controversia. Prima sententia communior affirmat, quia beneficium datur propter officium, unde qui inhabilis est ad officium, cum non possit ordinem exercere, est etiam inhabilis ad beneficium. Secunda vero sententia dicit talem collationem non esse irritam, sed tantum a judice irritandam, quia non sunt imponendae poenae, nisi in jure sint expressae ; nullibi autem habetur expressum, quod irregularitas reddat hominem incapacem beneficii ; unde irregularis, quamvis graviter peccet acceptando et retinendo beneficium sine dispensatione, sicut etiam peccet, qui illud ei confert, tamen si suppleat per alium munia beneficii, non tenetur fructus restituere. Unde concludit S. Ligorius : prima sententia videtur probabilior ; licet enim jura non expresse declarent hanc collationem invalidam, tamen communior sententia DD. sic illa interpretatur ; nam sensus DD., ut fatetur ipse Laymman, est optima legum interpres. Sed hoc non obstante, secunda sententia, videtur satis probabilis. Heic tamen advertendum, quod adhuc stante probabilitate hujus sententiae, nequit irregularis se immittere in possessionem beneficii, quia nemo cum opinione probabili potest inchoare possessionem rei alienae. S. Lig. VII, 342. At si jam est immissus, ad cautelam petenda est dispensatio.

Adverte, quod irregularitas non potest imponi, nisi a jure communi. Quando vero dubitatur, utrum in jure sit expressa, admittenda est tantum quando communis sensus DD. et ecclesiae consuetudo eam admittunt.

3) *Primae* contrahuntur sine peccato, utpote merae inhabilitates. — *Secundae* contrahuntur ob peccata gravia, externa post baptismum perpetrata sive publica sive occulta. Unde delictum commissum ante baptismum non inducit irregularitatem ex delicto, utpote non subjectus delinquens legi ecclesiae, et per baptismum deinde purgatur omne delictum et indecentia orta

Q. *Quinam sunt irregulares ex defectu?*

R. En quid statuit Novus Codex can. 984. Sunt irregulares ex defectu.

1. Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati, vel vota sollemnia professi. 1).

2. Corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt 2).

3. Qui epileptici, vel amentes vel a daemone possessi sunt, vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint, et jam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere.

4. Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt 3).

---

ex delicto. Utraque vel totalis est, quae reddit inhabilem ad omnem Ordinem suscipiendum, atque ad omne Ordinis jam suscepti exercitium; vel partialis, quae aliquo tantum Ordinis ministerio privat, v. g. si sacerdos est coecus, non potest sine dispensatione celebrare, sed potest adhuc confessiones excipere; vel temporalis, ut est defectus aetatis, quae evanescit completo tempore ad ordines requisito; vel perpetua, quae per se semper durat, nisi tollatur dispensatione.

1) Adverte quod per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles extiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis vel nativitatis. Can. 1116. Hinc filii adulterini vel incestuosi non legitimantur per subsequens matrimonium. Porro non sunt illegitimi, ac proinde irregulares, qui sunt nati ex putativo matrimonio,idest nullo, cum bona fide contracto saltem ex parte unius, licet celebratum fuerit sine denuntiationibus, et sine dispensatione Episcopi ab eis, quia in textu nulla fit exceptio, et legislator quod voluit expressit, quod tacuit nolle censetur.

Iuxta novum codicem can. 1114: Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti.

2) Irregulares sunt claudi, si absque baculo sustentari nequeunt in altari, surdi non adhuc promoti (surdastribus autem dispensatio solet concedi ad cautelam); carentes oculo sinistro, non dextero, si Canonem legere non possunt sine indecenti faciei conversione; eunuchi voluntarii, qui talem praebent aspectum, ut risum moveant etc. In dubio autem ad Episcopum spectat declarare, an isti sint irregulares.

3) Quoniam in textu exprimuntur tantum illi qui vel plura matrimonia valida successive contraxerunt, sequitur bigamiam interpretativam, quae in veteri jure admittebatur, per novum codicem prorsus excludi, ideoque non est dicendus irregularis, qui contrahit cum vidua, aut ab alio corrupta, et consummat, vel quando cognoscit suam uxorem ab alio cognitam tempore matrimonii, vel quando duo matrimonia contrahit, unum validum et alterum

5. Qui infamia juris notantur.

6. Judex qui mortis sententiam tulit 1).

7. Qui munus carnificis susceperint, eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae 2) can. 984.

Q. *Quinam sunt irregulares ex delicto?* 3).

R. 1. Apostatae a fide, haeretici, schismatici:

2. Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt;

3. Qui matrimonium attentare, aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido conjuncta;

4. Qui voluntarium homicidium perpetrarunt, aut foetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes: 4).

---

nullum, aut ambo nulla et consummata; et eatenus isti dicebantur irregulares, quia interpretatione juris duas uxores habuisse censebatur. At hodie per novum codicem non sunt dicendi irregulares. In odiosis stricta facienda est interpretatio.

1) Hinc hanc irregularitatem ex novo codice incurrit solus judex, qui mortis sententiam, licet justam, tulit.

2) Carnifex, idest qui securim elevat ac demittit, fit irregularis ipsa susceptione muneris, etsi nunquam executus fuerit. Ceteri ministri irregulares fiunt executione poenae capitalis, dummodo ministerium praestiterint *voluntarie*, uti sunt illi, qui illud officium acceptant, vel petunt intuitu mercedis, unde excusantur milites, qui coacti sunt a lege, et *immediate*, uti sunt illi, qui corpus rei fatali caesurae apponunt, ejusque collum denudant.

3) Haec delicta irregularitatem non pariunt, nisi fuerint gravia peccata, post baptismum perpetrata, externa sive occulta, sive publica. Can. 986 — Irregularitas sive ex delicto sive ex defectu non incurritur nisi in canonibus sit expressa. Can. 983. — Irregularitas semel contracta non extinguitur citra legitimam dispensationem: excipe infamiam facti, quae desinit cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adjunctis et praesertim diuturna rei emendatione fuerit, prudenti Ordinarii judicio, recuperata Can. 2295.

4) Pro homicidio mere casuali nulla incurritur irregularitas, sive rei licitae sive illicitae operam dando illud eveniat. Ratio est, quia tale homicidium tunc non est voluntarium. Iura autem irregularitatem statuentia ex homicidio intendunt punire vere delinquentes homicidii culpabilis. Clem. *si furiosus;* unde qui infirmo, debita adhibita diligentia, dat cibum, vel potum, vel eum movet ad levamen, vel de lecto in lectum transfert, ex quo praeter intentionem mors sequitur, aut acceleratur, non est dicendus irregularis, quia homicidium est mere casuale. Excipe *primo*, si actio sit licita, et effectus praevideatur, et sufficiens non adhibeatur diligentia ad illud praecavendum, tanta nempe quae excusat a peccato gravi; in hoc enim casu homicidium esset mixte casuale, et incurritur irregularitas, uti esset, si quis reficiendo tectum tegulas et lapides mittit, quin praemoneat transeuntes, ut se caveant. *Secundo*, si actio sit illicita, et communiter periculosa mortis; ita ut ex ea frequenter mors sequatur.

5. Qui seipsos vel alios mutilaverunt, vel sibi vitam adimere tentaverunt: 1).

6. Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur:

7. Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab ejus exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti 2). Can. 985.

---

quamvis omnis adhibeatur diligentia, ne mors sequatur, quia cum opus sit de se proxime periculosum, nulla diligentia potest non periculosum fieri, unde si sequitur homicidium, incurritur irregularitas, ut esset admovere ignem bombardae, ubi est frequentia hominum, aut pugnare in bello injusto, aut inducere alterum, ut temere se exponat periculo mortis. Si vero actio non est periculosa mortis, licet peccaminosa, non incurritur irregularitas; hinc ex S. C. Concilii non est irregularis clericus, si ob ejus adulterium a marito fuerit occisa adultera conjux. S. Lig. VII. 383 et seq.

Ex textu habetur esse etiam irregulares cooperantes tum ad homicidium voluntarium, tum ad abortum foetus animati. Quoad utrumque certo comprehenduntur mandantes, et qui operam proximam praestant, vel auctores sunt, ut crimen citius patretur. In praxi, si sermo est de *homicidio*, sunt cooperantes, qui impediunt vi aut dolo ut quis aggressus ab inimico se defendat, unde occiditur; qui communi consilio conveniunt ad aliquem occidendum, sed unus occidit; judices et accusatores ac testes injusti; qui pugnant in bello injusto, si unus ex commilitonibus aliquem occiderit ex hostibus, ut docet Bened. XIV. Si sermo est de *abortu* sunt cooperantes; medici qui scienter ad hunc effectum pharmacum indicant; pharmacopolae, qui scienter ad hunc effectum pharmacum praeparant, et personae quae scienter ad hunc effectum pharmacum emunt, ut mulieri praegnanti praebeant.

Qui actionem delictuosam ponit sub metu gravi excusante a lege positiva, sed non a lege naturali, peccat, sed irregularitatem non incurrit, quia irregularitas est lex positiva, quae non obligat cum gravi incommodo; nec eam incurrit, qui sub metu gravi ponit actum ordinis, sibi sub poena canonica prohibitum.

Nec est irregularis ratum habens homicidium suo nomine patratum; nec qui alium occidit ad defensionem propriae vitae, vel innocentis, quia non est homicidium culpabile, sed defensio vitae.

1) Mutilatio est membri abscissio seu obtruncatio, nempe habetur quando aliquod membrum a corpore separatur. S. Lig. VII. 365. Nomine membri communissime et probabilius intelliguntur tantum partes illius corporis, quae proprium officium habent ab aliis distinctum, ut manus, pes, oculus. Unde non fit irregularis, qui excaecavit hominem solo visu privando, non extrahendo oculum, quia sustulit usum, non membrum, nec qui debilitat tantum membrum, et non abscindit, quia non est mutilatio; nec qui amputaret auriculam, quia ea ablata, non tollitur omne officium audiendi; nec qui dentes evelleret, quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum; nec qui obtruncat partem membri, puta digitum, quia non est membrum.

2) Clericus exercens ordinem sacrum quem non habet, vel poena canonica ligatus, idest censura, exercet actum ordinis majoris, incidit in irregularitatem.

Q. *Quinam sunt simpliciter impediti* 1).

R. 1. Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanserint.

2. Viri uxorem habentes.

3. Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cujus rationes reddere debeant, donec, deposito officio, et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint.

4. Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem.

5. Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud axpleverint.

6. Neophyti, donec, judicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint 2).

7. Qui infamia facti laborant, dum ipsa, judicio Ordinarii, perdurat 3).

Q. *Quinam potest dispensare ab irregularitatibus ex delicto?*

R. Ex N. cod. « Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos 4) dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, 5) aliave deducta ad forum

---

1) Impedimenta sunt illa, quae obstant susceptioni ordinum, et natura sua cessare possunt; iisque cessantibus, nihil impedit ordinum susceptionem. Haec impedimenta septem sunt, quae habentur in responsione ad quaesitum.

2) Neophyti sunt, qui recenter ad fidem conversi sunt. Possunt isti ordinari, postquam bene in moribus profecerint per tempus judicio Episcopi definiendum. Illiterati, qui nempe scientiam sufficientem prorsus non habent ad ordinum officia exercenda, sunt inhabiles etiam de jure divino, et naturali, ideoque durante tali ignorantia nec etiam a Papa possunt dispensari.

(3) Ignorantia impedimentorum et irregularitatum sive ex delicto, sive ex defectu ab eisdem non excusat. Can. 988.

Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione ejusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario. Hinc triplici innodatur irregularitate, qui est illegitimus, corpore vitiatus, et bigamus. Unica tenetur irregularitate sacerdos, qui suspensus ter missam celebrat. Ita in can. 988.

4) Non potest tamen Episcopus dispensare ab irregularitatibus peregrinos in sua dioecesi versantes, licet delictum sit occultum, quia in citato canone 990 dicitur: *Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare etc.* — Et heic nomine subditorum veniunt illi, in quos Episcopi gaudent ordinaria jurisdictione, non vero alienigenae; ita decisum esse a Gregorio XIII refert Fagnanus. S. Alph. XI 593.

5) Si vero homicidium fuerit mixte casuale, valde probabile est posse Episcopos dispensare in irregularitate ex eo contracta, quando crimen fuerit occultum; nam novus codex in praedicto canone negat Episcopis facultatem dispensandi, tantum si homicidium fuerit voluntarium; at homicidium mixte casuale distinguitur a voluntario, unde si homicidium est mixte casuale, potest Episcopus dispensare ab irregularitate ex eo contracta. Ita communiter. Hinc infertur, quod bene possit Episcopus dispensare 1.° cum eo qui mandavit famulo, ut tantum percutiat, sed ille casu occiderit; 2.° cum eo, qui leviter percutere intendens, ex negligentia casu interficiat; 3.° cum eo

judiciale. Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines jam susceptos exercere licite valeat. » Can. 990. 1).

De infamia, depositione, et degradatione.

Q. *Quid est infamia?*

R. Est poena canonica, quae sequitur aliqua delicta, et inducit irregularitatem, ut supra est dictum.

Q. *Quid est depositio?*

R. Est poena canonica, per quam clericus in perpetuum privatur ordinis exercitio, jurisdictione, et beneficio, retento tamen privilegio canonis et fori.

Q. *Quid est degradatio?*

R. Est poena canonica, qua clericus etiam privilegiis canonis, et fori privatur 2).

APPENDICES

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

De I. Praecepto.

In hoc praecepto jubet Deus cultum sibi debitum dari internum, qui exhiberi debet praecipue actibus virtutum theologicarum; et externum, qui exhiberi debet praecipue actibus virtutis religionis. De his virtutibus consule, quae dicta sunt in *Instit.*

Vitia, quae his virtutibus opponuntur, et de quibus ibid., huic praecepto sunt etiam opposita.

---

qui percutiendo praegnantem, casu efficit, ut eveniat abortus; S. Alphonsus VII. 393.

1) In novo cod. can. 991 dicitur: § 1.° in precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; secus dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis in bona fide, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, vel ex alio delicto ad forum contentiosum deducto, non autem pro reticitis in mala fide.

§ 2.° Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis.

§ 3.° Dispensatio generalis ad ordines valet pro ordinibus quoque majoribus, et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia.

2) Degradatus tamen valide facit, quae sunt ordinis: tenetur ad castitatis debitum, et ad horas; invalide contrahit matrimonium.

De II. Praecepto.

In hoc praecipitur debita reverentia Dei nomini exhibenda in juramentis, et in voto, de quibus in Tract. *de relig.*; et prohibentur blasphemiae, de quibus superius in Tract. *de peccatis*, et quilibet abusus Divini Nominis in juramentis, et in votis.

De III. Praecepto seu de festorum observantia.

Obligat hoc praeceptum sub gravi fideles usum rationis habentes ex jure naturae, ex jure divino positivo quod ad substantiam, et ex jure ecclesiastico quod ad designationem diei et cultus. Duo praecipiuntur observanda die festo : cultum Deo exhibere 1), et se abstinere ab operibus servilibus.

Ad cultum Deo exhibendum praecipitur ab Ecclesia auditio missae, quae audiri potest etiam in aliquo oratorio privato, quando adest debita licentia 2).

Parvam partem missae omittere est veniale, puta usque ad evangelium exclusive, vel ea omnia, quae dicuntur peracta communione usque ad finem. Excusant ab auditione missae : 1. impotentia, prout in infirmis

---

1) Nota, quod licet peccatum opponatur Dei cultui, et fini hujus praecepti, tamen ex D.Thoma, et ex D. Ligorio, peccare in die festo non constitui speciale peccatum, quidquid dicant alii.

2) Talis praesentia ad missae auditionem requiritur, quae sufficit, ut quis Sacrificio interesse, et cum aliis audientibus moraliter conjungi dicatur ; ita Theologi communiter. Hinc. 1.° Commune est eum satisfacere, qui missam audit in choro post altare, vel post parietem sive columnas, vel per fenestram quae fert in templum, etiamsi sacerdos celebrans non conspiciatur. Nam moralis cum aliis unio ex communi hominum judicio censetur adesse sonitu campanulae, cantu chori, motibus assistentium, etc.; quod si in praedictis locis nihil audiri, videri vel notari possit, quid fiat, tunc fidelis praecepto non satisfacit, quia non censetur moraliter praesens. — 2. Item commune est, et illos satisfacere, qui ad breve tempus recedunt ab ecclesia, ut sumant vinum, thus, etc. ; vel ut pulsent campanas ; cum talis recessus ordinetur ad Sacrificium. — 3. Docent non improbabiliter Sporer, Mazzotta, Lugo, Elbel et Continuator Tournely illum satisfacere qui missam audit ex fenestra domus, licet via intermediet, modo prospiciatur altare et parva sit distantia adeo ut censeatur adhuc moraliter assistere. Item probabile est etiam praecepto satisfacece illum, qui in magna Basilica in aliqua capella distantissima moratur, si possit celebrantem aspicere, et videre quid agat. — 4. Excusat ab auditione Sacri notabilis distantia ab Ecclesia.In hoc pensandae sunt circumstantiae personae, temporis et loci, sed regulariter putant Suarez, Castrop. Filliucius, Salmant, Croix Mazzotta et alii excusare distantiam trium milliarium, aut iter pedestre unius horae cum quadrante et minus, si plueret, aut ningeret, aut adesset alia causa excusans. S. Ligorius III, 312, et Homo Ap. trac. VI. 35.

carceribus detentis ; etc. ; 2. grave incommodum, prout in navigantibus, vel viatoribus, qui grave damnum paterentur ; 3. consuetudo legitime introducta in aliquibus locis, qua viduae, sorores defuncti ratione luctus per aliquot dies e propria domo non exeunt.

Opera possunt esse *servilia, liberalia et communia*. Prima sunt illa, quae immediate fiunt in corporis utilitatem potius , quam animae ; viribus corporis exercentur, ut suere, fodere, fabricare etc., et ab operariis tantum, ac servis fieri solent. Secunda sunt illa, quae ab anima procedunt, et ad animum excolendum spectant ; uti legere, docere, canere, organa pulsare etc., ac a liberis exercentur. Tertia demum sunt illa, quae promiscue a liberis et servis exercentur : uti iter facere, venari etc. Opera servilia tantum prohibentur die festo 1).

Causae, quae reddunt licita opera servilia in die festo, sunt istae : 1. dispensatio 2); 2. consuetudo 3); 3. pietas 4); 4. charitas 5); 5. necessitas 6);

1) Ex jure canonico vero prohibentur etiam opera forensia, uti praestare juramentum judiciale pro rebus temporalibus, formatio processus, citatio partium,prolatio sententiae et executio. Prohibetur etiam ex eodem jure mercatus, sub quo nomine veniunt venditiones in publicis officinis ; et hae prohibentur ratione scandali ; excipe, si vendantur res necessariae, et etiam esculenta ac poculenta, licet sint ad gulositatem. Nundinae universales, vulgo *fiere*, ex consuetudine permittuntur, et alicubi etiam nundinae particulares in quavis hebdomada. Tandem prohibentur et alii contractus; excipe tamen cum S. Ligorio, si fiunt sine instrumentis, et sine judicis auctoritate.

2) Pontifex dispensat pro tota Ecclesia , Episcopi, et habentes jurisdictionem quasi episcopalem pro suis subditis, etiam in festis communibus stante causa; Parochi, etiam praesente Episcopo, ex consuetudine pro suis filianis, sed ad actum tantum, uti refert D. Ligorius.

3) Ex consuetudine licet ducere currus et jumenta onusta, verrere et separare segetes, rigare olera, et probabiliter etiam barbitonsoribus tondere maxime rusticos, vel si a plerisque relinquerentur cum jactura gravis lucri. D. Ligorius.

4) Hinc licet verrere templum, coquere hostias, ornare altaria, vel ecclesiam, vel sepulcrum, tapetum. An autem ex pietate liceat in die festo confice re vestes pro pauperibus, colere agros ecclesiae, vehere lapides ad ejus aedificium,dealbare parietes templi, alii negant ; sed alii affirmant, maxime quando adesset actualis et gravis necessitas, vel quando adesset licentia Episcopi.

5) Hinc licet infirmis vel pauperibus actu egentibus subvenire, opera servilia, vel actus judiciales pro ipsis exercendo.

6) Intelligitur necessitas propria vel aliena animae, vel corporis ; et juxta probabiliorem sententiam etiam amissio magni lucri est causa excusans ab hoc praecepto. Laborare autem ad otium vitandum est licitum , sed tantum in casu, quo urget tentatio, quae aliter vinci non posset.

6. utilitas publica 1) ; parvitas materiae, quae excusat saltem a culpa gravi 2).

De IV. Praecepto, seu de officiis inferiorum erga superiores, et viceversa.

Ex hoc praecepto tenentur filii tum genitoribus tum aliis eorum superioribus amorem, reverentiam et obedientiam praestare. Ex eodem praecepto tenentur parentes ad conservationem, et educationem filiorum, eos instruere per se vel per alios ; curare ut eum statum eligant, ad quem a Deo vocantur. In his mutuis eorum officiis, si notabiliter deficiunt, graviter peccant.

Patres vero secundum spiritum, nempe sacerdotes tenentur aliorum salutem procurare verbo, exemplo, oratione, etc. Fideles vicissim debent eos amare, honorare, eis obedire.

Tandem patrini debent bonis doctrinis et moribus informare filiolos suos, et isti illos prosequi amore, reverentia, et obedientia.

De Parochi moribus. Parochi obligationes, quoad personales ejus mores, sunt : 1. ut Parochus quotidie meminerit, se onus sustinere angelicis humeris, formidandum ; — 2. ut sciat se boni rectoris officio haud posse satisfacere, si quum aliis inculcat pietatem, ipse non exprimat in se, factus *forma gregis* ex animo ; — 3. ut constantem studiis sacris operam impendat, ne errare contingat cum tanto fidelium detrimento, et ut Congregationibus a Vicario foraneo indictis intersit ; quod valde commendat S. Lig. Hom. Apost. tract. VII, 57 ; — 4. ut in omni agendi ratione maximam prudentiam praeseferat, sciens non omnia semper expedire quae licent, et in se bona sunt. Unde sit cautus ac modum servet, tum in abusibus evellendis, ne eos volens auferre augeat ; tum in propriis juribus defendendis , ne dum minimum curet , quod est majus et substantiale deserat, ac pessumdet ; — 5. ut de nullo sinistre loquatur, sed omnibus bene velit, omnes sine ulla acceptione divites, ac pauperes paterne audiat, patienter sustineat ; — 6. ut continuo recordetur consectaria eorum, quae agit ; etenim neque bonus, neque malus Parochus, cum ex hac vita

---

1) Hinc ob victoriam, vel adventum magni principis est licitum laborare, ut perficiantur ignes, vestes etc., si pridie perfici nequiverint.

2) Aliqui pro materia gravi ponunt unam horam, alii duas, alii tres ; at probabilius cum Lig. duae horae materiam gravem constituunt. An autem peccet graviter, qui die festo mandat multis famulis, ut laborent per hoc tempus, quaestio : sed probabilius peccat leviter, quia opera famulorum non coalescunt in unum, et dominus non potest magis peccare quam famuli, qui singuli tantum leviter peccant.

decedat, totus moritur; sed ejusdem opera quasi viva quaedam semina in novos semper multiplicatosque fructus conscendunt.

Quoad residentiam. En quid statuit novus codex in canone 465.

§ 1.° Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam, loci tamen Ordinarius potest justa de causa permittere ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet, ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat.

§ 2.° Eidem abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos, nisi gravis causa, judicio ipsius Ordinarii, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat.

§ 3.° Dies quibus parochus piis exercitiis vacat non computantur, semel in anno, in duobus vacationum mensibus.

§ 4.° Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum, quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet.

§ 5.° Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, et indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, ejusque stet mandatis.

§ 6.° Etiam pro tempore brevioris absentiae parochus debet fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adjuncta postulent 1).

---

1) Haec autem parochorum residendi obligatio non cessat tempore pestis, atque morbi cholerae. Cum enim aetate Gregorii XIII nonnulli docuissent parochos tempore pestis excusari a residentia, tum quia sani parochum fugerent, tum quia parochi omnes morerentur, facta hujus doctrinae relatione ad Pontificem, ipse decrevit: *Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis ecclesiis, et si non residerint, contra eos procedendum servata forma Tridentini.* Quae verba, uti notat Bened. XIV, in formali residentia, nempe utili, sunt accipienda, adeo ut si deficiant, et graviter peccent, ad restitutionem teneantur, cum deficiant in proprio officio, et tempore magis momentoso.

Quamvis aliqui censeant, parochos ad residentiam obligari dumtaxat jure ecclesiastico, nos dicimus cum communi parochos obligari etiam de jure naturali et divino. Nam si praecepto divino pastores suas oves agnoscere debent, non possent eas agnoscere, si non essent in medio eorum.

Parochus excusari poterit, saltem a mortali, si inconsulto episcopo, discedat per modicum tempus, v. g. per unam hebdomadam; si vero abest sine causa per 15. vel 20 dies, censent Doctores peccare graviter, et teneri ad restitutionem.

Praeterea statuit in canone 339 § 1.° Parochus. omni exiguitatis reditiuum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis, aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, tenetur Missam pro populo sibi commisso applicare.

§ 2.° Parochus qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat, aut, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare. Can. 466 et seqq.

§ 3.° Ordinarius loci justa de causa permittere potest ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua jure adstringitur.

§ 4.° Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adjuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.

§ 5.° Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem, qui ejus vices gerat in paroecia. Cam. 466.

Quod si parochus infirmetur, tenetur per alium praedictis diebus applicare Missam pro populo, quia uti eruitur ex textu haec obligatio parochi est non tantum personalis. sed etiam realis et localis.

In can. 467 dicitur: § 1.° Debet parochus officia divina celebrare, administrare sacramenta fidelibus, quoties legitime petant, suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere, pauperes ac miseros paterna charitate complecti; maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione.

§ 2.° Monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant, ibique divinis officiis intersint, et verbum Dei audiant 1).

In can. 468. § 1.° Sedula cura et effusa charitate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adjuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando.

§ 2.° Parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria in ar-

---

Ceterum, qui non residet, si alia munia impleat, probabiliter, ait Barbosa cum communi, non tenetur ad integram fructuum restitutionem. Nam fructus non dantur pro solo residentiae onere, sed etiam ob alia, nempe ob Horas, Missam etc. Unde videtur juri naturae consentaneum, quod qui duplici onere gravatus est, non debeat privari mercede utrique assignata, eo quod unum omisit, si tamen aliud adimplevit. Neque N. Codex clare contrarium expressit, unde est benigna interpretatione intelligendum.

1) Graviter ergo peccant parochi, qui per tempus notabile se abstinent a praedicatione. Tempus vero notabile a multis habetur, si per integrum continuumque mensem praedicatio deseratur, aut per tres menses non continuos, seu in anno divisos. Ita S. Lig. III. 269.

ticulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat.

Insuper in canone 2147 statuit quoad remotionem parochorum inamovibilium.

§ 1. Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.

§ 2. Hae causae sunt praesertim quae sequuntur :

1.° Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si, judicio Ordinarii, per vicarium adjutorem bono animarum provideri nequeat.

2.° Odium plebis, quamvis injustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat, nec brevi cessaturum praevideatur.

3.° Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi, sive ex antiquo ejus crimine quod nuper detectum eximatur jam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarium et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

4.° Probabile crimen occultum, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem.

5.° Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat, sive auferendo administrationem parocho, sive alio modo, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

Ad haec superius dicta adde quod idem codex statuit in canone 459

§ 1. Loci ordinarius, graviter onerata ejus conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi, quam magis idoneum ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione.

§ 2. In hoc judicio ratio haberi debet non solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum, quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur.

§ 3. Quare loci Ordinarius.

1. Ne omittat documenta, si qua sint ex Curiae tabulario desumere quae clericum nominandum respiciunt, et notitias secretas quoque, si opportune judicaverit, prudenter exquirere etiam ex locis extra dioecesim.

2. Prae oculis habeat praescriptum can. 130 § 2 : quod sic se habet : « In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt ».

3. Clericum examini super doctrina coram se et examinatoribus synodalibus subjiciat, a quo, de consensu eorundem examinatorum, po-

test dispensare, si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato.

§ 4. In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam const. Benedicti XIV Cum illud 14 Dec. 1742, sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit.

Quaesitum fuit Cong. Officii. An requiratur concursus vel saltem examen in parochorum translatione de qua in canone 2162 Codicis juris Canonici ? Responsum fuit : Negative *ad utrumque*. Die 21 junii 1919.

De V. Praecepto.

Prohibetur in hoc Praecepto odium, detractio, homicidium, et alia delicta contra proximum, de quibus disputatum superius est in Tract. *de peccatis*.

De VI. et IX. Praecepto.

In VI. Praecepto primario prohibetur adulterium, deinde quaevis fornicatio, et externae libidinis actus. In IX. prohibetur etiam eorum desiderium, vel morosa delectatio, de quibus superius in Tract. *de peccatis*.

De VII. et X. Praecepto.

In VII. Praecepto prohibetur omne furtum, et omnis injustitia, de quibus superius in Tract. *de restit.* ; horum desiderium prohibetur in X.

De VIII. Praecepto.

In hoc Praecepto prohibetur omne falsum testimonium, et mendacium, de quo superius in Tract. *de peccatis*.

Quia ad rationem hujus Praecepti pertinet etiam, ut judicia juste exerceantur, ideo pauca dicenda de judice, de juratis, de accusatore, de denuntiatore, de testibus, de advocato, de procuratore, et de reo.

I. Ad legitimum judicium tria requiruntur : 1. jurisdictio, sine qua sententia est nulla ; 2. rectus processus, v. g. ut citetur reus, et audiatur ; 3. recta intentio, ut scilicet procedatur ex intentione justitiae. Praeter haec tria judex debet habere debitam scientiam, tenetur causas recte judicare, et celeriter expedire ; secus peccat, et tenetur ad damna, si adsint. Non potest pro lubitu poenam minuere vel augere. Debet judicare non secundum privatam suam scientiam, sed juxta allegata et probata ; excipe cum Ligorio, si agatur de poena capitali in eum, quem private certo scit

esse innocentem, et juridice constat esse nocentem. — Judex potest etiam sine ulla data occasione instituere inquisitionem generalem, in qua tamen ejus potestas non extenditur ad occulta scienda, de quibus nulla est fama. Quando crimen est manifestum, et ignoratur auctor, licet judici quaerere in genere quis fecerit ; non tamen in particulari, v. g. an *Petrus* fecerit, nisi infamia aliqua vel indicia praecesserint, ut judex faciat inquisitionem specialem, debet praecedere infamia, vel quid aequipollens, quod justam det causam.

2. *Jurati*, sic dicti ob juramentum, quod praestant da munere sibi credito recte exercendo, sunt viri electi ex civium primoribus ad partem aliquam judicum propriam obeundam. Adhibentur tantummodo in causis criminalibus, et munus eorum est pronuntiare circa existentiam facti et culpabilitatem accusati ; deinde vero judices poenam juxta legem decernunt. Institutio Juratorum, ab Anglis sumpta, creata fuit in gratiam reorum, ut a viris gravibus sorte designatis factum examinaretur, nullo affectu maligno erga accusatum, utpote plerumque sibi plane ignotum, adeoque ut illud factum certius cognosceretur.

Jurati desumuntur ex civibus notabilibus lege determinatis. Corpus Juratorum (de Jury) constat duodecim civibus pro singulis judicandis.

Jurati, qui sorte ad sessionem Curiae dictae *d' Assises* designantur, easdem contrahunt obligationes ac ipsi judices, quorum magna ex parte munus exercent, et proinde de Juratis, sicut de ipsis judicibus, generatim dicendum est.

Utrum *Juratus* dare possit votum contra accusatum juridice quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit, an non ? Respondendum est *negative*. Ratio est, quia hoc videtur contra mentem legis. Jurati enim pronuntiare debent tantum circa factum, ac juxta intimam convictionem, quam de ejus existentia habent, nec ullo modo tenentur reddere rationem legalem sententiae suae. Imo ex ipsa lege sententiam suam nec tenentur fundare ex tali numero testium, nec ex his vel istis rationibus a variis partibus in medium adductis, etc. Ergo votum dare debent tantum juxta id, quod in foro conscientiae sentiunt. Itaque spectato munere, quod Juratis imponitur, facile patet, minime circa eos habere controversias illas, quae de judicibus agitantur.

3. Circa accusatorem, et denuntiatorem praenotandum aliam esse *accusationem*, aliam *denuntiationem juridicam*, aliam *denuntiationem evangelicam*, sive *paternam*. *Accusatio* est illa, quae fit superiori, tamquam judici ut reus puniatur cum obligatione probandi delictum, et poenam incurrendi, nisi probetur. *Denuntiatio juridica* est illa, quae fit superiori tamquam judici, sine tamen obligatione probandi delictum. *Denuntiatio evangelica* est, quae fit superiori tamquam patri.

Ad accusationem tenemur, quando id exigat bonum commune, vel nostrum, vel alicujus innocentis, et in hoc ultimo casu, dummodo non adsit nostrum grave incommodum.

Ad denuntiationem juridicam non tenemur, quando delinquens est emendatus ; vel quando cogeremur probare, et probare non possumus, vel quando immineat grave periculum honoris, vitae, vel rerum nostrarum.

Denuntiationem evangelicam quisque potest facere superiori, omissa etiam secreta correctione fraterna, si spes adest, quod hoc modo delinquens emendetur.

4. Testes tenentur aperire veritatem, quando sunt legitime interrogati.

Tunc judex legitime interrogat, quando adest semiplena probatio, puta unus testis de visu, vel de proprio auditu (in judicio enim saltem duo testes requiruntur) ; vel si adest notorietas delicti, vel indicia evidentia. Non tenentur vero, etiamsi legitime interrogati, quando rem sciant sub secreto naturali vel commisso : quando violari non liceat, prout dictum est in Tract. *de pecc.* de secreti manifestatione ; vel quando sibi vel suis immineat notabile damnum, nisi damnum communem vel privatum alienum praevalet ; vel quando factum sciant per injuriam, v. g. litteras aperiendo, vel alium cogendo ad revelationem ; vel quando qui in judicio accusatur, non est reus propter ignorantiam inculpabilem ; vel alia ex causa, cum mens judicis sit inquirere de delicto.

Testis legitime interrogatus, si falsum dicit in damnum tertii, peccat contra justitiam commutativam positive se habendo. Si vero negative, nempe veritatem celando dicens *se nihil scire*, peccat contra justitiam legalem non aperiendo veritatem judici legitime interroganti, contra charitatem non impediendo damnum proximi, et contra religionem, si adest juramentum, non vero contra justitiam commutativam, uti sentiunt multi Doctores apud Ligorium.

5. Advocati officium exercere non possunt religiosi, nisi utilitas monasterii id exigat : sicut nec etiam clerici in sacris, vel in minoribus sed beneficiati, excipe in causa propria, vel consaguineorum suorum, vel pauperum ; clerici in minoribus sine beneficio possunt advocare in quocumque foro ; excipe, si agatur de defendendo actore in causis criminalibus.

Potest advocatus suscipere causam dubiam (nunquam vero injustam) admonendo clientem de statu causae. Tametsi defendendo causam justam nunquam potest producere scripturas falsas, vel falsos testes. Potest in causa criminali defendere reum, quia reus non tenetur ad poenam, nisi convictus. Non potest cum cliente convenire de pretio post inchoatam litem, sed hoc potest vel ante coeptam. vel post finitam litem.

Procurator dicitur ille, qui in litis defensione adjutor est advocati pro patrocinio clientis. Tabellio vel scriba dicitur, qui efformat acta. Hi

omnes debent habere congruentem peritiam, et servare fidelitatem in suo munere: alias peccant contra justitiam.

6. Reus, quando legitime interrogatur, debet aperire veritatem, idcirco judex tenetur reo manifestare statum causae, et quae sint indicia quomodo probetur delictum, ut reo constet, quod interrogatur legitime, alioquin non tenebitur respondere. Reus interrogatus legitime tenetur manifestare complices, quando hoc exigit bonum commune, vel quando contra eos adest semiplena probatio. Reus ad gravem poenam evitandam si effugiat e carcere, non peccat: resistere autem justitiae eisque ministris, ut poenam effugiat, non licet.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Plurima sunt praecepta Ecclesiae, praecipue tamen toti christiano populo communia quinque numerantur; nempe 1. sanctificatio festorum, quae ab Ecclesia sunt instituta; 2. missae auditio singulis festis diebus; 3. observantia jejuniorum, et abstinentia a quibusdam cibis in singulis feriis sextis; 4. sacramenti Poenitentiae receptio semel in anno; 5. refectio Eucharistiae in Paschate.

De primo et secundo Praecepto consule, quae dicta sunt in III. Decalogi praecepto.

De III. Ecclesiae Praecepto, seu de jejunio.

Jejunium praecipue dividitur in naturale, et ecclesiasticum. Naturale est abstinentia ab omni cibo ac potu, de quo in Eucharistia. Jejunium ecclesiasticum consistit in *abstinentia* et *jejunio*. Quod heic refertur, est juxta novum codicem.

Lex abstinentiae vetat statutis diebus carne jureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe cujusvis animalis. Lex jejunii praescribit, ut statutis diebus unica per diem comestio fiat, sed non vetatur aliquid cibi mane et vespere sumi 1) servata

---

1) Unica refectio, uti eruitur ex supra dicto, non excludit coenulam serotinam, in qua octo unciae communiter permittuntur; potest tamen duplicari in vigilia Nativitatis D. N. J. C. ratione solemnitatis, nunquam vero id licet, si in meridie coenula anticipetur. In coenula serotina, qui ad jejunium tenentur non possunt uti ovis et lacticiniis, licet possint uti quovis adipe, butyro et margarina ad modum condimenti, vi decreti S. Officii die 7 sept. 1906.—Pariter unica refectio non excludit usum vini, vel alterius potionis ad sitim sedandam, nec moderatum usum electuariorum ad digestionem juvandam, ad conservandam vocem, nisi forte in fraudem in magna quantitate assumantur per modum cibi. Potiones sorbeti aquae mixtae cum saccharo etc. non frangunt jejunium, quando sunt in parva quantitate materiae commixtae :— Insuper unica re-

tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare. - Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint. — Lege jejunii adstringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum. — Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis 1). — Lex abstinentiae simul et jejunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis quatuor temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in coelum receptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. — Lex solius jejunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus. — Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et jejunii, vel jejunii tantum cessat,

fectio non interrumpitur, si finito prandio aliud quis manducet post tertiam horae partem, quin imo si in prandio aliquod negotium occurrat, prandium ipsum nec etiam per horae spatium interrumpitur.—Qui praeter unicam refectionem comedit cibos permissos in die jejunii, peccat tantum, quando pro prima vice notabiliter comedit, nam in hoc casu jam destructa est essentia praecepti; at hoc verbum *notabiliter* intelligendum est, quando exceduntur duae unciae, in quibus DD. communiter reponunt materiam parvam fractionis hujus praecepti. Secus autem dicendum est de illo, qui comedit cibos prohibitos in die jejunii; nam iste peccat toties, quoties comedit, quia praeceptum in hac parte semper durat. — At qui inculpabiliter bis comedit in die, tenetur a tertia refectione se abstinere, ne jejunium etiam formaliter laedat, quod si non potest se abstinere, tunc per impotentiam excusatur a lege Ecclesiae, S. Lig. — In fractione vero abstinentiae quaenam dici debeat materia parva, non conveniunt DD. Si sermo est de carnibus, nonnulli dicunt esse medietatem unciae, alii quartam, alii octavam unciae partem. Si vero sermo est de ovis et lacticiniis, benignior sententia est admittenda, et fere omnes conveniunt parvam materiam esse tertiam unciae partem. Si denique sermo est de chocolate, dicit S. Alphonsus esse materiam parvam immittere unciam cum dimidia chocolatis in cyathis ordinariis; sic enim, ex more ab Ecclesia tolerato et a piis fidelibus servato, communiter fieri solet. S. Alph. III, 1023.

Hora statuta tempore jejunii est circa meridiem. Notabiliter hoc tempus anticipare sine causa, secundum aliquos est mortale, secundum alios est veniale; anticipare autem coenulam serotinam notabiliter ante meridiem, remittendo prandium ad horam serotinam sine ulla causa non est nisi veniale. Ex S. Poenitentiaria die 19 Jan. 1834.

Ex Constit. *Non ambigimus*, Bened. XIV, in diebus jejunii ut quis dispensetur ad carnes, requiritur consilium utriusque medici corporalis nempe, et spiritualis. Medici spiritualis nomine intelligitur Parochus, vel etiam confessarius, uti declaravit S. Poenitentiaria 27 Maji 1873. In aliis vero diebus prohibitis, nulla stante obligatione jejunii, cum justa causa potest Episcopus dispensare, quin opus sit medici consilio. Sed. D. Thomas advertit, quod si causa est evidens, per se potest quisque licite edere carnes, quia impotentia excusat a lege Ecclesiae; si vero est dubia, debet adire Superiorem.

1) Excipitur Nativitas Domini, si in feria sexta contingat ex cap. *Expli cari* 3 de observantia jejuniorum.

excepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur ; item cessat Sabbato Sancto post meridiem. Can. 1252-53.

Causae quae excusant a jejunio sunt dispensatio 1) ; impotentia 2) ; labor 3) ; pietas 4).

De IV. et V. Ecclesiae Praecepto.

Praeceptum recipiendi SS. Eucharistiam, et Confessionem est divinum quoad substantiam, et ecclesiasticum quoad temporis determinationem.

Ad SS. Eucharistiam recipiendam de jure divino tenemur pluries in vita, et in probabili periculo mortis. De jure ecclesiastico tenemur semel in anno, tempore paschali. En textus novi codicis juris canonici can. 859. § 1.° Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum pervenerit debet semel in anno, saltem in paschate, Eucharistiae Sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. — § 2. Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in albis, sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adjuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum sanctissimae Trinitatis — 3. Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia ; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium

---

1) Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus justaque de causa, possunt subjectos sibi singulos fideles, singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum, itemque de observantia jejunii vel etiam utriusque dispensare. Can. 1245 — Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, possunt totam quoque dioecesim seu locum a jejunio et abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare. Ita novus cod. can. 1245.

2) Hinc qui nondum compleverunt annum XXI, vel sexagesimum annum inceperunt, infirmi, convalescentes, mulieres praegnantes vel lactantes, pauperes, qai non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat, et alii, qui jejunium servare non possunt sine gravi incommodo, ab eo excusantur.

3) Hinc agricolae, fabri, et alii, qui exercent laborem incompatibilem cum jejunio, excusantur: sed hic notandae sunt duae propositiones damnatae ab. Alexandro II. *Prima est* : Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit incompatibilis cum jejunio. *Secunda est.* Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

4) Hinc inservientes infirmis, et alii, qui jeiunando non possunt exercere opera pietatis et charitatis, excusantur.

parochum de adimpleto praecepto certiorem facere — 4. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore quavis de causa, non impleverit.

Can. 861. Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem.

Can. 864. 1. In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacro communionis recipiendae praecepto tenentur. — 2. Etiamsi eadem die Sacra communione fuerint refecti, valde suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent. — 3. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet.

Sacerdos si celebrat, ubique satisfacit.

Requiritur ad hoc praeceptum implendum aetas discretionis, uti eruitur ex textu. Aetas discretionis tum ad confessionem, tum ad communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis, uti eruitur ex textu N. Codicis.

Praeceptum confessionis quoad substantiam, superius dixi, est divinum 1) quoad determinationem est ecclesiasticum. En textus novi codicis can. 906. « Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri. »

---

1) « Conc. Trid. sess. XIV can. 6 definivit : *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino... anathema sit.*

Ad animi instructionem haec sequentia referre juvat.

In novo codice, in canone 931 dicitur :

§ 1.° Ad quaslibet indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies, qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit affixa ; communio autem in pervigilio ejusdem diei : utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam.

§ 2.° Pariter ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam etc. ductis concessas, confessio et communio fieri etiam potest intra octavam, quae immediate sequitur exercitium expletum.

§ 3.° Christifideles, qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive jubilaei ordinarii et extraordinarii, sive ad instar jubilaei.

In can. 468 § 2 dicitur : Parocho aliive sacerdoti, qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat.

Utrum qui sola habet venialia ad praeceptum istud teneatur, quaestio est. Nonnulli affirmant, quia textus ait : *teneri omnia peccata sua confiteri* absque ulla distinctione. Alii communius et verius negant, quia Ecclesia praecipiendo confessionem annuam tantum illam confessionem praecipit, quae est debita ex Christi institutione : Christus autem nullam aliam praecipit confessionem nisi mortalium , ut explicat Trid. sess. XIV : ergo qui solum habet venialia ad praeceptum istud non tenetur.

TRACTATUS DE MONIALIBUS

DEPROMPTUS

EX DOCTRINIS D. ALPHONSI DE LIGORIO,

ET ALIORUM THEOLOGORUM.

De statu religioso, de professione, et de dote

Q. *Quomodo definitur hic status ?*

R. Status fidelium ad perfectionem tendentium, editis votis paupertatis, castitatis, et obedientiae in stabili et communi modo vivendi, ab Ecclesia approbatus 1).

Q. *Quid est professio religiosa ?*

R. Est solemnis emissio trium votorum in manu Superioris, in religione approbata 2).

---

1) Ad statum religiosum est de essentia approbatio Ecclesiae, quae fieri debet a Papa, uti statuit Conc. Later. sub. Innoc. III.

Utrum sint de essentia vota solemnia, vel sufficiant etiam vota simplicia, quaestio. In societate Jesu tamen certum est, esse veros religiosos, ut declaravit Greg. XIII, eos, qui post biennium probationis emittunt vota simplicia: sed sciendum, quod hujusmodi votum castitatis, licet sit simplex, est impedimentum dirimens ex privilegio, donec manserint in religione.

Adverte. Votum solemne specie idem est ac simplex ; solemne tamen ex ecclesiae instituto differt quod ad aliquos effectus. Votum simplex castitatis impedit matrimonium, solemne dirimit : votum solemne paupertatis privat voventem omni dominio, non ita votum simplex. Insuper vota solemnia rarius et difficilius solvuntur a Papa, non sic vota simplicia.

2) Haec dicitur professio expressa. Olim aderat etiam professio tacita, quae ab Ecclesia erat recognita, quoties verificabatur, quod Bened. XIV, in hac re tradidit : Sed haec professio tacita a Pio PP. IX. fuit penitus abrogata. En declaratio S. C. Episcop. et Reg. 12 junii 1858 n.° XI. «*Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est* ». — Pius IX per encyclicam *Neminem latet*, die 18

Q. *Quaenam requiruntur ad validitatem professionis?*

R. Praeter vocationem divinam, quae semper in omni statu requiritur, ut professio sit valida, exigitur : 1. aptitudo voventis 1); 2. consensus Praelati et capituli, saltem majoris partis ; 3. ut professio sit libera ab omni metu gravi 2).

Q. *Si professio fuit nulla, obligatne uti votum simplex?*

R. Si fuit nulla defectu aetatis vel anni probationis, minime ex Trid. Idem dicendum, si nulla ob metum gravem. Si vero ob alias causas, quaestio 3).

Q. *Renuntiatio a novitia bonorum suorum quomodo fieri debet, et quando habet suos effectus juxta Trident.?*

R. Fieri debet cum licentia Episcopi, et intra duos menses proximos professioni, ut habeat suum effectum,secuta professione ; secus est nulla, licet jurata.

Q. *Estne solvenda dos in professione.*

R. Maxime : ex variis Decretis S. C. 4).

Martii 1857 statuit Regulares teneri emittere vota simplicia per triennium duratura ante solemnem professionem:; quod Leo XIII per decretum *Perpensis temporum.* S. Cong.is EE. et RR. die 3 Maji 1902 extendit etiam ad Moniales votorum solemnium. — Quod confirmatum est a Novo codice; en textus. § 1.º In quolibet ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione, quae vota perpetua habeat, novitius post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemittere votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones. § 2.º Hoc tempus legitimus Superior potest, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium. Can. 574.

1) « Ad hanc conditionem pertinet, ut puella: 1. habeat 16 annos completos ; 2. expleverit annum probationis cum habitu religioso ; 3. nullum habeat impedimentum, quod per statuta pontificia sit fortasse substantiale in aliquo ordine.

2) Ideo Episcopus etiam in monasteriis exemptis, explorare debet voluntatem puellae.

Injuste impedientes vel cogentes puellam ad professionem emittendam incidunt in excomm. nemini reservatam ex novo codice. Can. 2352.

3) Ex Trid conceditur quinquennium ad reclamandum de nullitate professionis.

4) Dos taxanda est ab Episcopo cum intelligentia monasterii. Non possunt eam alienare moniales, sed impendenda est in emptione alicujus fundi frugiferi. Translata moniali ex uno in aliud monasterium, non est huic secundo transferenda dos priori tradita ; excipe si secundum monasterium cogatur admittere monialem.

Moniales non possunt pro suo arbitrio admittere choristam sine dote

De voto paupertatis.

A. *Ad quid tenetur monialis ex hoc voto?*

R. Ad nullam habendam proprietatem bonorum temporalium sive immobilium, sive etiam mobilium; horum tamen usu, cum debita Superioris licentia, non privatur.

Q. *Quibus modis potest monialis violare hoc votum?*

R. His modis potest votum violare: vel male acquirendo 1); vel male possidendo 2); vel male utendo 3).

Q. *Estne licitum moniali habere peculium, livellum, aut vitalitium?*

R. Maxime: ex recepta consuetudine, sed his conditionibus: 1. ut habeat illud dependenter a voluntate Superioris; 2. ut sit parata illud con-

---

1) Male acquirit monialis, si suscipit bona monasterii, et quidem graviter peccat, si suscipit in quantitate, quae sit notabilis, spectatis circumstantiis, judicio viri prudentis; etiamsi hoc faciat per plura furtula, quae coalescant. Et si damnum attulit monasterio, teneretur ad restitutionem, si posset, ex suo livello.

Male acquirit etiam, si aliquid accipit ab aliis, etiam titulo mutui, sine debita licentia expressa vel tacita, vel saltem prudenter praesumpta: *Ad agendum enim contra votum requiritur, quod religiosus agat nomine proprio et independenter a voluntate superioris. Non autem agit nomine proprio et independenter, qui accipit ex consensu praelati prudenter interpretato, quia tunc vere cum dependentia agit.* Verba sunt D. Lig. IV, 18.

Si vero accipit aliquam rem ad custodiendam dumtaxat, non peccat contra paupertatem, quia ipsa nihil accipit.

2) Nempe, vel quando sine licentia detinet aliquid pretio aestimabile; vel etiam cum licentia, sed cum tali affectu, ac si esset suae proprietatis; vel quando habet, bona mobilia superflua, etiam permittente Superiore, qui hanc licentiam ex Trid. dare non potest.

3) Male utitur, si rebus sibi ad usum concessis utitur ad usum illicitum; vel quando eas culpabiliter destruit, aut amittit; vel quando eas sine debita licentia alienat.

Adverte: si moniali certa quantitas assignata est a monasterio, et nec monasterium tenetur ei aliud praestare, nec ipsa reddere rationem, potest parcius vivendo aliquid alicui donare, quia praesumitur consensus Superioris: ita D. Ligor... Magis hoc potest, si det suis consanguineis pauperibus. Consule de Alexandris, app. ad c. IV. Si enim potest ex licentia praesumpta facere moderatas eleemosynas extraneis, multo magis hoc potest erga consanguineos pauperes.

Adverte etiam: si monialis violat votum paupertatis habendo vel retinendo aliquid nomine proprio, incidit in privationem vocis activae, et passivae per biennium ipso facto ex Trid, et in privationem ecclesiasticae sepulturae. Si vero violat donando aliquid notabile donatione prorsus gratuita, et sine Superioris licentia, incidit in privationem dignitatum et officiorum, et in privationem vocis activae et passivae; recipientes denique haec dona incidunt in casum Papae reservatum, uti dictum est in *Tract. poenit.*

signare ad nutum Superioris ; 3. ut eo utatur cum debita licentia ad usus necessarios vel utiles ; 4. ut sit moderatum ; 5. ut conservetur penes aerarium commune 1).

Q. *Quam quantitatem expendendam potest abbatissa concedere moniali ?*

R. Varii varia dicunt. Haec quantitas definienda videtur judicio viri prudentis, spectatis circumstantiis.

De voto obedientiae.

Q. *Ad quid tenetur monialis ex hoc voto ?*

R. Tenetur ad observanda praecepta regulae, et ad ea, quae Superiores praecipiunt secundum regulam 2). Superiores, quibus monialis subjicitur ex voto, sunt Papa, Ordinarius, Abbatissa.

Q. *Tenenturne moniales obedire praelato, si ab eo obligentur ad observantiam regulae juxta pristinum institutum, quae jam ex longaeva consuetudine relaxata erat ?*

R. Si haec reformatio est necessaria ad ordinis conservationem, et ad vota essentialia observanda, in hoc casu non adest quaestio inter Doctores, quod teneantur.

Q. *Abbatissa potestne dispensare in regulis ?*

R. Non potest, nisi ex commissione Superioris, quae praesumitur ei facta statim, ac fuit electa abbatissa. Ligor. VI. 61. Ex potestate dominativa potest etiam vota simplicia suarum irritare.

De voto castitatis et de clausura.

Q. *Ad quid tenetur monialis ex hoc voto ?*

R. Ad se abstinendam ab omni voluntaria delectatione venerea interna et externa. Hinc quomodocumque violat castitatem cogitatione, locutione, vel opere, peccat non solum peccato luxuriae, sed etiam sacrilegii.

Q. *De quo jure servanda est clausura ?*

1) Adverte : 1. monialis non potest cedere fructum sui livelli suis consanguineis, nisi de licentia S. Congr. ; 2. monialis non potest pecuniam sui livelli tradere monasterio cum pacto, ut monasterium solvat, vita sua durante, aliquam pensionem, ita ex. Decr. S. C.

2) Hinc si Superior aliquid praecipit vel supra, vel praeter, vel contra regulam, non tenetur monialis exequi ex voto. Quando vero praecipit juxta regulam, non obediens, committit duo peccata, unum contra votum, aliud contra virtutem obedientiae ; alii vero dicunt unum solum esse peccatum.

Adverte, quod si Superior praecipiat in *virtute S. Obedientiae*, vel *in nomine D. N. J. C.*, tenetur religiosa sub gravi ; sub veniali autem, vel sub nullo etiam quandoque, si alia forma utatur, Lig. IV, 38.

R. De jure ecclesiastico. Eam violare est grave peccatum ; instituta est enim ad custodiam castitatis 1).

Q. *Adsunt casus, in quibus licitum est monialibus e claustro exire ?*

R. S. Pius V. exprimit tres casus : nempe incendii, epidemiae, et leprae. Communissime autem Doctores et consuetudo hanc facultatem extendunt ad casus consimiles ; v. g. si adest inundatio fluminis, invasio militum, periculum ruinae monasterii etc. In his urgentibus casibus licitum est monialibus egredi e claustro cum licentia Episcopi, si monasterium subjectum est Episcopo ; si subjectum est Regularibus, cum licentia Superioris, et Episcopi etiam, si talis est consuetudo. Ligor. VII. 224 2). Extra hos casus requiritur licentia Pontificis.

Q. *Cum clausura monialium violari possit, quaenam sunt poenae contra eam violantes ?*

R. Ex Novo Cod. Can. 2342. Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata clausuram monialium violantes cujuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo eosve introducendo vel admittendo ; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum 3).

---

1) Clausura est illud spatium, intra quod extraneis ingredi non licet et extra quod moniales egredi non possunt. Hinc si monialis exit e confinibus clausurae, licet per breve spatium, quale esset spatium unius pedis, violat clausuram ; dummodo tamen toto corpore exeat. Si vero in ostio clausurae sistens unum pedem efferat extra clausuram, altero intra retento, non incidit in crimen violatae clausurae, quia non exit a clausura toto corpore. Si vero ascendit super tectum monasterii, distinguendum est ; si murus clausurae supergreditur tectum, non violat clausuram ; secus violat.

2) Si tamen periculum graviter urgeat et periculum sit in mora, non peccant, si exeunt sine licentia quae tunc praesumitur : quia in hoc urgenti discrimine praevalet jus naturae. Vide Ligor. Statim cessata causa legitimi egressus, in monasterium regredi tenentur.

3) Hic adverte : 1. Episcopi causa S. Visitationis vel alterius causa necessitatis ingredientes clausuram, secum ducere possunt paucas personas, puta quatuor vel quinque seniores et probatas. Superior regularis, si est generalis, potest secum ducere duos religiosos probatos ; si alius a generali, unum, et insuper debent assistere quatuor moniales ex senioribus. — II. Confessarius potest cum licentia ingredi ad ministranda sacramenta infirmis, et ad commendandam animam. — III. Medici cum licentia possunt ingredi, stante causa — IV. Aliae personae, stante licentia particulari, possunt ingredi — V. Finito negotio, qui cum licentia ingressus est clausuram, debet egredi ; secus peccat graviter, si per tempus notabile commoratur (quadrans horae non reputatur tempus notabile) in excomm. vero non incidit, quia ingressus est non violando clausuram. — VI. Ad licentiam concedendam ab Episcopo, vel a Praelato regulari, ut quis ingrediatur clausuram, requiritur necessitas vel utilitas monasterii, et ut *sit in scriptis*. — VII. Pueris et puellis ante septennium, et perpetuo amentibus nunquam permittendus est ingressus in clau-

Q. *Quaenam sunt poenae contra violantes clausuram regularium?*

R. Ex novo cod. Can. 2342. Adest excom. simpliciter S. Sedi reservata, in quam incidunt mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliique, quicumque ii sint, eas cujuscumque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes, priventur officio, si quod habeant, et voce activa et passiva.

De aliis monialium obligationibus.

Q. *Quaenam sunt istae?*

R. Tenentur; 1. tendere ad perfectionem 1); 2. horas canonicas recitare 2); 3. frequentare sacramenta saltem singulis mensibus ex consilio, uti habetur ex Trident.; 4. ferre habitum religionis 3).

De velo.

Q. *Quotuplex est velum, quod dari solet monialibus?*

R. Triplex: nempe velum probationis, quod datur novitiis, velum professionis, quod datur professis, et velum consecrationis 4).

Q. *Quaenam requiruntur, ut monialis licite accipiat velum consecrationis?*

---

suram ex decretis C. C.; secus peccant, qui admittunt et introducunt, et incidunt in excomm. simpliciter Papae reser. ex Novo Codice Can. 2342.

1) Non tenetur monialis esse perfecta, sed tendere ad perfectionem, seu aspirare ad illam assequendam per observantiam regulae et trium votorum Haec est obligatio gravis, contra quam graviter peccaret, si regulas, etiam ad culpam non obligantes, transgrederetur ex contemptu formali, vel quia vanas et inutiles reputaret, vel quando eas non servando grave scandalum communitati praeberet. Religiosa vero statuens servare tantum mandata, quae obligant sub gravi et non servare illa, quae obligant sub levi, communius et probabilius excusatur a culpa gravi; quia volens servare ea, quae respectu aliorum sunt mera consilia, respectu sui sunt praecepta, jam tendit ad perfectionem. Lig. IV. 11.

2) Choristae ex consuetudine sub gravi tenentur in choro persolvere horas canonicas, et quae choro ex legitima causa non intersunt, privatim recitare debent horas canonicas; non vero alia officia, quae quandoque recitari solent pro benefactoribus, vel ex devotione in choro, ista enim obligant chorum tantum.

Non choristae tenentur recitare aliquas preces ex regula, quae non solet obligare sub gravi.

3) Monialis deponens habitum, si hoc facit temere, et ad occultandum suum statum, peccat graviter, sed in nullam poenam incidit.

4) Antiquitus dabatur velum ordinationis monialibus diaconissis, velum praelationis abbatissis, velum continentiae viduis professis.

R. Ut sit professa ; ut non sit ex ordine mendicantium ; ut expleverit annum 25 ; et ut sit virgo 1).

Q. *A quo debet imponi hoc velum ?*

R. Ab Episcopo.

De electione abbatissae.

Q. *Quaenam requiruntur in moniali , ut possit promoveri ad officium abbatissae ?*

R. Non debet esse illegitima, neque vidua, neque coeca, neque surda ; debet habere 40 annos aetatis; et 8 annos professionis ; vel saltem, si talis non adsit in monasterio, 30 annos aetatis et 5 professionis, ex Trident. 2); debet eligi a majori parte capituli per vota secreta, et non ultra triennium ; secus electio est nulla 3).

Q. *A quibus est eligenda et confirmanda abbatissa ?*

R. De jure communi electio abbatissae pertinet ad moniales choristas professas 4) ; confirmatio ad Superiorem 5).

De educandis, et novitiis.

Q. *Possuntne libere recipi puellae pro educatione ?*

R. Minime : sed tantum in illis monasteriis, ubi adsit haec consuetudo et praevia licentia S. Cong.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ?*

R. Variae : ut expleverint annum septimum, et non sint majores 25 annis ; ut adsit consensus Superioris, et monialium per secreta suffragia ; ut habeant locum separatum a monialibus tam pro laboribus

1) Si aliquando pollutionem voluntariam commisit, sed non amisit virginitatem, potest velum accipere. Potest etiam, si fuit per vim oppressa, et ipsa nullo modo delectationi consensit, dummodo factum sit occultum. Si vero adfuit consensus, non potest sine peccato petere velum, quod si illi offeratur, et sine scandalo vel sui diffamatione recusare non possit, potest accipere.

2) Si nec etiam talis in monasterio, eligenda est alia ex alieno monasterio ejusdem ordinis, vel etiam ex alio ordine, et in hoc casu requiritur assensus S. C.

3) Abbatissa, elapso triennio sui muneris, carere debet per aliud triennium omni officio, quod auctoritatem habeat, ex. Decr. Gregorii XIII.

4) Si aliqua monialis est infirma, ejus votum suscipiendum est vel scriptum (sigillo munitum), vel per duas alias religiosas a Superiore electas.

Si electio ob discordiam non compleatur, non potest Praelatus praesidens dare suum suffragium, sed potest praefigere tempus ad electionem, quo elapso, ipse abbatissam deputabit, ex. Decr. S. C.

5) Superior, qui praeesse debet capitulo, et illud confirmare, est Episcopus ; in monasteriis regularibus subjectis est Superior regularis una cum Episcopo, sed ad Superiorem regularem solum pertinet confirmatio.

Nequit abbatissa exercere suum officium ante confirmationem.

manualibus, quam pro dormitione ; ut habeat quaelibet separatum lectum; et tandem ut recipiatur sola, et sine ancilla.

Q. *Tenenturne ad clausuram ?*

R. Maxime : si vero exeunt sine licentia, non incidunt in excommunicationem.

Q. *Quando sunt dimittendae ?*

R. Si sint energumenae, vel gravidae ; si non solvant alimenta singulis semestribus anticipate, si velint nubere, et jam inita sint sponsalia 1).

Q. *Educanda, si est in periculo vitae, potest condere testamentum ?*

R. Maxime : et Ordinarius debet notario et testibus permittere ingressum in clausuram.

Q. *Quaenam aetas requiritur pro ingressu in novitiatum ?*

R. Saltem 15 annorum. A die susceptionis habitus cum consensu Superioris et monialium in novitiatu computatur annus probationis, qui debet esse integer, et non interruptus 2).

Q. *Cogentes aliquam puellam ad suscipiendum habitum religiosum, in quam poenam incidunt ?*

R. In excomm. nemini reservatam, ex novo codice 2352 3).

De confessariis monialium.

Q. *Indigentne confessarii speciali approbatione ad audiendas earum confessiones ?*

R. Maxime : immo approbatus pro uno monasterio, vel pro una moniali, non censetur approbatus pro alio monasterio, vel pro alia moniali 4).

Q. *Quid de confessariis ordinariis et extraordinariis ?*

R. Episcopi singulis trienniis deputare debent cuique monasterio suum confessarium, qui elapso triennio non potest, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, ultra confessiones excipere, nisi adsit

---

1) Sponsalia nunquam celebrari possunt ad crates monasterii. Abbatissa si permittat, deponitur ab officio, et privatur voce activa et passiva.

2) Hinc si causa infirmitatis novitia exit a monasterio, convalescens debet denuo incipere novitiatum.

Si existens in periculo mortis velit novitia emittere professionem, potest ; verum convalescens debet, completo anno suae probationis, denuo profiteri.

3) En textus : Excom. nemini reservata ipso facto plectuntur omnes qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ineundam, vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam implicem, tam perpetuam quam temporariam.

4) Praelati regulares, generales vel provinciales non indigent approbatione Episcopi pro excipiendis confessionibus monialium, quae sunt sibi subjectae, quia sunt earum ordinarii. Ita Ferraris V. *Approbatio* art. III. n. 15. In supplementis auctoris.

licentia sacrae Cong. Debent etiam Episcopi dare duabus, vel tribus vicibus in quolibet anno confessarium extraordinarium, cui omnibus monialibus adest obligatio se praesentandi, et libera facultas confitendi 1). Possunt Episcopi concedere quoque confessarium extraordinarium alicui moniali particulari.

Q. *Quaenam servanda sunt a confessario ingrediente ad ministranda sacramenta ?*

R. Debent illum comitari duae moniales seniores ; debet ingredi solus, si est sacerdos saecularis ; si regularis, cum socio maturae aetatis et probatae vitae (ut decrevit Alex. VII), qui confessarium semper videat, et ab eo videri possit ; cellae janua debet remanere aperta, ita tamen, ut concomitantes confessarium videant, et confessionem non audiant : absque diverticulo eat, et redeat, nec ad aliam monasterii partem divagetur. In aliquibus locis adest etiam laudabilis consuetudo, ut semper sit indutus, superpelliceo et stola. 2).

APPENDIX I.

De forma celebrationis matrimonii juxta novum codicem juris ecclesiastici

Can. 1094. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntu coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus, qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098-1099.

Can. 1095. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt.

1. A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati.

2. Intra fines dumtaxat sui territorii in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam, non subditorum valide assistunt ;

3. Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

1) Licet haec cauta sunt pro clausuris, Clemens tamen XI. hortatur Episcopos, ut hanc disciplinam servent etiam pro conservatoriis.

2) Ita etiam alia, quae in hoc tractatu exposita sunt circa disciplinam, et obligationes monialium, cum debita proportione, et quantum fieri potest, dicenda videntur vel dicenda desiderantur de oblatis cum votis simplicibus vel etiam sine votis simplicibus in conservatoriis, et de educandis in eis degentibus, sicut et de modo quo se gerere debeat confessarius cum hujusmodi oblatis, et educandis.

§. Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat.

Can. 1096. § 1. Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095 dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt : secus irrita est.

2. Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus, quae jus constituit pro libertate status comprobanda.

Can. 1097. § 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt :

1. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam juris ;

2. Constito insuper de domicilio vel quasi domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii ;

3. Habita, si conditiones deficiant de quibus n.2, licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat, quae a licentia petenda excuset.

§ 2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi justa causa excuset ; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari jure cautum sit, in ritu viri et coram ejusdem parocho sunt celebranda.

§ 3. Parochus qui sine licentia jure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat.

Can. 1098. Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095-1096.

1. In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus ; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam.

2. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva conjugii validitate coram solis testibus.

Can. 1099. § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur.

1. Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt ;

2. Iidem de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant;

3. Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis.

§ 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1. acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.

Can. 1100. Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti.

Can. 1101. § 1. Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica, et excepto tempore feriato.

§. 2. Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere.

Can. 1102. § 1. In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes de consensu fieri debent secundum praescri ptum can. 1095.

§ 2. Sed omnes sacri ritus prohibentur, quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere.

Can. 1103. § 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui ejus vices gerit, quam primum describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit

§ 2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet conjugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.

§ 3. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum conjugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

Nonnulla dubia proposita S. Cong.i Concilii quae statutum in Codice declarant.

Quaesitum fuit: I. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholicis ritus latini cum catholicis ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta. Responsum fuit: *Negative*:

II. Utrum sponsalia praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato. Responsum fuit: *Negative.*

III. Utrum sponsalia celebrari debeant dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut quasi domicilii, an possint etiam celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho. Responsum fuit: *Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii ejusdem Ordinarii aut parochi.*

IV. Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat. Respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

V. An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni. Respondit: *Affirmative.*

VI. An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit, in quibus tamen, si peteretur, haberi possit, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi, matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida. Respondit: *Negative.*

VII. Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo jam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in articulo decreti. Respondit: *Negative.* Die 28 Martii 1908.

VIII. S. Cong.ni de disciplina Sacramentorum propositum fuit: Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat, qui in regionem ubi non adest a mense parochus, nec Ordinarius nec sacerdos ab eis delegatus, in fraudem legis se conferat? Die 12 Martii 1910. Respondit: *Affirmative.*

APPENDIX II.

De temporibus sacris.

Can. 1234. Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies abstinentiae et jejunii.

Can. 1244. § 1. Dies festos itemque dies abstinentiae et jejunii, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis.

§ 2. Ordinarii locorum peculiares suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies abstinentiae et jejunii possunt, per modum tantum actus indicere.

Can. 1245. § 1. Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus justaque de causa, possunt subjectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et jejunii vel etiam utriusque dispensare.

§ 2. Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, possunt quoque totam dioecesim seu locum a jejunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare.

§ 3. In religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem habent Superiores ad modum parochi, quod attinet ad personas sibi subjectas.

Can. 1246. Supputatio diei festi, itemque diei abstinentiae et jejunii facienda est a media nocte usque ad mediam noctem.

De diebus festis.

Can. 1247. § 1. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Joseph ejus sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

§ 2. Ecclesiastico praecepto dies festi Patronorum non subjacent; locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem 1).

---

1) At Benedictus Pp. XV anno 1919 annuens voto nostri E.mi Archiepiscopi benigne indulsit, ut dies festi principalis Patroni D. Januarii, 19 Sept, sit festus sub praecepto.

§ 3. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur.

Can. 1248. Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus.

Can. 1249. Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest quocumque catholico ritu celebretur, et in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi publico et in privatis coemeteriorum aediculis, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit.

De abstinentia et jejunio.

Can. 1250. Abstinentiae lex vetat carne jureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

Can. 1251. § 1. Lex jejunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

§ 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare.

Can. 1252. § 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis.

§ 2. Lex abstinentiae simul et jejunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in coelum Assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.

§ 3. Lex solius jejunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus 1).

§ 4. Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et jejunii, tantum cessat. excepto festo tempore Quadragesimae, 2) nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem.

1) Olim concedebatur speciale indultum; nunc temporis post novum codicem can. 1252 in Quadragesima conceditur facultas vescendi carnibus, excepta feria quarta cinerum feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum; unde non amplius per Indultum sed per legem usus carnium permittitur.

2) Tempore Quadragesimae celebratur festum de praecepto Sancti Ioseph, hinc ea die non cessat lex abstinentiae, vel abstinentiae et jejunii, vel jejunii tantum, sed standum est praescripto legis tempore Quadragesimae. Id declaratum fuit per acta Apostolicae Sedis.

Can. 1253. His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cujuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cujusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis.

Can. 1254. § 1. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint.

§ 2. Lege jejunii adstringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

Apostolicae Sedis responsa circa jejunium.

I. Ad quaesitum: *Utrum fideles exempti a lege jejunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimae, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, non secus ac in dominicis diebus ejusdem Quadragesimae, in quibus non urget obligatio jejunii?*

S. Poenitentiaria 16 Jan. 1824, de mandato felicis recordationis Pii Papae VII. respondit; *Fideles qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus in indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt.*

II. Ad Quaesitum: *Utrum cum pater familias a lege abstinentiae quoad carnes tempore Quadragesimae dispensatus, non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes parare, ejus filii aut familiares carnes edere possint?*

S. Poenitentiaria 16 Jan. 1834 respondendum censuit: *Posse personis quae sunt in potestate patris familias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamiliae indultis; adjecta conditione de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur* 1).

III. Q. 1.° An supradicta resolutio valeat ubique terrarum? 2.° Dum dicitur *permitti posse*, petitur a quo ista permissio danda sit; et an sufficiat permissio data a simplici confessario?

---

1) Certum est (ait Righetti) quod conditio filiorum prorsus diversa est quoad praesentem casum a conditione famulorum, qui ordinarie loquendo non tam grave paterentur damnum, si cibos a patrefamilias praestitos non comederent; ideo dicendum S. Poenitentiariam solum filios comprehendisse in sua responsione. Verum est, quod etiam de servis quaestio fit; sed responsio clare illos non nominat. Quod si isti quoque sint intelligendi sub verbis *personis quae sunt in potestate patrisfamilias*, restat videndum quomodo fuerit praecise casus expositus; nam potuerunt speciales circumstantiae intervenire, quae determinassent S. Poenitentiariam ad aequiparandos servos psis filiis (ut si alium dominum sine gravi incommodo nequiverint invenire). Scavint, t. I, n. 392.

S. Poenitentiaria 27 Maji 1863 respondit : *Ad primum affirmative ad secundum sufficere permissionem factam a simplici confessario.*

IV. An ratio, propter quam filiifamilias uti possunt cibis vetitis a patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum ; seu potius indultum quo gaudet paterfamilias ?

R. *Ratio permissionis, de qua in quaesitu, non est indultum patrisfamilias, sed impotentia, in qua versantur filii familias observandi praeceptum.*

V. An in diebus veneris et sabbati, quibus indulgentur condimenta (vulgo *di grasso*), possit jusculum carnis adhiberi ?

S. Poenitentiaria respondit : *Sub terminis* condimenti *di grasso non comprehendi jusculum carnis coctae.*

VI. Ad Quaesitum : *An iis, qui jejunare non tenentur ratione aetatis vel laboris, aequiparandi sint qui ratione infirmae valetudinis a jejunio excusantur, adeo ut istis quoque pluries in die vesci carnibus liceat ?*

S. Poenitentiaria 27 Maji 1863 respondit : *Non aequiparari* 1).

VII. Ad Quaesitum : « *Utrum diebus jejunio consecratis, in quibus Apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat* » ?

Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales, omnibus sedulo perpensis, habitis etiam prae oculis latis antea a S. Sede hac super re decisionibus, decreverunt : « *Supplicandum SS.mo pro gratia* ». Sequenti vero feria VI die 15 Maji 1896 SS.mus D. N. Leo XIII in audientia Adsessori S. Off. impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia juxta Em. orum Patrum suffragium 2).

---

1) Una lettera del Cardinale Alessandro Barnabò, Prefetto della Congrg. *de Propaganda Fide*, al Vescovo di Southwark, assegna la ragione di tal risposta che noi crediamo utile di riprodurre. Eccola :

« Dalla sua lettera del 9 Febbraio p. p. ho potuto rilevare che V. S. gradirebbe di conoscere la ragione per cui al dubbio : *An iis, qui jejunare non tenentur ratione aetatis vel laboris aequiparandi sint etc.* la S. Penitenzieria abbia risposto in data del 27 Maggio 1863 : *Non aequiparari.* Ora, avendo preso in proposito le notizie opportune, sono in caso di significarle che la ragione, per cui gl' infermi riguardo alla qualità dei cibi ne' giorni soggetti alla proibizione della chiesa non sono da equipararsi a quelli che sono scusati dal digiuno per ragione di età o di fatica, si è che questi ultimi possono usare de' cibi proibiti in forza soltanto dell' indulto, il quale può subire minori o maggiori limitazioni ; mentre gl' infermi possono usare de' cibi vietati secondo lo stato di loro salute ed il giudizio del medico. Così p. e. in alcuni giorni l' Indulto potrebbe non ammettere il condimento di grasso, e in tal caso chi è dispensato dal digiuno per ragione di età o di fatica deve astenersi dal condimento anzidetto ; ma l' infermo anche ne' giorni eccettuati, può mangiare di grasso, se così esige lo stato di sua salute. Una tale spiegazione parmi possa servirle a togliere le incertezze, che mi accennò nell' anzidetta Sua ».

Roma 8 Marzo 1864. Il Card. Barnabò' *Prefetto*

2) Privilegium intelligendum est juxta concessionem, ideoque si conce-

VIII. Quaesitum fuit Cong. S. Officii : An liceat uti margarina per modum cibi aut condimenti illis, quibus usus carnium aut adipis ex carne illicitus est, licito manente usu butyri ? » Respondit : *Affirmative*, facto verbo cum SSmo, Die 6 Septembris 1899.

APPENDIX III.

Pro agendi norma confessariorum quoad usurpantes, 1) detinentes, 2) et alienantes bona ecclesiae.

Animadvertendum est quod hac in re censurae inflictae a novo codice sunt sequentes, idest nonnullae sunt speciali modo, aliae simpliciter Sedi Apostolicae reservatae, aliae sunt nemini reservatae. Qui usurpant per se vel per alium bona vel jura ad Rom. Ecclesiam pertinentia incidunt in excommunicationem spec. modo Rom. Pontifici reservatam. Qui usurpare praesumpserint cetera bona ecclesiastica, aut impediunt, ne eorum fructus seu reditus ab iis, ad quos jura pertinent, percipiantur, incidunt in excom. simpliciter Rom. Pontifici reservatam. Qui vero sine beneplacito Apostolico alienare praesumpserint bona Ecclesiae, aut in iis alienandis consensum praebent, incidunt in excom. nemini reservatam. En textus pro unaquaque censura.

Can. 2345. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subjaceant excommunicationi

---

ditur diebus jejunii usus butyri per modum condimenti, sequitur non licere uti butyro super pane.

1) Nota sub nomine usurpantium non comprehendi fures, qui nempe furantur fructus bonorum Ecclesiae, ex Decreto S. Inq. 9 Martii 1870.

2) In concordato Neapolitano anni 1818 quod adhuc viget juxta novum codicem can.3) Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius VII, et Majestas sua Ferdinandus I.us Regni utriusque Siciliae Rex, pari studio consulere cupientes malis, quae in res ecclesiasticas sui regni irrepserunt, decreverunt in art. XII dicti concordati:: « *Omnia bona Ecclesiastica, non alienata a Gubernio Militari quaeque in reditu Majestatis suae penes administrationem vulgo del Demanio reperta sunt, Ecclesiae restituantur.* » Et in art. XIII. « *Sanctitas sua declarat eos omnes, qui Ecclesiae bona alienata possident, nullam molestiam habituros neque a se, neque a Romanis Pontificibus suis successoribus ; ac consequenter proprietas eorundem bonorum, reditus, et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos, erunt atque ab ipsis causam habentes.* » Unde alienationes bonorum ecclesiasticorum in Regno utriusque Siciliae a Gallico Gubernio ante praedi-

latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae ; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur, atque inhabiles ad eadem declarentur.

Can. 2346. Si quis bona ecclesiastica cujuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur excommunicationi tamdiu subjaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit ; quod si ejusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam jure patronatus eo ipso privatus existat ; clericus vero, hoc delictum committens vel in eodem, consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur 1).

---

ctum annum factae sanatae fuerunt, ac propterea licere iis, qui bona eadem acquisiverunt, tamquam propria, et in suum dominium ac potestatem translata habere, deque iis libere disponere ; quapropter tuta conscientia emi possunt. Quod vero pertinet ad onera ipsis bonis adnexa, utrum teneantur acquisitores ad ea adimplenda, distinguendum est; nam sunt haec onera triplicis generis. Vel respiciunt onera spiritualia, v. g. fundationes missarum, eleemosynarum elargitiones ; et quoad haec bonorum possessores ex S. Poenitentiaria tantum sunt hortandi, en verba : « *Verum Sacra eadem Poenitentiaria ipsos hujusmodi bonorum possessores ad se recurrentes hortari ac vehementer obsecrare solet, ut pro ea pietate ac Religione, qua catholicum quemque flagrare decet, pia onera, si quae bonis illis inhaerebant, adimplere non negligant* ». Die 7 Jul. 1845, 17 Julii 1847, et 20 Martii 1848. Vel respiciunt onera temporalia erga Ecclesiam, v. g. census alicui Ecclesiae vel religiosae communitati debitos ; et quoad haec , Pontifex bona condonando censetur etiam condonare talia onera, quae erant veluti illorum pars aut saltem accessorium, et sic pluries eadem S. Poenitentiaria respondit. Vel respiciunt onera temporalia erga privatos, et tunc Pontifex nec potuit nec voluit sancire spoliationem jurium, quae tertiis competere poterant ; et sic oraliter respondisse fertur Pium VI.

1) Illi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisierunt , quaeque postea aliis vendiderunt, ab habente facultatem possunt absolvi, deposito tamen lucro exinde injuste accepto in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quae damna passa sunt , reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae. Ita S. Poenit.

Utrum illi qui bona ecclesiastica acquisierunt, et postea vendiderunt, utrum vendendo aliam incurrerint censuram, quaestio est.

Qui bona ecclesiastica acquirunt jure successionis, vel haereditatis, si testator jam obtinuit facultatem ea possidendi a S. Sede, nullam incurrunt censuram. At si testator non obtinuit facultatem, haeredes tenentur statim se componere ; secus incurrunt praedictam censuram.

Qui emit bona ecclesiastica ab eo, qui ea iam emerat a demanio

Can. 2347. Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit, aut in iis alienandis consensum praebere.

1. Si agatur de re cujus pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur.

2. Si agatur de re cujus pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur patronus jure patronatus; administrator, munere administratoris; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum.

3. Quod si beneplacitum apostolicum in memoratis canonibus praescriptum fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata.

---

usurpatore, incidit in censuram simpliciter reservatam ex novo codice, quia impedit ut fructus percipiantur ab iis ad quos pertinent.

INDEX

Tractatuum et capitum

Theologiae moralis Prolegomena . . . . . Pag. 7

De actibus humanis . . . . . „ 9
De voluntario et involuntario . . . . . „ *ibi*
De ignorantia . . . . . „ 11
De concupiscentia . . . . . „ 14
De vi, et metu . . . . . „ 15
De moralitate actuum humanorum . . . . . „ 17

De conscientia . . . . . „ 18
De conscientia recta, et erronea . . . . . „ 19
De conscientia probabili . . . . . „ 21
De Theologorum systematibus circa probabilismum . . . „ *ibi*
De conscientia dubia . . . . . „ 23
De conscientia scrupulosa . . . . . „ 26

De legibus . . . . . „ *ibi*
De legis natura et divisione . . . . . „ *ibi*
De iis, qui possunt condere leges humanas, et de iis, qui debent eas servare . . . . . „ 28
De materia, et obligatione legis humanae . . . . . „ 30
De modo, quo observandae sunt leges . . . . . „ 33
De cessatione legis . . . . . „ 35

De peccatis . . . . . „ 39
De distinctione, et circumstantiis peccatorum . . . . „ 41
De consuetudinario, recidivo, et occasionario . . . . „ 43
De delectatione morosa . . . . . „ 45

De quibusdam peccatis in specie . . . . . „ 46
De blasphemia . . . . . „ *ibi*
De sacrilegio. . . . . „ 47
De scandalo . . . . . „ 48
De furto . . . . . „ 51
De mendacio. . . . . „ 53
De judicio temerario et suspicione . . . . . „ *ibi*
De detractione, contumelia et libello famoso . . . . „ 54
De secreti manifestatione . . . . . „ 55
De homicidio . . . . . „ 56
De duello . . . . . „ 57
De abortu . . . . . „ 58
De peccatis turpibus . . . . . „ 62
De sollicitatione . . . . . „ 64
De absolutione complicis in re turpi . . . . . „ 68
Declarationes S. Officii de sollicitatione . . . . . „ 72
Mantissae loco pauca de peccatis capitalibus . . . . „ 75

De virtutibus theologicis . . . . . Pag. 76
De fide . . . . . „ 77
De vitiis fidei oppositis, et primo de infidelitate . . . „ 79
De haeresi . . . . . „ *ibi*
De apostasia, et schismate . . . . . „ 82
De lectione librorum prohibitorum . . . . . „ 84
De spe . . . . . „ 85
De charitate . . . . . „ *ibi*

De religione . . . . . „ 87
De juramento . . . . . „ 88
De voto . . . . . „ 89

De vitiis religioni oppositis . . . . . „ 96
De simonia . . . . . „ *ibi*
De superstitione . . . . . „ 103
De mesmerismo et spiritismo . . . . . „ 105

De contractibus . . . . . „ 106
De contractibus in genere . . . . . „ *ibi*
De qualitatibus contractuum . . . . . „ *ibi*
De iis, quae essentialiter requiruntur ad valorem contractus . „ 109
De juramento contractui addito . . . . . „ 113
De restitutione in integrum . . . . . „ *ibi*

De contractibus in specie . . . . . „ 114
De emptione, et venditione . . . . . „ *ibi*
De evictione . . . . . „ 117
De negotiatione, et monopolio . . . . . „ *ibi*
De societate . . . . . „ 119
De locatione, et conductione . . . . . „ 121
De censu, et emphyteusi . . . . . „ *ibi*
De cambio . . . . . „ 122
De fidejussione . . . . . „ 123
De assecuratione . . . . . „ *ibi*
De ludo . . . . . „ *ibi*
De sponsione . . . . . „ 124
De deposito . . . . . „ *ibi*
De commodato . . . . . „ 125
De promissione . . . . . „ *ibi*
De donatione . . . . . „ 126
De mutuo, et usura . . . . . „ 127
De pignore, et hypotheca . . . . . „ 131
De testamentis . . . . . „ *ibi*

De restitutione . . . . . „ 135
De possessore bonae, et malae fidei rei alienae . . . . „ 139
De restitutione fructuum . . . . . „ *ibi*
De expensis factis a possessore bonae, vel malae fidei . . „ 140
De tempore, loco, et expensis, quibus facienda est restitutio . „ *ibi*
De concausis restitutionis . . . . . „ 141
De ordine servando in restitutione quod ad concausas . . „ 145
De obligatione restitutionis ob injustum impedimentum boni alieni . . . . . „ *ibi*
De restitutione rei acceptae ob turpem causam . . . . . „ 146
De obligatione restituendi ratione facinorum aliis damnum causantium . . . . . „ 147
De personis, quibus faciendá est restitutio . . . . . „ 149
De ordine servando in restitutione facienda, quando bona defuncti non sufficiunt . . . . . „ 150
De causis, quibus suspenditur obligatio restitutionis . . „ *ibi*
De causis, quibus tollitur obligatio restitutionis . . . „ 152

De sacramentis in genere . . . . . Pag. 156
De sacramentis in specie . . . . . „ 161
De baptismo . . . . . „ *ibi*
De confirmatione . . . . . „ 168
De eucharistia prout est sacramentum . . . . . „ 170
De eucharistia uti sacrificium . . . . . „ 176
De poenitentia . . . . . „ 182
De materia sacramenti poenitentiae . . . . . „ *ibi*
De forma sacramenti poenitentiae . . . . . „ 191
De ministro hujus sacramenti . . . . . „ 193
De sigillo sacramentali . . . . . „ 195
De reservatione casuum . . . . . „ 196
De extrema unctione . . . . . „ 202
De ordine sacro . . . . . „ 208
De sponsalibus . . . . . „ 212
De matrimonio . . . . . „ 219
De matrimonio civili . . . . . „ 224
De indissolubilitate matrimonii . . . . . „ 227
De divortio . . . . . „ 228
De debito conjugali . . . . . „ 231
De impedimentis matrimonii . . . . . „ 232
De impedimento erroris et conditionis . . . . . „ 235
De impedimento voti, et ordinis . . . . . „ 236
De impedimento cognationis . . . . . „ 237
De impedimento criminis . . . . . „ 240
De impedimento disparitatis cultus . . . . . „ 243
De impedimento vis . . . . . „ 244
De impedimento ligaminis . . . . . „ 246
De impedimento publicae honestatis . . . . . „ *ibi*
De impedimento affinitatis . . . . . „ 247
De impedimento aetatis . . . . . „ 248
De impedimento impotentiae . . . . . „ *ibi*
De impedimento clandestinitatis . . . . . „ 249
De impedimento raptus . . . . . „ 255
De modo, quo convalidari potest matrimonium nullum, et de dispensatione in impedimentis . . . . . „ 256

Appendix — De dispensationibus matrimonialibus . . „ 258
De causis dispensationis . . . . . „ 260
De iis, quae in supplicatione sunt exponenda . . . . „ 261
De dispensationis executione . . . . . „ 264
Declarantur clausulae appositae a S. Poenitentiaria pro matrimonio contrahendo . . . . . „ 267
Declarantur clausulae, quae in rescripto apponuntur a S. Poenitentiaria pro matrimonio contracto . . . . . „ 269
Formulae ad dispensationes postulandas a S. Poenitentiaria . „ 270

De poenis canonicis . . . . . „ 272
De censuris in genere . . . . . „ *ibi*
De censuris in specie . . . . . „ 275
De excommunicatione . . . . . „ *ibi*
De excommunicatione ob clerici percussionem . . . . „ 281
De suspensione . . . . . „ 283
De interdicto . . . . . „ 285
De irregularitatibus . . . . . „ 287
De infamia, depositione, et degradatione . . . . . „ 292

Appendices . . . . . „ *ibi*
De praeceptis Decalogi . . . . . „ *ibi*
De I. Praecepto . . . . . „ *ibi*
De II. Praecepto . . . . . „ 293
De III. Praecepto, seu de festorum observantia . . . . „ *ibi*

De IV. Praecepto, seu de obligationibus inferiorum erga superiores et viceversa . . . . . *Pag.* 295
De obligationibus Parochorum . . . . . „ *ibi*
De remotione parochorum inamovibilium . . . . . „ *ibi*
De V. Praecepto . . . . . „ 299
De VI. et X. Praecepto . . . . . „ *ibi*
De VIII. Praecepto, seu de judicio legali ejusque partecipantibus idest de judice, de juratis, de accusatore, de denuntiatore de testibus, de advocato, de procuratore, et de reo . . „ *ibi*

De praeceptis Ecclesiae . . . . . „ 302
De Jejunio . . . . . „ *ibi*
De annua communione et confessione . . . . . „ 304

Tractatus de monialibus . . . . . „ 306
De statu religioso, de professione, et de dote . . . . „ *ibi*
De voto paupertatis . . . . . „ 308
De voto obedientiae . . . . . „ 309
De voto castitatis et de clausura . . . . . „ *ibi*
De aliis monialis obligationibus . . . . . „ 311
De velo . . . . . „ *ibi*
De electione abbatissae . . . . . „ 312
De educandis, et novitiis . . . . . „ *ibi*
De Confessariis monialium . . . . . „ 313

Appendix I. De forma celebrationis matrimonii juxta novum codicem juris ecclesiastici . . . . . „ 314

Appendix II. De temporibus sacris, de diebus festis, de abstinentia et jejunio . . . . . „ 318

Appendix III. Monitum pro agendi norma confessariorum quoad usurpantes, detinentes, et alienantes bona Ecclesiae . . „ 322

LAUS DEO ET MARIAE

Nihil obstat
FRANCISCUS *Can.* SORRENTINO
Censor Theologus

Imprimatur
ANTONIUS *Can.* LAVIANO
Deputatus

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.D47 C001
THEOLOGIAE MORALIS COMPENDIUM TOTUM ACCU
3 0311 00044 1902

WITHDRAWN

46455

BX
1758
.D47

46455

De Siena, Paschalis

AUTHOR

THEOLOGIAE MORALIS COMPEN

TITLE

DIUM ...

~~10017~~

STUDENTS' LIBRARY

[redacted]
3 0311 00044 1902